SANCTISSIMÆ TRINITATI, NOBILISSIMO, SS. TRINITATIS TRICLINIO, Beatissimæ V. M. Matri DEI, MAGNO CARTHUSIANORUM PATRIARCHÆ, SANCTO BRUNONI,

THEOLOGIA MORALIS, P. M. F. NICOLAI MOSCICENSIS, Ord: Præd:

In Tres Libros distincta, sc:

In Elementa ad S. Confessiones.

Sacræ Artis Pœnitentiæ Tyrocinium.

Examen Approbandorum ad S. Confessiones.

Accesserunt Sententiæ à Summis Pontificibus damnatæ.

Annotationes valde utiles. Quæ autem: patet ex monitione ad Lectorem.

Præter hæc accessit Index Alphabeticus in primum & secundum librum.

Tractatus quoque de Matrimonio.

AUTHORE,

P. M. F. FERDINANDO OHM, aliàs IANUSZOWSKI, Ord: Præd.

SUPERIORUM PERMISSU.

CRACOVIÆ, Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL, S. R. M. Ord: Typ.

Anno Domini, 1701.

OBLIGATIO TRADENDÆ THEOLOGIÆ MORALIS.

CLEMENS VIII. in Decretis pro reformatione Regularium.

Lectio sacræ Scripturæ vel Casuum conscientiæ bis in hebdomada præscriptis diebus, in singulis Monasterijs & Conventibus habeatur, ad quam fratres omnes cōveniant, eâq; absolutâ, mutuâ collatione circa explicatam doctrinam sese utiliter exerceant. Huic obligationi, ut patet ex ly *explicatam* non satisfit per lectionem ad mensam. Et quidem hæc valde necessaria: cùm negligentiâ, ignorantiâ, conniventiâ Confessariorum, totus mundus pereat, ait Ioannes Corradus. Et sic si qui ex reprobis animas regunt, talium numerum ingrediuntur mali Confessarij. Illud mirum. Nonnulli habentes authoritatem exponendi Confessarios, conscientiæ habentium subditos id permittunt, dum verò v. g. Ordines Minores suscipiendi: si non per se, saltim per Examinatores, ad id, à se specialiter electos, sufficientiam explorant; quasi exercitium, v. g. Acolythi, esset majus & periculosius officio Confessarij. Tridentinum verò Sess. 5. c. 4 injungit Episcopis, ut commpellant remedijs opportunis (v. g. excommunicatione: secundùm Rodriquez, tomo 2. q. 130. a. 2.) Abbates, si in suis Monasterijs, non habeant lectionem S. Scripturæ. Huic decreto satisfit, si habeatur lectio Theologiæ Scholasticæ vel Moralis, ut docet idem Rodriquez loco cit: & Peirinis tomo I. Privilegiorum Minimorum in Constitutione 2. Iulij, 11.

APPROBATIO. *Tyrocinij Artis Pœnitentiariæ.*

EGo SEBASTIANUS NUCERINUS, S. T. D. Ecclesiæ Cathedralis Crac: Concionator Ordinarius, fidem præsentibus facio, quia Librum intitulatum, Artis Pœnitentiariæ Tyrocinium, ab Adm̃ R. P. F. NICOLAO MOSCICENSI Ord: Præd: S. DOMINICI, S. T. D. conscriptum vidi, reperiq; quòd Cofessarijs medullam ipsam Sacramentalis Pœnitentiæ administrationis succinctè ac clarè proponat. Propterea tanquam utilem futurum typo evulgandum censui & potestatem feci. Crac: 5. Iunij, 1625.

APPROBATIO. *Examinis Approbandorum ad S. Confessiones.*

EGo SEBASTIANUS NUCERINUS S. T. D. Ecclesiæ Cathedr: Crac: Ordin: Concionator. Librorũ prælo in lucem in Diœcesi Crac: prodeuntium Censor, fidem præsentibus facio: quia Librũ responsionum ad quæstiones pro Examine Approbandorum ad S. Confessiones excipiendas in Synodo Diœcesana ab Jllustr. & Rendissimo D. MARTINO SZYSKOWSKI Episcopo Crac: traditas ab Adm̃ R. P. NICOLAO MOSCICENSI Ord: Præd: S. DOMINICI S. T. D. conscriptum, vidi legi. Est accuratâ diligentiâ elaboratus, & materijs ad forum conscientiæ spectantibus, breviter, utiliter & fideliter: juxta mentem Doctorum refertus & fœcundus. Quocirca ut prælo in lucem & utilitatem publicam ederetur censui & judicavi. Dat: Crac: 28. Martij. 1622.

APPROBATIO. *Tractatûs de Matrimonio.*

COmplementum MOSCICENSIS, à R. P. F. FERDINANDO OHM S. T. in Conventu SS. TRINITATIS Crac: Ord: Prædic: actuali Baccalaureo, ex commissione A. R. P. M. Provincialis, P. F. THOMÆ SCHMITH, compositum cum magna diligentia legi. Ubi nihil sanctæ fidei, bonisque moribus contrarium, imò mirâ pollere brevitate, multis quæsitis & plurimorum gravissimorum Doctorum abundare sententijs & decisionibus reperi. Quod nedum typo dignum esse censeo, sed etiam in animis legentium jucundum & utile spero. Dat: in Conv. Crac. SSmæ TRINITATIS, Ord: Prædicatorum, 21. Febr: 1682.

F. Candidus Zagorowski, S. T. M. Regens Studii Crac. Ord. Præd.

REVERENDISSIMO, PERILLVSTRI,
ac Amplißimo Domino,

DOMINO,

BENEDICTO WIDERHOLT,

SACRI ORDINIS CARTHVSIANORVM,
Celeberrimæ Carthusiæ Gemnicensis,
PRÆSVLI DIGNISSIMO.
Nec-non Carthusiarum per Alemanniam Superiorem, & Regnum Poloniæ Visitatori, ac Vicario Generali.
Sacræ Cæsareæ, Regiæq; Majestatis Consiliario.
Mecœnati, ac Patrono gratiosißimo, munificentißimo.

Reverendissime, ac Amplissime DOMINE, DOMINE.

VEnerabile in Ecclesia DEI Carthusianorum Nomen me evocat ad profundißimam sui venerationem. Et queadmodum Benedictinorum, & Camaldulensium honorandum Nomen: proprio labore, sc: Philosophiâ; Theologiâ Morali, aliàs Sententijs Moralibus: Compendiosâ Theologiâ Scholasticâ, aliàs Sententijs Thomisticis, Sententijs

Sacris in gratiam Ordinandorum: celebravi, sic Venerabile Carthusianorum Nomen, alieno quidem sed excellentiori labore, sc: Theologâ P. M. NICOLAI MOSCICENSIS vitæ probitate & doctrinâ conspicui, celebrandum aßumpsi Carthusianorum ergo Sanctitas & Doctrina, licèt in profundißima solitudine, per universum tamen orbem clarificatur. Licèt in profundißimo silentio, toti tamen Ecclesiæ, pretioso Sangvine Christi fundatæ, loquitur. Clarificatur Venerabile Carthusianorum Nomen, Magni Carthusianorum Patriarchæ, S. BRUNONIS Sanctitate. Clarificatur, Filiali tanti Patris, imitatione. Quos Sanctittae celebres proponit cathalogus SS: & BB: ex Ordine Cartvusianorum. Sed quid Sanctos inter Carthusianos quærimus? nonne verus Carthusianus est quoddã simulacrũ Sanctitatis, & miraculum mundi? Hanc ob causam Ecclesiæ authoritas concedit omnibus Regularibus, Carthusianæ Religionis ingreßum. Eminet enim austeritate. Cùm arctißima (juncta silentio) clausura, cum perpetua abstinentia à carnibus præponderet aliorum Religiosorum austeritatibus: ait Prosper Fagnanus, hujus temporis Canonista celeberrimus in secundam partem Decretalium C. sanè n. 61. Et sic convenit, quod ex antiquioribus Theologis Ioannes Major scriptum reliquit: Carthusia Religionum optima. Sed his non detraho observantißimis Patribus Eremitis Camaldulensibus, de quibus quid referat citatus Doctor n. 62. ex declaratione Eugenij IV. videndum. Clarificatur adhuc Venerabile Carthusianorum Nomen aliorum Religiosorum ingreßu. Sic Venerabilis Pater Andreas Hispanus Valentinus in sancta & doctißima Societate IESU, S. Th: Doct. in Carthusia Scalæ Dei diœcesis Tarraconensis Profeßus, deinde Episcopus Vrgelensis. Sic Vener: P. Iacobus de Paradiso, S. Th: D. & publicus Profeßor, quadraginta in Sacro Cisterciensium Ordine annis peractis, fugiendo dignitatem Abbatialem, maluit sine officio, Carthusianus delitescere ac librorum scriptioni vacare, quàm Prælaturæ sarcinâ gravari. Sic Ven: P. Arnoldus Havensius, primò Societ: IESU sacrum institutum secutus, S. Th: D. Collegij Coloniensis Rector, Cùm aliorum saluti per annos

annos circiter septem & viginti incubuisset in Carthusia Lovaniensi ad supersanctissimos IESV pedes cum sanctissima Peccatrice quievit. Sic Ludolphus Saxo post trigesimum annum in Ordine Prædicatorum laudabiliter peractum Carthusianorum vitam prælegit. Vbi laborioso calamo vitam Christi Domini amplissimè celebravit. Sed in his enarrandis nolo tædium inferre. Si similes Paradisi Carthusiani desiderantur incolæ, hos enumerat V. P. Theodorus Petreius Carthusianus in sua Bibliotheca Carthusiana. Venerabile Carthusianorum Nomen clarificatur adhuc S. Th: & Iuris Canonici Doctorum amplexu. Sic amplexus est Reverendissimus P. Bonifacius Ferrerius Valentinus S Vincentij Ordinis Prædicatorum Frater germanus. Qui in sæculo Iuris Canonici Doctor eximius & unus de septem Regentibus amplissimi Regni Valentiæ. Præfuit autem Sacro Carthusianorum Ordini annis circiter octo, tandem suadente Carthusianâ humilitate resignavit. Accedit Reverendissimus P. Franciscus de Puteo S. Carthusianorum Ordinis Generalis. In sæculo Iuris Vtriusq; Doctor præstantissimus. His præter alia composuit ad imitationem D. THOMÆ AQVINATIS Doctoris Angelici Catenam auream super Psalmos, in qua explanationē Patrum Latinæ Ecclesiæ, in Psalterium, mirâ diligentiâ miroq; artificio concinnavit. Sequitur Ven: P. Bartholomæus Ruremundanæ Carthusiæ Prior, ante Ordinis ingressum publicus S.T. Professor, & divinarū literarū interpres celebris. Vener: P. Henricus de Hassia junior, S.T. Licentiatus. Qui inter alia (ut Carthusianus) in Magistrum Sententiarum scribens, hujus Principis Theologorum, doctrinam & Ordinem Carthusianorum illustravit. Ven: P. Ioan: de Lapide quondam Parisiensis Doct: & Profess. Eorum doctrinæ, qui Reales dicuntur, defensor. Sed nec in his enarrandis tædium infero. Extensiorem enim horum numerum, tum Bibliotheca Carthusiana, tum alia Carthusianorum scripta repræsentant. Præcitati ergo illustres Viri, suâ professione, sanctitatem & eminentiam Carthusianæ Religionis demonstrârunt. Demonstrârunt & Doctrinam: cùm omnes, etiam supra, relati, scriptis, pro bono Ecclesiæ

 Christi

Christi; laboraverint. Præter quos, longè majorem numerum, prænominati Carthusianorum Codices loquuntur. Inter hos eminent tanquam duo luminaria magna, Dionysius Carthusianus & Laurentius Surius Carthusianus. Quorum primus præter alia, sat magno numero, post quartum Sententiarum, impressionis Venetæ, relata: scripsit super tota Biblia. Locupletissimos commentarios in Magistrum Sententiarum. Sermones de Tempore & de Sanctis, extenso tomo comprehensos. De hoc Summus Pontifex Eugenius dixisse fertur, quando Librorum ejus quendam sibi vidit oblatum. Lætetur Mater Ecclesia, quæ talem habet filium. Secundus vitas Sanctorum per totum annum sex ingentibus tomis conclusit. Quem Pius V. Pontifex Maximus ob tantos in Ecclesia Christi labores, si diutiùs vixisset, Cardinalitiâ dignitate decorâsset, ut constat ex quodam scripto post obitum, in conclavi Pij V. reperto. Injuriam ergô nonnulli, suas imperfectiones non considerantes, irrogant Sancto Carthusianorum instituto. Solent enim imperiti homines eos, otiosos & Sanctæ Ecclesiæ parum utiles existimare, qui ab hominibus separati, soli DEO & sibi duntaxat vacant. Nesciunt spiritualium rerum ignari & rudes, quantùm possint apud Deum efficere preces sanctorum hominum, etiam in abditissimis solitudinibus commorantium, idq; ob vitæ puritatem & innocentiam, quàm faciliùs tueri possunt, qui extra homines vivunt, quàm qui hominum turbis admiscentur: nisi sancta, ut id faciant, eos cogat obedientia. Quando etiam Ethnicus quidam dicere potuit se nūquam fuisse inter homines, quin se ipso minor rediret. Sed tamen Sancti Patres, qui Carthusianæ vitæ prima jecêre fundamenta, nihil sibi tale tribuentes, etiam in libris scribendis operam dare voluerunt, & ut sui Successores id facerent, hortati sunt, ut saltem manibus verbum Dei prædicarent, quod ore non possent. Quo in labore S. Pater BRUNO dilectis Filijs prævit. Cujus opera enarrat Bibliotheca Carthusiana. Attamen quãdo necessitas Ecclesiæ, Divinâ Providentiâ sic disponente, exigebat in hominibus & inter homines dulce & utile Carthusianorū verbum, prodierunt è solitudi-

litudi-

litudine. Sic fecit S. Anthelmus Episcopus Bellicensis. S. Hugo Episcopus Lincolniensis. Ven: P. Stephanus, Episcopus Diensis. Ven: P. Andreas, Episcopus Vrgelensis. Sic fecêre alij, quorum numerus scriptus in libro Bibliothecæ Carthusianæ. Sic fecit B. Nicolaus Albergatius Episcopus Bononiensis, & S. R. E. (tituli S. Crucis) Cardinalis & Summus Pœnitentiarius. Sic fecit Ven: P. Antonius Surianus, ex nobili Suriana Venetorum prognatus familia. Deinde Venetorum Patriarcha. Sic fecêre alij quinque: Monasteriorum aliarum Religionum Abbates instituti. Nec silentio prætereundus semper laudandus Carthusianorum in Ecclesiam Catholicam sincerus filialis affectus, & semper imitandum Christi Fidelibus exemplum. Tempore schismatis Octaviani: primi inter Religiosos & Monachos adhæsêre Carthusiani Alexādro III. vero Pōtifici. Post quos Cisterciēses, qui multos ex Spiritualibus & Sæcularibus attraxerunt. Quos etiam Gallia, Hispania, & Britannia secuta. Baronius ad annum 1160.

Præfatis omnibus & alijs, Sancta Mater Ecclesia mota laboribus & meritis: magnis Sacrum Ordinem Carthusianorum dotavit privilegijs, quorum nonnulla in fine Statutorum ejusdem Sacri Ordinis recensentur. Amplissimum illud Gregorij Papæ XV. quo semper Venerabiles PP. Carthusiani habent communicationem & extensionem privilegiorum, immunitatum, & exemptionum, gratiarum & indultorum tam in Spiritualibus quàm temporalibus, quibusvis alijs, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium Ordinibus per quoscunq; Romanos Pontifices concessorum & in futurum concedendorum. *Ita concessit Gregorius XV. in Bulla quæ incipit*, ad uberes & suaves fructus; *edita*, 1623. *Sed quis sufficienti calamo prosequetur semper Venerabile Carthusianorum Nomen? Sisto ergo, & sub Tanti Carthusianorum Patriarchæ Nomine, Theologiam Moralem P. Magistri* NICOLAI MOSCICENSIS *luci publicæ propono. Suscipe* REVERENDISSIME PRÆSUL. *Suscipite Sacræ Carthusianæ Solitudinis Professores Eâ humanitate, quâ ego offero humilitate. Quod dum spero, quod dum facio;*

tio; firmam felicitatem in rebus agendis, Gratiam Numinis, Tutelam Cælitum, & post hanc vitam, immortalitatem & beatam æternitatem, sincero cordis affectu precor, meq́ gratijs & favoribus Tuis, REVERENDISSIME PRÆSUL. *Vestris Sacræ Eremi Gemnicensis semper Venerandi Ascetæ humillimè commendo.*

Reverendissimæ ac Amplissimæ
Dignitatatis Tuæ,

Humilis, Obligatissimus & devinctissimus Servus,

FR. FERDINANDVS OHM, aliàs IANVSZOWSKI, Ord: Præd: S.T.M.

APPROBATIO, *Elementorum ad Sacras Confessiones.*

Libellus hic (cui titulus, Elementa ad S. Confessiones, Authore F. NICOLAO MOSCICENSI, Doctore Theologo, ac Studij Crac: Regente Ord: Prædicatorum) cõmissus fuit à me F. GISBERTO SPECHTIO Magistro Inquisitore Apostolico, Lectioni cujusdam doctissimi Theologi, nec quidquam in eo compertum fuit, quod vel Catholicæ Religioni, aut bonis moribus adversetur. Quare tanquam utilissimum judico, ut prælo mancipetur. Actum Coloniæ apud Prædicatores. 19. Martij, A. D. 1610.

F. Gisbertus Spechtius, Magister Inquisitor Apostolicus.

ELEMEN-

ELEMENTA AD S. CONFESSIONES.

PARS PRIMA

De peccato.

IN hac parte quinque membra continentur. 1. Peccati definitio. 2. Divisio. 3. Mortalis peccati descriptio. 4. Mortalis in veniale aut nullum, ex aliquo defectu, mutatio. Et vice versa, venialis aut nullius, in mortale, accedente aliqua circumstantia.

Definitio peccati.

PEccatum est, (vt inquit S Augustin.) dictum aut factum aut concupitum contra legem æternam.

Lex autem æterna, vt idem D. August. docet; est summa ratio, cui semper obtemperandum est. D. verò Thomas declarat hoc, dicens hanc summam rationem, esse in mente divina regulam & exemplar agendorum, per eos qui subduntur divinæ gubernationi.

Divisio peccati.

PEccatum est duplex: Mortale & Veniale. Quæ divisio non est sic intelligenda, quasi homo in mortali peccato existens, nunquam veniam consequatur. Sed sic: Quod homo in veniali peccato existens, habet intra se principium, seu medium consequendi veniam. Nam per veniale peccatum non amisit gratiam, ac proinde retinet in se id per quod consequi potest veniam. Gratia namque est principium inveniendi veniam. In mortali vero existens, non habet in se principium assequendi veniam: cùm peccatum excludat gratiam; Sed potentia consequendi veniam pendet ex Deo præueniente & mouente cor hominis ad pœnitentiam. Vnde optimè D. Thomas peccatum mortale comparat morti; veniale verò ægritudini, quoniam peccatum mortale excludens gratiam, extinguit charitatem, ac proinde vitam spiritualem. Hæc enim consistit in charitate, secundum illud D. Ioan. *Qui non diligit, manet in morte.*

Definitio peccati mortalis.

PEccatum mortale est deliberata inordinatio, seu exorbitantia, notabiliter offendens charitatem Dei vel proximi.

Pro Declaratione huius definitionis tres statuuntur regulæ, per quas melius cognosci potest peccatum mortale.

1 Quod est notabiliter contra honorem Dei, est peccatum mortale.

2. Quod est contra præceptum diuinum vel humanum, quod implere vel omittere magni refert; est mortale.

3. Quod est cum notabili damno proximi, animæ vel corporis, personæ vel famæ, vel facultatum, est mortale. Et multò magis cùm damno sui ipsius, animæ vel corporis.

Octo sunt quæ Hominem excusant à peccato mortali, & efficiunt, vt id quod regulariter est peccatum mortale, cesset esse mortale.

1. Impotentia. 2. Subreptio, 3. Defectus pleni & perfecti iudicij. 4. Paruitas. 5. Iusta causa. 6. Magna & quasi extrema necessitas, 7. Dispensatio, 8. Ignorantia.

Impotentia, præcipuè locum habet in ieiunijs, restitutionibus, & statutis humanis. Qui enim seriò, & absque fictione hæc implere non potest: excusatur à mortali.

Subreptio, vel (si mauis) inconsideratio aut indeliberatio, cum quis nō animadvertit, quid cogitet, vel quid agat: locum habet præcipuè in peccatis mentalibus, & in actionibus ex subita passione provenientibus, quæ citius semiebrios afficit.

Defectus pleni iudicij, maximè locū habet, in semidormientibus, atque in illis qui ligati sūt subita aliqua passione.

Paruitas, locum habet, in furto, & labore die festo. Nam furari est peccatum mortale: tamen auferre quadrantem seu ternarium, non erit mortale. Similiter laborare die festo, est peccatum mortale: sed si labor duraret paruo tempore, videlicet dimidio quadrantis, ille labor non accederet ad mortale. Adhuc & in ieiunio: nā sero, modicum vt puta quatuor vel quinque bolos sumere, non violat ieiunium.

N. 1. Aliqui docent, laborantem die festo per duas horas non peccare mortaliter. L. 1. Sent. Mor. d. 7. N. 2. Non consideratis aliorum opinionibus: non est p: mortale servare consuetudinem patriæ iuxta timoratas conscientias, in sumenda quantitate collationis vespertinæ die ieiunii. loco cit. d. 19.

Iusta causa, maximè locum habet in legibus, statutis, seu præceptis humanis. Iusta verò causa est, quæ certo certius moueret legislatorem, si præsens esset, ad declarandum legem suam in tali casu non ligare.

Magna necessitas, præsertim in tribus habet locum. Primò in acceptione, retentione rei alienæ. Nam si non possem conservare vitam meam, nisi alienum acciperem: vel inciderem in miseriam irremediabilem, nisi alienum retinerem: tunc licitè absque mortali peccato id facerem. Secundò in homicidio. Nam si aliter non possem me defendere vel proximum, aut res meas vel proximi iniuriam patientis, nisi occidendo inuasorem, liber essem à peccato mortali. Tertio in obseruatione festorum. Nam si aliter non possem tueri vitam meam & meorum, nisi laborem die festo, nihil peccarem.

OBSER-

OBSERVATIO.

Hæc magnæ necessitatis excusatio, vix in alijs generibus peccatorum locum habet. Neque enim licet hæreticum esse, aut peierare, aut fornicari, quantumcunque magna necessitas occurrat, vel violentia inferatur.

Dispensatio, locum habet in statutis humanis, & requirit iustã causam.

Ignorantia, illa excusat, quæ si nõ adesset, peccatum adesset. Pro cuius maiori declaratione sciendum: ignorantiam esse triplicem: Inuincibilem, crassam, & affectatam.

Invincibilis est, quæ vinci seu superari non potest: & qua communiter homines similis conditionis laborant.

Vnde & omnino excusat, dummodò non sit animus paratus peccare etiamsi sciretur.

Alia ignorantia est crassa seu supina, cùm quis nescit, quod communiter homines sui status & ordinis norunt, & quæ est iuris naturalis manifestissimi: vt, si quis obtendens ignorantiam, crederet fornicationem non esse peccatum: vel emere rem furto ablatam, licitum esse.

Affectata ignorantia, seu optata est, cùm aliquis non vult nec curat scire vt liberius peccet.

Multis modis veniale Peccatum, imò etiam nullum migrat in mortale.

1. Ratione parati animi ad perpetrandum peccatum etiamsi sit mortale.
2. Si sit via & occasio ad mortale.
3. Si sit cum contemptu legis vel legislatoris.
4. Si sit contra cõscientiã erroneam.
5. Si sit contra salutem proximi, contemptam vel neglectam.
6. Si sit contra statum? vt exercere aleas, vel ducere choreas religioso, aut clerico in sacris, vel beneficiario.

Hi & alij plures modi recensebuntur & declarabuntur parte tertia, cum de circumstantijs agetur.

SECVNDA PARS.

De modis peccandi.

1. MOdus peccandi est: Per commissionem vel omissionem.
2. Per gradus peccatorum: scilicet, corde, ore, opere, & consuetudine.
3. Per operationem peccati, vel cooperationem.

Hic vtile erit enumerare modos peccandi mortaliter per cogitationem, postquam mentio facta est de peccatis cordis.

Sciendum itaque est, quatuor modis posse aliquem peccare mortaliter in sua cogitatione.

1. Cũ desiderat, aut proponit, illud committere: tunc peccat mortaliter: etiamsi non perfecerit suam malam voluntatem.
2. Cum aliquis cogitat de peccato mortali, non vt faciat, sed vt delectetur

ctetur eo; id est, non habet quidem animum, opere exteriori perficiendi suam malam voluntatem; sed tamen retinet illam malam cogitationem, quia delectat eum, & placet ei. Hic autem modus, est delectatio morosa, cum expresso consensu.

3. Cùm aliquis advertit se teneri cogitatione & delectatione peccati mortalis, advertit etiam se duci in periculum consentiendi, quamvis expresse non consentiat, nec delectetur, eo tamen ipso quod non expellit illam malam cogitationem, cum in tali casu possit ac debeat; peccat mortaliter. Et hic modus, dicitur delectatio morosa cum consensu tacito.

4. Cùm aliquis cogitat de peccato mortali, cùm conditione non excludente voluntatem peccandi: vt, Si non obstaret infamia, furarer, &c.

Hinc colligitur toto cælo errare simplices, qui non reputant peccatum, si non est opere consummatum, Peccata namq; cordis, oris, operis, ejusdem sunt naturæ, licet diversorum graduum vel augmenti. Et quamprimum vetatur aliquod opus, simul vetitum esse censetur, delectare se eodem opere: siue per locutionem, siue per visum, siue per tactum.

Scias. Delectatio de obiecto malo, quod quidem ex se non est malum, sed est malum, quia prohibitum, non est peccatum. Sic, qui die veneris delectatur de esu carnium, non peccat: modò non delectetur de esu carnium, ut die veneris comPlendo. Sicut & delectari de obiecto ex se turpi, ratione aliquarum circumstantiarum, quæ & se non sunt turpes, non est peccatum. Quæ circumstantiæ sunt, v. g. industria, inuentio, vel alius modus, loco cit. d. 43.

Insuper omnes circumstantiæ quæ adiunguntur peccatis actualibus, adiunguntur etiam mentalibus, Nam quod aggrauat actuale, aggrauat & mentale.

Tertia variatio peccatorum, attenditur penes operationem (quo ad peccata aliena) quæ nimirum alius delinquit, me causam vel occasionem aliquam subministrante.

Nouem autem peccata aliena numerantur.

1 Dum aliquis iubet (exempli gratia) furari. 2. Dum consulit. 3 Dũ consentit. 4 Dum laudat. 5 Dum recipit & fauet. 6. Dum adiuuat in crimine. 7. Dum non impedit verbo cùm possit & debeat: videlicet, qui ex officio tenetur. 8. Dum non impedit opere, cum possit & debeat. 9. Dum non manifestat, cum possit & debeat.

Hi nouem modi continentur istis duobus versibus.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Participans, mutus, non obstans, nõ manifestans.

Semper autem explicandum est peccatum in particulari, cuius quis causa fuit, consulendo, laudando, &c.

TER-

TERTIA PARS.

De circumſtantijs peccatorum.

IN confeſſione non ſola peccata ſunt explicanda: Nam circumſtantiæ quoque omittendæ non ſunt.

Et quidem peccatis venialibus non ſunt adiungendæ circumſtantiæ neceſſariò, ſed peccatis mortalibus omninò addendæ, Nec tantùm mortalibus opere conſummatis, verumetiam ſola cogitatione perpetratis.

Sciendum autem eſt, non quaſcunque circumſtantias explicatu eſſe neceſſarias, ſed tantùm illas, quæ ex veniali peccato vel nullo faciunt mortale. Et quæ efficiunt, vt quod eſt peccatum mortale ex vna parte & vno reſpectu, cauſa, vel ſpecie, ſit peccatū ex diverſis partibus, & reſpectibus; vt, furari vas argenteum in loco ſacro, habet ſuæ malitiæ duos reſpectus & cauſas.

Sciendum item varios authores, variè enumerare has circumſtantias. Alij enim ſeptem, alij octo; quæ continentur in hoc verſiculo (licet ſit ſeptem pedum.)

Quis, quid, vbi, quoties, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Nos verò facilitatis maioriſque claritatis cauſa, multiplicavimus has circumſtantias & enumerauimus decem & nouem, quæ continentur quatuor verſibus.

Quis, quem, quid, quantum, qualis, cum quo, meditando.

Cur, quoties, per ſe vel non, vbi, quomodo, quando,

Damnificans, precibus gravis, ad mortale paratus.

Conſcius erroris, contemnens, ſcandala præbens.

Prima circumſtantia. Quis?

MOnet, vt qui confitetur, declaret ſuum ſtatum ſeu conditionem: ſi confeſſio fiat coram ſacerdote ſe nō cognoſcente.

Exprimenda autem eſt circumſtantia hæc, præſertim in tribus peccatis. In carnali, in tranſgreſſione votorum ac iuramentorum, & in diſpenſatione bonorum temporalium.

In carnali quidem. vt, Si ſit coniugatus vel liber, religioſus, ſacerdos, &c.

Inſuper: Si religioſus in maioribus ordinibus conſtitutus, admitteret peccatum carnale; non ſufficeret dicere ſe eſſe religioſum, neque dicere tantū ſe eſſe in maioribus ordinibus, ſed vtraque conditio explicanda, ſi ſacerdos neſciret.

Scias: *Probabile eſt: ſufficit explicare alterutrum. Cùm probabile ſit unum ſupra aliud non addere ſpecialem malitiam.*

In tranſgreſſione autem votorum: vt, ſi quis voto ſe obligaret, ieiunium alicuius vigiliæ obſervare, tranſgreſſus; non ſatis faceret dicens ſe non obſeruaſſe vigiliam: ſed addere debet, quòd eam ex voto ieiunare debebat. Similiter religioſus furatus decem florenos, in confeſſione & furtum narrare & ſe religioſum eſſe addere debet: vtpotè contra ſtatum paupertatis peccans.

In diſpenſatione verò bonorum; vt, ſi vxor, contra voluntatem mariti, ſervus contra voluntatem domini, filius familias, contra voluntatem parentū ſubdi-

subditus contra voluntatem prælati, aliquid notabile donaret, peccaret mortaliter.

Secunda circumstantia, Quem.

ADmonet, vt qui confitetur, manifestet, conditionem læsæ personæ. Tanto enim maius peccatum est quantò persona, quæ offenditur, est dignior.

Hæc autem conditio personæ offensæ, explicanda est in quatuor casibus.

Primo in blasphemia. An videlicet sit contra sanctos vel Deum ipsum.

Deinde in percussione & occisione. Si est contra consanguineos, vel parentes, vel clericum, (propter annexam excommunicationem) vel prælatos.

Tertiò, in gravi odio, notabili diffamatione, calumnia, insigni iniuria, ignominia vel damno contra parentes, vel prælatos vel Ecclesiasticos.

Quartò, in derivatione offensæ in plures: vt, si quis offenderet, siue percussione, siue quocunque præiudicio, honestum filium, vel honestam coniugem excellentis alicuius viri, quod cederet in graue præiudicium eius. Hæc deriuatio offensæ explicanda esset in confessione. Similiter, si quis offenderet Officialem, vel caput communitatis: hic enim excessus redundaret in totam communitatem.

Tertia circumstantia, Quid.

NOn tam circumstantia est quàm admonitio, qua monetur pœnitens, vt peccatum expressè manifestet: naturamque peccati in particulari enucleet. Quæ monitio obseruanda est, præsertim in quatuor.

1. *Blasphemia*, Vt sacerdos intelligat, num blasphemia sit hæretica, vel simplex, seu ignominiosa tantùm. Est autem ignominiosa tunc, cùm aliquis minus honestè loquitur de Deo vel sanctis, aut minus honesta de eisdem profert.

2. *In iactantia*, Nam explicandum est peccatum mortale. de quo quis gloriatus est propter nouam complacentiam, quam habet dum gloriatur,

3. *In percussione.* An videlicet simplex percussio, aut vulneratio, aut mutilatio.

4. *In concursu plurium actuum illicitorum, ad vnum principale tendentium peccatum.* Tunc enim sufficit explicare principale peccatum. Et non est texenda historia de cogitationibus, voluntatibus aliisq; præparationibus seu præambulis

Exemplum. Qui occidit proximum, satisfaciet in confessione, si homicidium manifestabit: neque erit necessarium explicare, equi præparationem, lanceæ vel ensis sumptionem, in itinere cogitationem, voluntatem, &c Idem dicendum est, de peccato carnali. Quod videlicet non sunt explicandi actus, tactus, & alia illicita, quæ antecedunt ipsum actuale peccatum, sed sufficit explicare peccatum.

Animaduertendum tamen est, quod si non est peruentum ad peccatum actuale, sunt manifestanda illa illicita quæ antecedebant. Nam doctrina nostra sic intelligitur: vt si concurrat simul via ad principale peccatum, tunc sufficit principale explicare.

Animadvertendum item, quod si illa illicita concurrentia non sunt præparationes ad principale, tunc necessario manifestanda sunt omnia, vt, si quis vno impetu plura verba, diuersas iniurias importantia, protulerit; Hic

Hic enim tot erunt peccata, quot verba iniuriosa: vt, si quis in eadem contentione dixerit aliquem esse furem, homicidam: iam erunt duo peccata.

Scias. Probabile est esse vnum peccatum, si continuato sermone dicantur. Scias 2. Sicut detractiones secundùm probabilem sententiam sunt eiusdem speciei, ita & contumeliæ. Si tamen proferantur vel contra Sacerdotem, vel contra virum magnæ authoritatis, &c. explicentur. l. c. d. 40.

OBSERVATIO.

IN turpiloquijs, delectationibus, cogitationibus, veneficijs; sufficit se his mortaliter peccasse, explicare. Et non est necessarium exprimere ea, quæ dico, quæ cogito, dummodò natura peccati cum debitis circumstantijs manifestetur. Quæ singularis est consolatio scrupulosorum, qui nimis exquisitè solent absq; necessitate enarrare cogitationes suas, magno cum pudore suo. Satis enim est manifestare delectationem morosam, cum debitis circumstantijs: quamuis pœnitentibus imperitis artisq́ ignaris, multùm condescendendum sit.

In diffamationibus tamen, detractionibus, calumnijs, explicandum est, quid, & contra quem. Fieri enim posset, vt ex his circumstantijs, notabiliter aggrauetur peccatum. Nam dicere religiosum esse fornicarium, gravius est, quam de aulico idem prædicare.

Quarta circumstantia, Quantum.

OBseruanda est præcipuè in acquisitionibus & possessionibus iniustis. Neque enim satis est dicere, furatus sum: vel vsuram accepi: aut alienum fundum inuasi, vel occupavi; quia addendum est, quantum: vt tutior opinio habet.

Quinta circumstantia, Qualis.

OBservanda est maximè in duobus. In percussione: Si leuis, si grauis. Nam Clerici percussio si fuerit leuis, spectat ad Episcopum, ad absolutionē: à graui autem percussione Clerici, solus Papa absoluit. Similiter, si percussio sit ignominiosa, vel non, insignis vel honoratæ alicuius personæ, colaphis vel baculo facta.

Deinde in furto: Si videlicet res ablata est profana vel sacra. Censetur autem esse sacra omnis illa, cuius custodia spectat ad Ecclesiam eiusq; ministros.

Sexta circumstantia, Cum quo.

MOnet, vt qui confitetur, statum complicis manifestet, non quidem ex nomine, hoc enim non licet, imò peccatum mortale est etiam complicem peccati in confessione reuelare. Et quod maius est, ita cautè proprium peccatum exprimendum, vt Cōfessor non possit deuenire id in cognitionem complicis. Nihilominus ex statu & conditione, explicandus est socius peccati. Quæ circumstantia, præsertim in tribus, obseruanda est.

Primò. In peccato carnali, vt si cū coniugato, vel coniugata, adolescente, vel virgine, viduo, vel vidua, sponso, vel sponsa, religioso, vel religiosa, nouitio, novitia, filio vel filia confessionis, baptismi, confirmationis: cum Hebræo vel Hebræa, aut infideli.

Nota. Probabile est, circumstantiam adolescentis primò peccantis peccato luxuriæ, non esse necessariò explicandam in confessione. l. c. d.

l. c. d. 22. idem dic ex summa Dianæ V. Circumstantia. n. 22, & 27. de circumstantia Novitii, Novitiæ. Filii vel filiæ, Confessionis.

ANIMADVERSIO.

QVod faciendum est non tantùm in actualibus sed etiam in mentalibus: non tantùm in peccatis secundùm naturam, verum etiam contra naturam.

Item animaduertendum est. Quòd si peccans & socius peccati, habeant suas conditiones omnes explicandæ venient. *Exemplum.* Cùm sim religiosus & in maioribus ordinibus, peccaui cum coniugata, vel virgine, &c.

Secundò: In ludo alearum: vt si luserim cum his qui dominium non habent rei lucro perditæ, videlicet cũ filio familias, vel religioso, vel seruo, vel vxore: tunc enim pecco, & teneor ad restitutionem.

Tertiò: In bello inuasiuo, in quo non mihi licet vti infidelibus contra Christianos, neque hæreticis, contra Catholicos. In defensiuo autem bello licet.

Septima circumstantia, Meditando.

SOlis carnalibus actibus deseruit, ita vt non tantùm in peccatis contra naturam, verumetiam in ipso actu matrimonij inveniri possit. Videlicet, si in tali actu carnali, affectus & imaginatio feratur in aliquem vel in aliquam: tunc enim explicandum erit, cuius status sit illa persona, circa quam cogitatio occupabatur. Propter hanc circumstantiam etiam inter coniuges mentale adulterium, imò etiam sacrilegium inueniri potest, &c.

Octava circumstantia, Cur.

FInem peccati & motiuum ad memoriam reuocat. Quæ tam potẽs est, vt interdum ex peccato quod mortale alias esset, faciat veniale, aut nullum. Vt, si quis vesceretur carnibus in Quadragesima propter imbecillitatem. Et ex nullo faciat mortale: vt, dare eleemosynam mulieri ad inducendum eam in peccatum.

Quæritur hic. Vtrùm peccans obfiduciam seu spem veniæ consequendæ per confessionem, debeat in confessione explicare hanc circumstantiam? *Respondeo breviter.* Si peccat cum hac fiducia, quod aliquando sit consequuturus remissionem (Theologi dicerent fiduciam hanc comitem esse peccati) non requiritur talis circumstantiæ in confessione explicatio. Si autem peccat ex tali fiducia & spe, quòd scilicet spes veniæ est ei occasio, & causa peccandi, qui alias non peccaret (Theologi dicerent talem fiduciam causam peccati) talis circumstantia explicanda est in confessione: quia præfert abusum veniæ, bullæ, priuilegij. Vnde aliquando in Iubileis solent excludi tales à reseruatorum absolutione, ac perinde excipi à participatione Iubilei. Ideò saltem tunc explicandam esse circumstantiam, nemo inficias iret.

Nona circumstantia. Quoties.

NOn tam circumstanria, quàm additio peccati ad peccatum, & monitio, vt qui confitetur peccata eiusdem generis, in numero recenseat.

Quæ

Quæ vt magis elucescat, sex ani-madversiones subijcientur, ac septem interrogationes.

Animadversio. 1. Cum numero semper sunt explicanda peccata, non tantùm actualia, sed etiam mentalia. Quemadmodum & alias circumstantias ipsis quoque mentalibus peccatis apponendas, supra determinatum est.

2. *Peccatorum numerus semper est exprimendus.* Neque sufficit dicere, se pecasse aliquoties, vel multoties, aut infinities, sed in numero certo, si fieri potest, vt puta, decies &c.

3. Si certus numerus sciri non potest, tunc sufficiet verisimilis, videlicet, peccaui circiter decies, vel plus minusve. Talem autem verisimilem numerum colliges facilè: si diligenter te examinaveris, per tempora, hebdomadas dies menses, &c Videlicet, si peccasti ter in hebdomada, vel in mense, aut die: tunc enim subputatione facta, devenies in verisimilis numeri cognitionem. Et tandem satisfacies, dicendo: per annum integrum peccabam, ter aut quater in hebdomada tale peccatum admittens, Et (vt cuidam placet) addas, toties quoties Dominus scit me illum offendisse.

4. Quod si nec verisimilem numerum scire posses, propter diuturnam & longam continuationem peccati; tunc sufficit explicare tempus, quanto in peccato permansisti Vt puta: Si tribus aut decem annis meretricio vacasti: aut vno anno integro preces debitas absolvere omisisti: aut tribus mensibus vindictæ desiderio tenebaris. Nihilominus tamen peccata grauiora & notabiliora, in tali statu peccandi occurrentia, seorsim in numero explicanda sunt, vt: Si quæ decem annis meretricio dedita esset: adulteria, abusus contra naturam, & sacrilegia, quæ ibi rariùs occurrere solent, seorsim manifestare debet.

5. Peccata eiusdem generis, cum diversis personis eiusdem conditionis patrata, sunt revelanda in confessione, cũ numero eorundem peccatorum, absq; numero personarum,

6. Qui certum numerum nesciret, timens vero detrahere aliquid de certo numero, malensq; se aggravare ante Deum in confessione, maiorem numerum proferret; non peccaret mortaliter.

7. Si quis post confessionem cum numero verisimili, seu iuxta supradictã doctrinam factam, resciuerit postea numerum certum, non tenetur repetere confessionem, si numerus certus nõ notabiliter excessit verisimilem. *Exemplum.* Si in confessione dictum est: peccaui decies, plus minusue: non repetam confessionem, etiamsi duabus vicibus numerus certus postea cognitus hunc excedat vel excedatur. At si numerus certus excedat notabiliter numerum verisimilem, (vt puta) *quinque vicibus: plus quàm decies*: tunc secundum quosdam repetenda est confessio tantùm, quò ad hunc numerum talis peccati, si quò ad alia peccata est legitimè facta.

Prima interrogatiuncula.

Si quis perseveret in aliquo peccato (puta in peccato odij, vindictæ, &c.) per vnum integrum annum, quot peccata admitteret? *Responsio.* Tot, quot fuerunt interruptiones per pœnitudinẽ & mutationem malæ voluntatis. Qui autem

autem interrumperet alijs negotijs, nõ deserendo propositum malum; vnum quidem peccatum haberet, sed tantò gravius quantò diuturnius.

2. Qui hæresi detineretur decem annis, legens libros vetitos, sæpiusque blasphemans: quot peccata haberet? *Respondetur.* Vnum ex pluribus compositum. Sufficitque manifestare principale, videlicet hæresim. Nam cætera facilè intelligere potest confessor, ex tali statu. *Si tamen facilè intelligeret.*

3. Qui malediceret patrifamilias, & toti familiæ in communi: quot peccata committeret? *Responsio.* Duo. Nã suæ maledictionis, duas tantùm partes faceret. Licet in familia sint sex aut decem personæ.

4. Qui vno impetu decies percuteret proximum: quot peccata admitteret? *Respondetur.* Vnum tantùm. Similiter, qui vno impetu decies Clericum percuteret; vnam excommunicationem incurreret. Similiter, qui in vna contentione pluries eandem iniuriam repeteret.

Secus autem esset, si vno impetu duos percuteret: duas excommunicationes incurreret. Et qui vno amplexu duas mulieres stringeret; duo peccata admitteret. Similiter in vna rixa, plures iniurias diceret, totidem peccata perpetraret.

Hoc intellige de iniuriis non vni, sed pluribus (quamvis continuato sermone) illatis.

5. Qui statueret dare operam, illicitis tantùm tactibus, & postea in continuatione talium tactuum mutaretur, addendo etiam propositum peccandi actu: quot peccata committeret? *Respondetur.* Duo.

6. Qui totam noctem insumeret in captando occasionem alloquendi, aut videndi mulierem aut peccandi carnaliter; quoties peccaret? *Respondetur.* Semel: si per pœnitentiam non erat mutatus.

7. Qui toto anno insequeretur aliquam mulierem vt ea potiretur: quoties peccaret? *Respondetur.* Toties quoties interrumperet per pœnitentiam, & mutationem malæ voluntatis. Si verò nunquam interrupit, vnum tantùm peccatum admisit, tantò gravius, quantò diuturnius.

Decima circumstantia, Per se vel non?

QVærit de auxilio vel socio peccati. Si videlicet solus peccaverit; an verò alium quoque ad peccandum induxerit, Et licèt possit referri ad circumstantiam scandali: seorsim tamen ponitur claritatis causa. Habet autem locum præcipuè in quinque. In homicidio & percussione: in furto: in vsura: in simonia: & in peccato carnali

OBSERVATIO.

Prima, Qui in peccato carnali vsus est mediatoribus, vel mediatricibus, debet numerum eorundem mediatorum in confessione explicare,

Secunda. Lenones & lenæ tenentur recensere numerum personarum per se seductarum, maximè verò earum quæ alias non erant paratæ ad peccandum.

Tertia. Insuper tenentur explicare statum personarum seductarum: & earum, in quarum fauorem hoc nefandum exercent officium,

Vndecima circumstantia. VBI.

QVærit de loco peccati, An videlicet in loco sacro vel profano. Nomi-

Nomine autem loci sacri, non intelligitur hospitale, neque monasteriũ. neque campanile (nisi sit in cæmeterio) imò neque tectum templi, sed solum templum & cæmeterium.

Hæc circumstãtia non omnibus peccatis est adhibenda, sed præsertim quinque,

Primò, homicidijs & notabili effusioni sanguinis; grauius enim peccatum est, si in templo fiat.

Secundò in furto. Nam auferre ex loco sacro, etiam rem profanam, dum modo spectet ad custodiam templi erit sacrilegium.

Tertiò, in extractione è templo, eorum, qui ad præsidium Ecclesiæ confugiunt.

Quarto, in peccato carnali. Nam in templo ipsum admittere; aut osculis vel tactibus, vel alijs actibus illicitis vacare; grauius peccatum est, quàm si alibi fiant. Aspectus tamen & cogitationes etiam cum consensu in templo factæ, non exigunt huius circumstantiæ explicationem.

Quintò, in cantilenis: quæ si sint profanæ, & cantentur in Ecclesia; siue voce, siue instrumentis musicis, etiam supposito textu deuoto, peccatũ mortale est. Excipiuntur autem (meo iudicio) cantilenæ illæ, quæ ab origine quidem lasciuæ fuerant, tamen in aliquam regionem introductæ sunt simul cum textu spirituali, nec vnquam in vsu fuerunt cum textu profano.

OBSERVATIO.

Comedere, bibere, & dormire in templo; quoniam non militant notabiliter contra reuerentiam templi; sunt peccata venialia tantùm, nisi fiant cum scandalo infidelium.

Duodecima circumstantia, Quomodo.

MOnet confitentem, vt interdum peccati modum necessarium edisserat.

In quinque autem, præcipuè est observanda.

Primò, in contrectatione rei alienæ: an videlicet occultè surripuerit; vel ita manifestè vt rapina sit, quæ grauius peccatum est.

Secundò, in furto: modus rei furto ablatæ dicendus est. an scilicet res sit profana vel sacra? Nam furtum rei sacræ etiã extra locũ sacrum, est sacrilegium.

Tertiò, in sacrilegio. An videlicet aliquis furatus fuerit ex templo, muro vel foribus effractis, vel absque effractione. Nam si adhibeatur violentia cum effractione, vltra sacrilegij peccatum, excommunicatio est.

Quartò, in ludo. Si iustè vel fraude seu dolo lucratus es. Nam vbi dolus inuenitur (si quid notabile lucratus es) ibi peccatum mortale, & obligatio restituendi.

Quintò, in peccato carnali; Si naturaliter vel contra naturam, cum aliquo deliquisti.

Tredecima circumstantia, Quanto.

MOnet, vt, qui confitetur, tempus declaret peccati in quo perseuerauit. Obseruanda autem est, præsertim in tribus.

1. *In consuetudine iurandi*, non considerando, vtrum verum vel falsum sit, pro quo iurat. Talis itaque propalare debet tempus, quanto mansit in hac praua consuetudine.

2. *In odio*, rancore, appetitu vindictæ, &c.

3. *In peccato carnali & oblectatione,* siue

siue per visum, siue per cogitationem, aut quosuis actus illicitos.

Quartadecima circumstantia. Damnificans

HOc est, si peccatum alicuius est cũ damno notabili proximi, siue animæ, siue corporis, siue bonorum.

Habet autem hæc circumstantia locum, in quatuor præsertim casibus.

Primò in ebrietate: si quis solitus & expertus est se alias ebrium magnam turbationem domi facere.

Secundò in ludo: si quis solet ludere & perdere cum notabili damno domesticorum, aut cum multis suis peccatis, scilicet execratione aliorum, vel blasphemia.

Tertiò in homicidio: si quis per te occisus, in peccato mortali occubuit, aut cum inopia & paupertate vxoris derelictæ & filiorum; qui aliter viuere non poterant, nisi per adiutorium occisi; tunc enim satisfactione opus erit.

Quartò in acceptione rei alienæ paruæ si sit cum notabili damno proximi, vt, si quis auferret acum vnam à sartore vel sutore, qua sibi victum comparabat, aliamq; habere non posset; tunc qui abstulit, peccauit mortaliter, ratione huius damni emergentis.

Quintadecima circumstantia,
Precibus grauis.

IDest: si quis magnis & importunis precibus aliquem induceret ad aliquid.

Habet locum, præsertim in duobus casibus.

1. *In ludo.* Vt, si quis importunè prouocaret aliquem ad ludendum, cui ignominiosum esset non assentiri: tunc si per ludum aliquid lucraretur, tenetur restituere, alias peccaret mortaliter.

In peccato carnali: vt si quis induceret importunis precibus, literis vel munusculis ad peccatum quæ aliàs non erat parata peccare, is tenetur hanc circumstantiam manifestare: imo & numerum importunitatum & prouocationum.

Decimasexta circumstantia.
Ad mortale paratus.

ID est: si quis adeo afficitur alicui rei vel operi, quod etiam si mortale peccatum esset, aggrederetur illud opus. Tunc enim licèt in se non esset mortale tamen ratione parati animi, mortale est,

Decimaseptima circumstantia.
Conscius erroris.

HOc est: si quis faceret aliquid, quod non esset peccatum mortale, tamen contra conscientiam erroneam dictantem ibi mortale esse, tunc eo ipso mortale esset. Exemplum Caietani in sua summula, verbo *Conscientia* Si quis crederet esse mortale in Ecclesia spuere, ille peccaret mortaliter, si durante tali erronea conscientia spueret. Tenetur itaque deponere erroneam conscientiam, vel ex se, vel ex aliorum consilio, & sic liberè facere quod faciunt alij,

Decimaoctaua circumstantia,
Contemnens.

HOc est, qui ex contemptu aliquid faciat. Ex contemptu autem facere iudicatur, qui non propterea transgreditur aliquid, quia leue & paruum existimat; sed quia non vult obedire aut subesse legislatori, legi præcipienti, præcepto, regulæ, &c. ac proinde ex eo quòd paruifacit legislatorem, & legem, Vnde quod ex contemptu fit, mor-

mortale peccatum eſt, etiamſi leviſſimum ſit, & alias non mortale.

Vltima circumſtantia. Scandali.

QVæ monet, vt qui confitetur, manifeſtet, ſi aliquo quempiam ſcandalizauit.

Sciendum itaque eſt, ſcandalum tripliciter fieri poſſe.

Primò: Cùm quis dicit aut facit aliquid animo corrumpendi & inducendi aliquem ad peccatum mortale, quod ſcandalum formale dicitur. *Secundò*. Cùm quis peccat mortaliter præſentibus alijs, non quidem animo inducendi eos ad peccatum mortale; tamen veriſimiliter credi & præſumi poteſt alios propterea peccaturos vel tentationem paſſuros, ſuo exemplo: & tale ſcandalum eſt circumſtantia peccati, in confeſſione explicanda. *Tertiò*: Cum quis facit id quod ex natura ſua quidē bonum eſt vel indifferens, ſed tamen apparentiam ſeu ſpeciem habet mali præbentis occaſionem alijs peccandi mortaliter, per detractionem, aut quæcunque alia crimina, quod ille animaduertit aut animaduertere debet: tunc ſi non deſerit tale opus, peccat mortaliter ratione huius ſcandali. *Exemplum*. Si iuuenis teneret domi mulierem propter administrationem rei domeſticæ, vnde oriretur apud alios ſuſpicio, infamia, &c. Is tenetur ablegare à ſe mulierem etiam cum diſpendio rei domeſticæ; quamuis nec per cogitationem quidem peccaret cū ipſa. Quod ſi non facit, peccat mortaliter ratione ſcandali. *Secundum Exemplum* Si aliqua mulier præſentaret ſe conſpectui, ei, quem ſimiliter credit exarſurum in concupiſcentiam eius, licet illa non faciat hoc, animo prouocandi vel peruertendi eum: nihilominus eo ſolo quod non curat vel nihili facit, lapſum vel ſalutem eius, peccat mortaliter, nimirum ratione huius ſcandali.

Occaſione huius circumſtantiæ: circa ſcandalum, quatuor ſunt animaduertenda.

1. Non impedire neque ſubtrahere pueris occaſionem furandi, vt facilius & manifeſtius deprehendantur in furto, conuincantur, & tandem puniantur, non eſt peccatum, præbere tamē occaſionem non licet.

2. Facere, vendere, & commodare id, cuius eſſe poteſt & bonus & malus vſus, non eſt præbere ſcandalum, vt, ædificare tabernas, facere gladios, chartas luſorias; ſecus autem ſi non poſſet eſſe niſi malus vſus. vt, ædificare conciliabula hæreticorum; & irato tradere enſem.

3. Dare mutuo pecuniam ei, quem ſcio expoſiturum eam pro vſuris, etiamſi inde nullam vtilitatem habeam; pecco mortaliter, quia præbeo occaſionem ſcandali.

4. Die feſto ludos exercere, vel comœdias, aut propinare crematum, aut quodcunque aliud facere, propter quod aliqui impedirentur & retraherentur ab auditione Miſſæ, eſt ſcandalum præbere, ac proinde peccatum mortale.

Pro complemento harum circumſtantiarum, animaduertenda ſunt quinq;.

1. Circumſtantia temporis non eſt neceſſariò explicanda in confeſſione niſi ſit peccatum commiſſum in con-

temptum festi, vel animo violandi ipsum.

2. Circumstantia relapsûs vel recidiui, regulariter non est necessariò explicanda, nisi aliquis multoties relapsus veniam impetrauerit, & toties à multis periculis, in quæ propter peccata incidebat, quasi miraculosè liberatus fuerit; tunc enim ratione tam insignis ingratitudinis (ait quidam) explicari debet.

3. Circumstantiæ alleuiantes peccatum, sicut possunt omitti, ita etiam absque piaculo possunt manifestari.

4. Quando plures circumstantiæ concurrunt ad vnum peccatum, omnes sunt explicandæ: vt, Si quis non ieiunaret vigiliam S. Matthæi Apostoli, incidentem in aliquem dierum quatuor temporum. Similiter: si omitteret Missam die Dominico vbi festum celebraretur: vtrumq; in confessione explicare debet.

Scias. Probabile est sufficere. Non audiui Missam die festo. Item, fregi ieiunium. V. 2. Sent. Mor. d. 62. conc. 10.

5. Si quis confessus peccatum mortale, addere circumstantiam necessariam oblitus esset, satisfacit si in sequenti confessione solam circumstantiam exprimit suppresso peccato. Nisi circumstantia explicari non posset absque detectione peccati.

Exemplum.

Si quis votum continentiæ habens, fornicatus fuerit, in confessione verò se fornicatum esse manifestauerit, non exprimendo votum: satisfaciet in sequenti confessione dicendo se oblitum fuisse explicare, quòd contra votum aut iuramentum suum, commiserit quoddam peccatum mortale, de quo tantum in præcedenti confessiõne se accusauit.

Sciendum tamen aliquos authores huic doctrinæ contradicere, atq; velle tam circumstantiã omissam, quã peccatum explicandum esse in sequenti confessione, quod & mihi placet.

QVARTA PARS.

De remedio peccati, quod est Pœnitentia.

DEFINITIO.

POenitentia, est Sacramentum remissionis peccatorum post Baptismum commissorum.

Partes Pœnitentiæ.

Pœnitentia habet duas partes sicut alia Sacramenta: Materiam & Formam.

Forma quidem est absolutio, de qua inferius.

Materia verò duplex: Remota & Proxima.

Materia remota, sunt peccata.

Proxima verò, sunt actus Pœnitentiæ, tam interni, quàm externi: scilicet, Contritio, Confessio, & Satisfactio. Qui quidem actus præparant illa peccata, ut sint apta absolutioni: Non secus ac fornax præparat lutum, faciens ex eo lateres aptos ædificationi.

Hæc

Hæc igitur pars habebit quatuor membra.

In primo, tractabitur de Cōtritione.
In secundo, de Confessione.
In tertio, de Satisfactione.
In quarto, de forma Pœnitentiæ seu absolutione.

DE CONTRITIONE.

Hæc claritatis causa potest distingui sic.

Contritio triplex.

Perfecta, Imperfecta, & Vitiosa.

Discrimen est hoc:

Quod qui habet contritionem perfectam, antequam confiteatur re ipsa, iam habet dimissa peccata: Ita, quod si moreretur ante confessionem in re, non habens copiam confessoris, saluaretur. Requiritur tamen confessio: tum quia contritio includit propositū confitendi: tum quia nullus certus esse potest, se esse contritum: tum quia augetur gratia per subsequentem confessionem.

Qui autem imperfectam contritionem habet, propriè attritus dicitur; & virtute clavium seu absolutionis Sacramentalis perficitur: Ita, quòd ex attrito efficiatur contritus, propter gratiæ collationem per Sacramentum. Qui tamen si moreretur ante confessionem peccatorum mortalium, non saluaretur.

Qui autem vitiosam contritionem habet, etiam accedente absolutione, non percipit remissionem peccatorum, propter obicem quem opponit gratiæ: imò peccat petens absolutionem, sufficientem dispositionem non habens.

Ad perfectam contritionem quatuor requiruntur.

Dolor, Causa doloris, Spes, & Propositum.

1. Dolor quidem non tam sensûs, videlicet lachrymarum, corporalis cruciatus (licet & talis sit vtilis & meritorius) quā voluntatis: qui est displicentia quædam, detestatio, odium peccati, & tristitia in voluntate consistens. Hic autem dolor, debet esse maximus, ita, vt homo malit omnia mala generatim subijsse, quàm peccâsse. Addidi autem *generatim* & non speciatim, hoc vel illud genus mortis: quoniam adhoc induci non debet pœnitens, cum non teneatur tales comparationes speciales facere.

2. Causa doloris, nimirum vt quis propterea doleat de peccato, quod sit offensa Dei super omnia dilecti ac diligendi. Nam si quis doleret de peccato, propter alium respectum, hanc perfectam contritionem non haberet, vt paulo post dicetur.

3. Spes veniæ obtinendæ.

4. Propositum amplius non peccandi, ita, vt malit omnia mala perpeti, quàm peccatum admittere. Non tamen requiritur credere se amplius non peccaturum; hoc enim saperet quandam superbiam: sed satis est, nolle peccare: & proponere id efficere ope divina. Adhuc requiritur *propositum* fugiendi omnes occasiones peccatorum mortalium: item *propositum* confitendi & satisfaciendi.

Imperfecta contritio, quæ communiter appellatur attritio.

EST illa, quæ aliqua vel aliquibus conditionibus caret, requisitis ad perfectam contritionem. Et tamen sufficiens est ad petendam absolutionē; atque adeo perficitur virtute Sacramēti,

Hæc

Hæc itaq; contritio quatuor modos habet,

1. Cum quis reuera perfectam contritionem non habet: Siue propterea, quod non ſummè dolet: ſiue propterea quòd non propter Deum dolet: ſiue propter quemcunque alium defectum: & tamen putat ſe habere contritionem, dolereque ſummè, ac propter Deum. Hic reuera ſolam attritionem habet, ſufficientem tamen ad petendam abſolutionem.

2. Cùm quis agnoſcit ſe non habere contritionem, deſiderat tamen ex corde, habere eam, & deteſtari peccata ſupra omnia deteſtabilia, & vitare ſupra omnia vitabilia, ac per hoc credit ſe aptum eſſe ad petendam abſolutionem. Nam ad abſolutionem ſufficit putare ita ſe eſſe attritum, quod mediante illa fieri poſſit contritus. vt præclarè docet Nauarrus.

3. Cùm quis ex animo dolet mortaliter peccaſſe, & ſtatuit in poſterum nunquam peccare: & ob id principaliter, quod peccatum eſt offenſa Dei; creditque ſuum dolorem eſſe ſufficientem ad abſolutionem: non concipiendo actu peccatum vt rem ſupra omnia deteſtabilem, neque actu conſiderando ipſum vitandum ſupra omnia vitabilia & hæc contritio informis appellatur: ſufficiens tamen eſt ad Sacramentum pœnitentiæ.

4. Cùm quis deteſtatur peccatum cum reliquis conditionibus ad contritionem perfectam requiſitis: hoc excepto quod non principaliter, vt offenſa Dei eſt, *ſed vt aliquod malum inducit. aut infamiæ, aut damni. aut mortis temporalis*, aut gehennæ, aut quia contrariatur virtuti, aut quia animam maculat, aut quia ſeruum & mancipium diaboli efficit: talis attritio ſufficit ad confeſſionem, dummodo admiſceatur (multorum grauiſſimorum authorum animaduerſione) aliquis amor Dei, vel ſaltem quale quale odium peccati, quatenus offenſa Dei eſt: & tandem credat pœnitens talem dolorem ſeu attritionem eſſe ſufficientem ad impetrandam veniam. Nam talem attritionē habens, in Sacramento (vt Concilium Tridentinum aſſerit) diſponetur, id eſt mutabit propoſitum, mutabitur ex timente ſeruiliter, in timentem timore filiali; munitus & fotus calore abſolutionis. Aduerte, ſermonem eſſe de infamia & damno temporali, vt ſunt inflicta à Deo, Dei iram oſtendunt, & quodammodo æternum ſupplicium inchoant.

Vnde pœnitentes ſemper curare debent vt deteſtentur peccata vt offenſa Dei ſunt, & propoſitum habeant amplius non peccandi. Et ad hoc induci debent, per confeſſores.

Non ſunt tamen examinādi vt ſupra omne malum deteſtētur, ſed ne aliquid magis deteſtentur.

Vitioſa & damnabilis contritio duos modos habet.

Primus. Cùm quis vellet non peccâſſe, atque adeò deteſtatur peccatum ſupra omnia deteſtabilia, etiam quatenus offenſa Dei eſt; ſed non ſtatuit abſtinere à peccatis: hoc eſt, non habet firmum propoſitum vitandi omne peccatum futurum, vel occaſiones. Cum tam peruerſa contritione accedens, adeò non perficitur in Sacramēto, vt etiam mortaliter peccet.

Secundus modus. Quando aliquis dolet

let de peccatis propter metum malorum insequentium peccatum, eo animo, quod non cessaret à peccatis si pœnas non timeret. Hæc quoque contritio, non tantùm infructuosa est, sed etiam noui peccati obnoxium facit

De confessione Vndecim dicuntur.

PRimò: definitio videlicet. Confessio est secreta sui ipsius accusatio, & manifestatio peccatorum coram sacerdote exposito

2. Materia confessionis. Materia autem necessaria confessionis; sunt peccata mortalia,

3. Conditiones confessionis. Sedecim autem enumerantur communiter, quæ continentur in his quatuor versibus.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

DECLARATIO

Simplex, id est, non elaborata, non exquisita, non artificiosè contexta

Humilis, intus quidem, reputando se peccatorem: extra verò, omnem modestiam seruando, genu flexo, capite detecto & inclinato,

Pura, id est, sine admixtione impertinentium historiarum, peccatorum alienorum, sed sola propria peccata continens.

Fidelis, vt scilicet certa peccata pro certis, dubia pro dubijs proferat, & nihil prorsus celet.

Frequens, quæ conditio est consilij, non præcepti.

Nuda, non vestita verbis gravitatẽ peccati obscurantibus,

Discreta, id est, prudenter facta, tum quò ad verborum honestatem, tum quò ad ordinem, tum quò ad circumstantias, tum quò ad modum: vt quæ simul explicari possunt, diuisim non dicantur.

Libens. Adsit alacritas animi: cùm confessio ordinetur ad recuperationẽ vitæ & salutis æternæ, non ad interitũ,

Verecunda. Ne peccata dicantur vt fabulæ, vel historiæ, sed cum confusione & pudore.

Integra, id est, ne aliquod peccatum mortale vel circumstantia eius scienter celetur,

Secreta, id est, non publicè facta: exclusis interprete, nuntio, teste, scriptura, &c. quia sic nemo tenetur de necessitate confiteri.

Lachrymabilis, Ne peccata per modũ iactantiæ dicantur, sed cum omni dolore.

Accelerata. id est, non dilata multùm post commissum crimen. Quæ conditio est consilij.

Fortis, id est, superans timorem & pudorem à manifestatione peccatorũ retrahentem.

Accusans, id est, sibi soli imputans peccatum: non cœlo, dæmoni, mundo, carni, socijs, complexioni. item non confiteatur per negationes. Non occidi, &c.

Parere parata, id est, vt confitens obediat confessori in quibus tenetur: veluti restitutionibus, fuga occasionũ, & alijs salutaribus præceptis.

4. *Quis tenetur confiteri?*

Ille, qui post Baptismum habet annos discretionis, atque vsum rationis.

Sunt autem triplices anni discretionis.

ALij enim ſunt ad diſcernendum bonum à malo: & hi regulariter eueniunt in ſeptimo anno: vel (ut alij dicunt) poſt ſeptennium.

Alij ad eligendum ſibi ſtatum: & hi ſunt 12. anni completi in fœmina, 14. in maſculo.

Alij ad diſponendum & adminiſtrandum facultates ſeu bona temporalia: & hi ſunt 25. qui regulariter taxantur à iure.

Aetas itaque requiſita ad confeſſionem primi ordinis eſt, vnde poſt ſeptennium, ſecundum quoſdam, pueri obligantur ad confeſſionem, ſi rationis vſum demonſtrant. Quo tempore tenentur omnino etiam abſtinere à cibis vetitis diebus ieiuniorum, cùm illo tempore ſint doli capaces.

Eadem ætas requiritur ad primam tonſuram, & tres minores ordines (nam Acolytatus ad 12. annum differtur) ac proinde ad Sacramentum Confirmationis, & nonnulli èxiſtimant & ad Sacramentum extremæ Vnctionis, ſi puer aliquo iudicio præditus eſt.

Quamuis ad communionem maior ætas ſit expectanda: vnde ſi viuaciſſimus puer ante decimum annum eſſet, admitti poſſet. Alij vero tunc, quando deuotam & reuerentialem diſcretionem habent, ſecundum parentum iudicium, & Confeſſoris conſilium. In puellis id contingere ſolet, vt plurimùm in decimo anno.

Ad votum autem faciendum ut ſit ratum: ſufficiunt in fœmina 9. anni cum dimidio: in maſculo 10. cum dimidio. Licet hâc ætate factum poſſit irritari. At cùm perueniunt ad annos ſecundi Ordinis, nullo modo irritari poſſunt.

Vt ſit ratum &c. Hoc eſt, ut ſit indubitanter firmum & omnino certum. Ante præfatam enim in textu authoris ætatem vota non ſunt indubitanter firma & omnino certa. imò Sotus L. 7. de justitia q. 71 a. 2. ait. ante annos pubertatis (qui hic ſecundo ordine ponuntur) non tenemur Eccleſiæ Sacramentũ. jejuniorum legibus, ac proinde nec voto, niſi certiſſimè conſtet de vſu rationis ſufficiẽti. Sotum ſequitur Gobat Tr. 4. Theologia experimentalis.n. 118. Scias 2 Quando dicitur, vota poſt annos ſecundi ordinis, non poſſe irritari, hoc intellige, de votis perſonalibus. Nam vota realia vel etiam mixta facta annum vigeſimum quintum (excepto voto eundi Ieroſolimam Cap. ex multa de voto) poſſunt irritari à parentibus, vel tutoribus. V. 1. Sent. Mor. d. 15.

5. *Quando quis confiteri teneatur.*

RESOLVTIO.

QVolibet anno ſemel ad minus. Quod ſi aliquis non eſſet conſcius mortalis peccati, nihilominus teneretur adire confeſſorem, atque hoc ipſum ei exponere.

Præterea communicaturus, celebraturus, ſi ſit conſcius mortalis peccati, ſimiliter teneretur confiteri,

Item, quando imminet veriſimile periculum mortis: vt præliaturis, nauigaturis (ſi timetur naufragium) cum difficultate parituris (ſi alias expertæ ſunt periculum mortis) & tempore peſtis.

Adhuc, quando conſcientia dictat per ſtimulos & inſpirationes, vt peccator ad Deum conuertatur.

Poſtremò, quando credit quis ſe toto anno non habiturum opportunitatem confitendi.

6. Quanta

6. *Quanta præparatio requiratur ad confessionem.*

RESOLVTIO.

TAnta, vt pœnitens colligat se, & curet reuocare in memoriam omnia peccata omnesque circumstantias.

Porrò conscribere peccata ad memoriam iuuandam laudabile quidem est, si circumspectè fiat: nullus tamen obligatur ad hoc.

7. *Obliuioso quid facto opus sit?*

QVi post confessionem ante sacram communionem animaduertit & meminit peccatum in confessione per obliuionem omissum, debet reuerti ad confessorem antequam communicet, aut differre communionem: nisi recursus & dilatio suspicionem infamem pariat: si confessores sint occupati multitudine confitentium & omissio communionis sit scandalo: tunc enim posset accedere ad sacram communionem & eodem vel ad maius sequenti die reuerti ad confessorem.

8. *Licetne vti duobus confessoribus, vt coram vno manifestentur peccata leuiora, coram altero vero grauiora.*

Responsio. Non esse illicitum salua integritate confessionis, si videlicet cũ levioribus peccatis non concurrunt grauiora: vt puta, dum quis tantùmmodo peccata leuiora habet, vtitur vno confessore: dum verò grauiora occurrunt, quærit alium. Nunquam tamẽ diuidere licet confessionem, ita, vt vna pars coram vno confessore, & altera coram alio dicatur: hoc enim sacrilegium esset.

Hoc sic intellige. Si coram primo confitetur venialia, vel non omnia mortalia, Sacrilegium est. Quia in mortali præsumit recipere Sacramentum. Nisi ignorantia excuset. Si coram primo confitetur, omnia mortalia, non peccat, saltem mortaliter.

9. *Manifestare ea quæ quis audiuit à Confessore in confessione.*

TVnc est peccatum mortale: quando reuelatio ista, vel in damnum, vel in infamiam, vel in contemptum, vel irrisionem notabilem confessoris cedit.

10

Pluries repetere eadem peccata in diuersis confessionibus propter diffidentiam remissionis peccatorum: aut cũ periculo incidendi in laqueos & scrupulos, peccatum est.

11. *Quæritur, an liceat aliquando sine confessione Sacramentum Eucharistiæ percipere?*

Respondetur. Id regulariter non licere, nisi in sex casibus.

Primus est. Quando aliquis in articulo mortis constitutus, non haberet confessorem, qui intelligeret linguam eius; vel si sacerdos esset mutus, aut surdus: vel ipse pœnitens perderet loquelam, qui antea desideravit Sacramentum; in tali casu debet dari ei communio sine confessione: imò & à censuris debet absolui: nullo modo tamen à peccatis, nisi manifestet aliquod peccatum in particulari per signa. Neque enim sufficit in communi manifestare se esse peccatorem: pectus tundendo, caput inclinando, &c ad obtinendam absolutionem à peccatis: sed necessarium est, vt confessor deueniat, in cognitionem alicuius peccati in particula-

ticulari. Quamuis Candelabrum id fieri posse existimet. *de absolutione*, num. 70.

Secundus. Si quis extra patriam, in aliena regione, cuius idioma non intelligeret, neque ipse ab alio intelligi posset, occurrente tempore Paschali, non posset communionem sine scandalo prætermittere aut differre: tunc si peccatorum tantùm conscius est, & non excommunicationis, debet accedere ad sacram communionem cum sola contritione: Et per primam occasionem confiteri. Imó etiam si haberet excommunicationem occultam; secus, si haberet manifestam: tunc supersedere deberet à communione.

Tertius. Religiosus habens casum reseruatum imminente communione generali, nec habens copiam Prælati, vel alterius habentis facultatem super illum: si non potest sine scandalo & suspicione per aliquam simulationem subtrahere se à communione, potest cum sola contritione: aut (si adsit aliquis sacerdos) cum sola absolutione à non reseruatis accedere ad sacram communionem: nisi impediat manifesta censura. Hoc tamen frequenter facere non debet: sed ad maius semel: ne detur occasio peccata peccatis addendi. Et nihilominus debet petere quamprimum absolutionem.

Quartus. Sacerdos in itinere constitutus, die festo, conscius peccati mortalis, si nec potest confessorem habere, nec alterius sacerdotis Missam audire, nec celebrationem omittere sine scandalo: maximè si comites itineris propterea Missam illo die non audirent, debet cum sola contritione celebrare: & per primam occasionem confiteri.

Quintus Sacerdos postquam accesserit ad altare, & si recordatus fuerit peccati, cuius in confessione non meminerit, debet Missam prosequi absq; recursu ad confessionem.

Sextus. Sacerdos vnus tantum existens penes Ecclesiam, & multùm distans ab alio sacerdote, si die festo manè peccaverit, nec potest adire confessorem, & opportunè reuerti: similiter si manè peccauerit mortaliter, & propter funeris præsentiam requiritur omninò Missa: potest celebrare cum sola contritione, & postea quàm citiùs confiteri: sed perpende benè, an habeas contritionem illam perfectam: saltem per coniecturas

Si quæris, quanta distantia?

Respondeo: Eam arbitrio viri prudentis committi. Nihilominus addo:

Si Sacerdos distaret à confessore per vnam leucam, hoc est per quinque milliaria Italica, posset celebrare cum sola contritione, si manè peccauit, nec potest adire confessorem & opportunè redire pro hora Missæ celebrandæ: similiter, si vesperi peccavit, manè sequenti posset celebrare, si vesperi peccauit, manè sequenti posset celebrare, si per tres leucas distaret, nec posset reuerti à confessore pro hora sacrificij.

Similiter si distaret per decem leucas, & tribus continuis diebus festa occurrerent, posset illis omnibus diebus tribus celebrare cum sola contritione: & cum sequentibus tribus limitationibus,

Scilicet, ne in spem huius consilij liberiùs peccet: deinde si peccatum accidit ei, & non sit in statu peccati: vltimò ne post illa tria festa absque confessio-

fessione celebret. Hinc alios casus intelligere poteris.

De Satisfactione, de qua dicuntur quinq;

1. Confessor debet audita confessione imponere satisfactionem pœnitenti; nisi impotentia, vel articulus mortis excuset.

Confitens autem debet acceptare, & acceptam implere per se ipsum, non per alium: nisi in articulo mortis, vbi potest alteri committere: vel nisi aliter confessarius ordinauerit. Scias, moribundum non committere satisfactionem alteri, vt à Sacerdote iniunctam, sed vt alias debitam.

Curare præterea debet, vt eam impleat in gratia: Licet qui in peccato mortali impleret, non tenetur ipsam reiterare.

2. Opera, per quæ satisfaciamus Deo pro peccatis, quædam sunt temporalia, vt eleemosyna: quædam corporalia, vt ieiunia, vigiliæ, flagellationes, peregrinationes & aliæ corporis afflictiones: quædam spiritualia, vt orationes, meditationes, Sacramentorum frequentationes, &c.

3. Tanta satisfactio est imponenda, quanta propiùs accedere creditur ad æqualitatem pænarum pro peccatis debitarum: non maior, ne confessor indiscretus sit: nec minor, ne pœnitentiam ridiculo exponat. Et vt sacrum Concilium Tridentinum dicit, ne Confessor particeps alienorum peccatorum efficiatur, leuissima opera pro grauissimis peccatis iniungendo.

Licet tamen monere ac petere confessorem, vt minuat satisfactionem, si cui intolerabilis videtur: siue in confessione, siue post confessionem. Et in defectu sui confessoris, potest petere ab alio, dummodo iste habeat authoritatem absoluendi, ab illis peccatis, pro quibus ille prior confessor imposuit talem pœnitentiam.

Vnde, Confessor satisfactionem prudenter debet semper moderari, & temperare, habita ratione personarum, occupationum, infirmitatum: & potiùs de misericordia cum Chrysostomo quã de iustitia velle iudicari.

4. Nunquam satisfactio publica imponi debet pro peccatis occultis, præsertim ex qua deueniri possit in cognitionem peccati.

5. Comites satisfactionis sunt duo, sine quibus non potest absolui pœnitens.

Restitutio famæ; & bonorum alienorum, vel quocunque titulo debitorum. Et fuga occasionum, inducentium ad peccatum mortale.

De absolutione, quæ est forma huius Sacramenti Poenitentiæ, de qua quindecim dicentur.

1. Forma essentialis absolutionis sunt illa tria verba: *Ego te absolvo.* Quorum verborum Confessor magnam rationem habere debet, & distinctè proferre.

2. Annexa huic formæ, eo ordine proferri debent, vt primo dicatur: *Si teneris aliquo vinculo excommunicationũ, &c.* Secundò, *Misereatur &c.* Tertiò, *Dominus noster. &c.* Vltimò, *Passio Domini, &c.* Super eos autem qui crebro confiteri solent, sufficit ista dicere; *Si teneris aliquo vinculo excommunicationũ, suspensionũ, interdicti, à quo absoluere possum, ego absolvo te, In nomine Patris, & Filij, &*

lij, & Spiritus sancti, Amen. Deinde: *Dominus noster Iesus Christus te absoluat: & authoritate ipsius qua fungor, ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, &c.*

His autem annexis aliquid adniscere, nunquam est necessarium, nisi cùm certùm est aliquem esse excommunicatum: tunc enim omittenda est illa conditionalis, *Si teneris.* Sed statim dicendum est: *Authoritate Domini nostri Iesu Christi, mihi (si delegatam habeat potestatem) per N. commissa, tibi concessa: Ego absoluo te à vinculo excommunicationis maioris, quā incurristi, propter talē causam, &c.*

3. Quando pœnitens est bene dispositus; videlicet habens verum dolorem & firmum propositum non peccandi, tenetur eum absoluere Confessor. Quod si non facit, mortaliter peccat: & grauem pœnitenti iniuriam infert: vt benè aduertunt, Bartholomæus à Medina: & Author Candelabri. Totis autem viribus curare debet, pœnitentem cum absolutione remittere: quantum fieri poterit, per facultates suas, & dispositionem pœnitentis.

4. Si pœnitens nulla peccata habet: nullo modo Confessor verba absolutionis proferre potest supra ipsum. Quod si pœnitens exigat absolutionem, saltem aliqua peccata ex præteritis confessionibus manifestare debebit, & tunc obtinere poterit absolutionem.

5. Extensio manus Confessoris supra pœnitentem, aut tactus capitis dum forma absolutionis profertur, aut post prolationem, omnino necessarius non est.

6. Potest confessarius diuidere absolutionem à confessione propter rationabilem causam, neque necessarium erit meminisse peccata, tempore absolutionis.

Sciat. Hic non excludi confusam memoriam status pœnitentis: quæ saltem est necessaria.

7. Interdum tenetur Confessarius, differre vel denegare absolutionem, vt infrà dicetur.

8. Absolutio in spem ratihabitionis, nunquam est licita, neque absolutio sub conditione de futuro: videlicet, *Si restitues, ego te absoluo.* Impenditur tamē aliquando, sub conditione de præterito, vel de præsenti; vt, *Si vera peccata habes, ego absoluo te.*

9. Non potest confessarius absque sacrilegio repetere formam absolutionis supra vnam eandem confessionem.

Si tamen fuerint diuersæ confessiones, licet sint eadem peccata, potest. vt, Si vellem non ex diffidentia, sed ex humilitate, crastina die, hodiernam confessionem repetere, posset confessarius supra eadem peccata, formam absolutionis proferre, nam confessio alia est.

10. Potest intrepidè repeti & proferri forma absolutionis supra peccatū vnum, quod quis in confessione præcedente oblitus fuit.

11. Si quis tempore Iubilei oblitus est peccatum reseruatum confiteri, potest transacto Iubileo ab illo peccato absolui per quemcunque confessarium.

12. Hoc idem intelligendum est de peccatis quomodocunque & vbicunque reseruatis: si facta erat confessio aliquando, durante authoritate superioris, vel ei qui habebat facultatem supra illum casum reservatum obliuioni traditum.

13. Si quis tempore Iubilei habens peccata mortalia, tam reseruata quàm

non

non reseruata, in confessione manifestaret tantùm reseruata, non reseruata verò celaret, ac proinde inualidè absolueretur; is si postea rediret ad cor, posset à quolibet confessore absolui etiam à reseruatis. Nam peccatum reseruatum, semel cognitum ab Ecclesia, cessat esse reseruatum.

14. Cùm Prælatus in religione dat facultatem absoluendi a casibus reseruatis, eo ipso aufert reseruationem, a præteritis peccatis, ita, quòd in potestate est subditi confiteri illo vel sequenti die, & absolvi a peccatis quæ iam reseruationem amiserunt. Nisi limitatio per aliqua verba Prælati impediret; vt puta, si diceret, authoritas durabit vsque ad finem officij. Per hæc verba indicaret peccata quæ iam cessaverunt esse reseruata, transacto termino, reindutura reseruationem.

15. Imminente periculo mortis, nō exspectet confessionem omnium peccatorum; sed audito vno vel duobus peccatis, absolutionem tribuat; nisi citra periculum, possit differre ad finem totius confessionis.

QVINTA PARS.

De conditionibus Confessoris.

SEx sunt conditiones Confessoris. Potestas, scientia, prudentia, bonitas, sigillum, & fortitudo seu audacia.

De potestate duodecim dicentur.

1. *Diuisio.* Duplex vulgò dicitur esse potestas. Ordinis, quæ habetur statim ab ipsa legitima consecratione. Iuris dictionis, quæ habetur ex officio Pastorali, aut ex commissione.

Hinc iurisdictio duplex dici potest: Ordinaria & delegata.

Ordinariam habent tres tantùm Pastores: Papa in vniverso orbe: Episcopus in tota Diœcesi; Parochus in sua paræcia,

Delegatam verò habent omnes alij Confessores, qui eam obtinuerunt vel a Papa, vel ab Episcopo, vel a Vicariò suo, seu Officiali generali Episcopi, vel a Plebano, Curato, vel Commendario per Episcopum substituto loco Curati. Hi omnes solent dare facultatem audiendi confessiones; cum hoc tamen discrimine; quòd Papa, Episcopus & Vicarius eius, possunt simul duo conferre: & approbationem idonei confessoris, & admissionem ad confessiones audiendas. Cæteri verò omnes possunt conferre admissionem ei, qui iam approbatus est ab Episcopo vel eius Vicario.

Exemplum.

Occurrente frequentia pœnitentium in vna paræcia, potest parochus committere confessionum audientiam viciniori Plebano aut Vicario perpetuo alicuius paræciæ. Nam isti iam sunt approbati per Episcopum.

Hic nota discrimen inter sæculares confessores & regulares. Quòd Episcopus potest ad libitum Presbyteris sæcularibus conferre & auferre approbationem; Regulares verò confessores semel approbatos nunquam potest reprobare, nisi fortè superuenerit noua & gravis causa. Nihilominus

duran-

durante ista appobatione, cuilibet potest committi audientia confessionum, vbicunque fuerit.

2. *Limites potestatis*, quos obseruare debet confessor tam loci, temporis, quàm personarum.

Loci, Vt si expositionem seu admissionem habet ab Episcopo, potest excipere confessiones in toto illo Episcopatu, etiam contra voluntatem Parochorum, si habet admissionem a Parocho, tantùm in illa Paraecia absoluere potest.

Temporis verò, vt si exponitur ad Cōfessiones absque determinatione temporis, semper censendus est expositus, licet aliquoties exeat Dioecesim illam, & aliquoties reuertatur.

Similiter, licet moriantur Episcopi, & noui succedant, valida erit illa antiqua expositio absolutè facta, absque temporis limitatione; nisi nouus Episcopus aliquid innouauerit & antiquas admissiones reuocauerit.

Materia autem: Obseruandum est, an facultas se extendat ad omnes casus etiam reseruatos, similiter, an se extendat ad censuras. Nam nomine casuum intelliguntur tantùm peccata & nō censurae. Et nomine censurarum, nō intelliguntur irregularitates, nec votorum aut iuramentorum relaxationes.

Vnde etiam in Iubileis non solet dari facultas supra irregularitates.

Probabile. Nomine censurae virtute jubilaei absolubilis venit etiam irregularitas ex delicto proueniens. Quia est censura V. 3. Sent. Mor. d 1. conc. 1

Itaque si quis praesumeret absolvere à censura vel casu reseruato non habēs facultatem, mortaliter peccaret, & absolutio esset nulla, tantùmque valeret quantùm si à laico impenderetur.

Limites personarum Nimirum, vt expositus in aliqua Dioecesi possit absoluere ex illo Episcopatu personam, tam intus quàm extra Episcopatū. Alterius verò Dioecesis homines regulariter absoluere non potest saecularis Presbyter; licet per Priuilegium Sixti Papae Quarti, Religiosi confessarij possint audire confessiones vndecunque venientium, tam ex Episcopatu pro quo sūt praesentati, quàm ex alijs Episcopatibus pro quibus non sunt praesentati; Dummodo tamen id faciant in illo Episcopatu pro quo sunt admissi, & non extrà, & praeterea ille, qui petit confessionem, non sit Religiosus, hic enim sine facultate sui Praelati, alterius ordinis sacerdoti confiteri non potest, nisi sit in itinere, carens sacerdote sui ordinis.

3. *Impedimentum potestatis.* est censura, irregularitas, Reseruatio, Prohibitio Praelati facta subdito in religionibus. Nam excommunicatus, irregularis, notoriè, &c. si praesumit absoluere, est inualida absolutio.

Similiter: si Religiosus alias per Episcopum admissus contra prohibitionem sui Praelati audit confessiones; peccat mortaliter, licet validè absoluat.

4. *Potestas in articulo mortis.* Sciendum est, quòd in mortis articulo omnis casus, omnis censura, amittat reseruationem, adeò vt quilibet sacerdos etiam non expositns (si desit alius) etiam Censuris irretitus, degradatus (semper intellige, si alterius copia haberi non possit) insuper vt multi docent, etiam schismaticus, haereticus, dummodò intendat absoluere, & subuersionis nullum sit periculū ab omni

pecca-

peccato, & omni censura, absoluere possit.

Si tamen facilis est recursus ad superiorem, negligendus non est: nisi adsit priuilegium recipiendi absolutionem semel in vita, semel in morte ab omnibus casibus; & nisi sit periculum in mora.

5. *Potestas Prælatorum in Religione.* Prælati religionum ab omnibus excessibus suos subditos absoluere possunt: exceptis enormibus. Enormes autem sunt, iuxta declarationem Pauli tertij: Recidiua hæresis; Schisma, Falsarij crimen, & illius qui defert ad infideles prohibita in Bulla Cœnæ Domini, imò verò, propter declarationem Greg: 13 in nullum casum Bullæ Cœnæ Domini potestatem habent.

Quoad dispensationes verò super irregularitatibus possunt dispensare, super quibuscunque: tribus duntaxat exceptis videlicet prouenientibus ex Bigamia, Homicidio voluntario & mutilatione similiter voluntaria. Voluntarium autem hic intellige, quod est directè intentum, & ex industria factum.

6. Religiosi itinerantes possunt confiteri. & absolui à quocunque sacerdote exposito, vbi sui ordinis sacerdotis copiam habere non possunt.

7. Papa, propterea, quòd nulli particulari est subditus vt proprio sacerdoti, sed est liber: potest absolvi, ab eo cui se subijcit.

8. Episcopi & omnes Prælati exempti (nimirum qui nullum regulariter superiorem agnoscunt in domo) habent facultatem à iure, eligendi sibi confessorem.

9. Venialia tantum peccata habens à quolibet sacerdote audiri & absolui potest.

10. Itinerantes, ex concessione Eugenij quarti, vbicunque se inueniunt tempore Paschatis, censentur acquisiuisse incolatum, quò ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ.

11. Vagabundi qui nullibi habent domicilium, vel si alicubi habet ipsum, cum vxore & filijs; tamen sunt in continuo ferè motu: possunt confiteri & absolvi per confessarios expositos, vbi se inveniunt.

12. Consuetudo præscripta habendi curam animarum, efficit, vt Cardinales & alij similem curam habentes, possint suam familiam absolvere, aut de eorum licentia, sui familiares confiteri cui velint.

De scientia Confessoris.

1. Scire debet confessor inprimis varietatem peccatorum: vbi & discrimen inter veniale & mortale comprehenditur, & diversitas peccatorum mortalium: necnon vsurariorum, periculosorum ac intricatorum contractuum, simoniarum, &c:

2 Quæ & quot sint peccata mentalia mortalia?

3. Circumstantias peccatorum, adhibendas tam actualibus quàm mentalibus mortalibus?

4. Quæ habeant annexam restitutionem? Et quándo quis excusetur à restitutione facienda?

5. Quæ peccata habeant reseruationem?

6. Quæ excommunicationem. Vbi etiam scire debet, censuras, irregularitates, & alia impedimenta canonica.

7. In quibus casibus confessiones sint inualidæ ac proinde iterandæ?

8. Quando deneganda est absolutio, aut saltem differenda? Vbi debet sci. re, quomodo cognoscendum sit confi. tentem esse in statu peccati mortalis.

9. Debet scire legem Dei, secundum quam iudicaturus est.

10. Peccata diversorum statuum, de quibus interrogandi sunt pœnitentes, ignari & imperiti.

11. Canones pœnitentiales: non quòd tales pœnitentias in foro interiori infligat, sed vt sciat ex eis taxare pœnitentias iniungendas, habita ratione personarum, & aliarum circumstantiarum.

12. Habere debet scientiam, quæ medicatiua dicitur. Nam cùm confessarius iudex sit ac medicus simul, debet scire inquirere vt iudex, & mederi vt medicus. Quæ hactenus dicta sunt, ad scientiam inquisitiuam pertinent.

Ad medicatiuam autem spectat scire emollire cor impœnitentis, obdurati, & excœcati, desperatum erigere, pusillanimem confortare: aut remitte re ad peritiorem confessarium. Et breviter, in medijs necessarijs ad salutem, scire providere sive per seipsum, siue per alium. Vel saltem sciat exonerare se, dicens: Fili, pro salute tua, qua nihil pretiosius est, quære alium confessorem, ego enim non possum mihi, conscientiæque meæ, satisfacere, in hoc meo tecum negotio, propter ea quibus te irretitum cognosco.

Hanc scientiam medicatiuam confessor vt acquirere possit, debet libros spirituales quotidie versare, documenta Patrum, Sanctorum exempla in promptu habere, atque in studio meditationis ipse quoquemet assiduus esse, Multum iuuabunt opera Granatensis, Gosteri, Dionysij Carthusiani, & aliorum.

OBSERVATIO.

1. Supradicta tenetur scire confessarius, siue Latinè, siue vulgariter, iuxta conditionem loci & personarum, vbi & quarum confessiones audit.

2. Tenetur autem sic scire, non quòd teneat illa memoriter vel semper in promptu habeat, sed vt pro occasione, audiendo confessiones, sciat saltem dubitare de reseruatione, censura, restitutione, statu, &c. Et inde recurrere ad libros, vel ad peritiores viros pro consilio.

3. Confessarius qui absque tali sufficientia confessiones excipit, peccat mortaliter: & si in tali officio perseuerat, est in statu damnationis: imò & Prælati, qui hoc iubët & permittunt, nec in hoc tenetur Prælato obedire subditus, si ad audiendas confessiones omnino non est idoneus.

4. Interdum (& vt Theologi dicunt per accidens) talem insufficientiam confessarij, supplere potest pœnitentis scientia; & conscientia, si talis videlicet persona est, quæ absque huiusmodi laqueis, & intricatis casibus est: vel quæ sibi sufficiens est, & reputatur bonæ conscientiæ.

NOTA.

Hæc quæ recensuimus, ferè omnia alibi explicata sunt: paucis exceptis, quæ etiam hic subijcientur.

RESTITVTIO.

Hæc annexa est omni acquisitioni iniustæ, retentioni, & participationi rei alienæ, atq; illationi damni.

Excusantur autem multi à restituti- one

one facienda, propter aliquas causas: quæ si durant perpetuò, semper excusant: si ad certum tempus: excusant à statim facienda restitutione.

1. Si nescitur dominus, vt in rebus inventis, factâ priùs debita & morali diligentia inueniendi dominum, nempe affigendo schedulas in plateis, vel parœcia, aut aliter. Sed tunc nullo modo excusatur quis à restitutione, licèt excusetur à facienda certæ personæ: obligatur enim ad faciendam restitutionem Christo, id est pauperibus. Si autem ipse quoque pauper fuerit, poterit sibi ipsi tanqvam vni ex pauperibus relinquere: & ad cautelam de consilio docti confessoris, nec sit aliqua fraus.

2. Si invenitur quidem dominus, sed difficilis est ad eum accessus, vel cum periculo vitæ & salutis, aut cum scandalo fieret: vel cum amissione famæ quæ est maioris ordinis bonum, & restitutio neque per confessorem, neque per alium internuntium absque his periculis, fieri potest: tunc, si hoc periculum temporale est, restitutio differenda est: si perpetuum, non omnino liberat ab obligatione: nam ad dandum pauperibus adstringit.

3. Si est impotens, videlicet in extrema necessitate constitutus, non habens aliud, quàm quod ad suam suorumque vitam est necessarium. Nisi creditor eadem necessitate premeretur, & dominium penes eum semper remaneret, & nunquam ad debitorem transferetur: Hæc impotentia si semper durat, excusat perpetuo.

4. Si creditor condonat, siue sua sponte, siue ad petitionem debitoris. Nam licet obligato ad restitutionem quomodocunque petere à creditore remissionem, quæ erit valida, nuncupata virtualis restitutio.

5. Si obsequia sua exhibet solutione digna, non tamen soluta, restitutioni æqualia.

Confessiones invalidæ ac proinde iterandæ.

Aliquæ ex parte confessoris: aliquæ ex parte confitentis.

Ex parte Confessoris. Si non erat ordinatus sacerdos, aut non expositus ab Episcopo, aut non habens potestatem super reseruatum casum, aut erat publicè excommunicatus: aut valide ignarus videlicet quòd nesciat discrimen, inter mortalia & venialia peccata, neque differentiam inter maiorem & minorem excommunicationem: neque peccata mortalia communia cum debitis circumstantijs. Aut nesciat iudicare inter absolvendum & non absolvendum. Aut pœnitentis peccata intricata non intelligat: aut nesciat proferre formam absolutionis: Aut sit surdus: vel non intelligat nec percipiat sermonem confitentis, propter malam eius narrationem, aut quamcunque aliam causam, Et si circa dubios contractus, nesciat saltem dubitare.

Ex parte Confitentis. Si non habuit detestationem, seu dolorem pro peccatis. Si non habuit firmum propositum vitandi peccata. Si non habuit voluntatem deserendi statum mortalem, vt concubinatum, vsuram, vindictas, inimicitias, ebrietates: propinationes cremati, tempore divinorum Officiorum in festo vel Dominica; & susceptiones ad bibendum cum ebrietate; Si non habuit propositum fugiendi occasiones mortalium peccatorum. Si non

non habuit propositum restituendi aliena. Si non integrè confessus fuit, sed celavit aliquid ex timore, verecundia, vel negligenti discussione conscientiæ ante confessionem. Si mendacium in confessione circa mortale peccatum commisit. Si numerum, & alias circumstantias peccatorum non expressit.

De absolutionis denegatione aut dilatione.

SCiendum inprimis est, sacerdotem committere sacrilegium, si absoluat quem absoluere non debebat: quia infert iniuriam Sacramento pœnitentiæ. Neganda itaque est absolutio aliquando, quamuis hoc faciendum sit bonis modis, persuadendo pœnitenti, vt reuertatur ad cor, pericula consideret, & resipiscat, &c. Quòd si non acquieuerit, malumque suum statum non deseruerit, etiamsi importunè satagat extorquere absolutionem, vel præseferat desperationem, absoluendus non est. Casus autem in quibus tenetur confessor denegare, aut differre absolutionem, sunt isti.

1. Si non diligenter examinavit conscientiam: nisi in hoc defectu peritus confessor supplere possit.

2. Si dolorē pro peccatis non habet.

3. Si non habet propositum emendandi se. Quanquam si desiderat ex corde vitare peccatum, sed tamen conscius propriæ fragilitatis, quam expertus est, credit se relapsurum: absoluendus est. 4. Si non habet propositum deserendi statum peccati mortalis, vt vsuras; ebrietates, concubinas, &c. 5. Si in consuetudine habet ad quamlibet occasionem iurare; non considerando an verum vel falsum sit, pro quo iurat. 6. Causidicus si paratus est suscipere causam, non curando an iusta vel iniusta sit. 7. Si satisfacere, restituere, & soluere quæ debet, nolit. 8. Si iniurias illatas dimittere nolit, vel petere condonationē iniuriæ ab eo quē offendit. 9. Si odia, inimicitias & factiones foueat, perseuerareque intendat. 10. Si amicitias inhonestas habere & continuare velit. 11. Si occasiones peccatorum mortalium fugere nolit. 12 Si officium damnabile desere nolueri, vt meretricis, vsurarij, lenonis, lenæ, tabernatorum, quædā crimina lucri causa admittentium, vt ebrietates, fornicationes. 13. Aleator, qui subtrahit familiæ de necessarijs vel iniurias solet inferre proximis, aut peierare, aut lites excitare. 14. Clericus officium non recitans. 15. Plura beneficia habens, etiam cum dispensatione, sine iusta causa: cum tutus in conscientia esse non possit. 16. Laicus si tenet beneficium Ecclesiasticum. 17. Clericus beneficiarius, si non suscipit ordines maiores infra annum à collatione beneficij. 18 Si animaduertit confessor ex ipso cursu confessionis, pœnitentem nolle integrè confiteri.

Occasione verborum: præseferat desperationem &c: item n. 5. si in consuetudine habeat &c. v. dicenda in Exam: Approb: de Absolutione Titulo 6. q. 14.

Canones Pœnitentiales.

1. SAcerdos qui fornicatur, pænitentiam agat annis decem.

2. Sponsam alienam de præsenti accipiens, septem annis, & diebus 40. in pane, & aqua ieiunet.

3. Monialis quæ fornicatur vel contrahit,

trahit, similiter ille qui cum ea, annis 10. Clericus deponitur ab officio & beneficio.

4. Sacerdos celebrans & Sacramentum non sumens, vno anno: interim à communione abstinet.

5. Sacerdos qui pannis altaris mortuum inuoluit, annis 10 mensibus 5. Diaconus verò tribus annis, mensibus sex.

6. Qui scienter contrahit, vel peccat cum duabus sororibus, vel cum matribus: aut sorore, vel cum matre & filia, vel cum patre & filio, vel duobus fratribus, annis 8

7. Sacrilegus polluens Chrismã, calicem, vel Sacra: annis 7. In singulis hebdomadis ieiunet. Et tribus mensibus abstineat à carne & vino.

8. Qui celat se cognouisse mulierem, quam postea frater eius duxit in vxorem, annis 7.

9. Solenniter pænitens recidiuans, annis 10.

10. Contrahens cum adultera annis quinque.

11. Parentes dirimentes sponsalia filiorum, & filij si postquàm consenserunt, postea rursum dissenserunt: communione priuantur annis 3.

12. Sacerdos qui interest clandestinis desponsationibus, per triennium ab officij sui & consequenter beneficij administratione amouetur.

13. Clericus aliter officians per contemptum, quàm in Ecclesia Metropolitana: mensibus sex, communione priuatur.

14. Qui dominum aut vxorem interfecit, nunquã matrimonium contrahat, & annis decem à carnibus & vino abstineat.

15. Matrem occidens, annis 10. pœniteat.

16 Clericus patricida, statim deponitur, & curiæ sæculari traditur.

17. Qui simplex votum violat annis 3.

18. Blasphemans publicè Deum vel Sanctos, annis 7.

19. Incendens Ecclesiam, restituat: & pœniteat annis 15

20. Comburens domum vel aream, annis 3.

21. Sacerdos excommunicatus celebrans, annis 3. Singulis hebdomadis feria 2. 4. 6. ieiunet.

22. Sacerdos degradatus si celebrat, vsque ad mortem priuatur Eucharistia, & est excommunicatus: habet tamen in morte viaticum.

23. Episcopus dissimulans corrigere venditiones ministeriorum, mensibus duobus pœniteat. Sacerdos verò hoc agens, annis 4. Diaconus 3. annis. Inferiores excommunicentur.

24. Iniustè excommunicans, interdictus ab Ecclesiæ ingressu per mensem.

25. Sacerdos qui fornicatus est cũ filia spirituali vel cum sua pœnitente, 12. annis & ad mortem seruiat in monasterio. Si Episcopus annis 15. Et mulier ad monasterium intrudatur vsque ad mortem.

26. Scienter rebaptizatus, si hoc per hæresim admisit, annis 7. & in Quadragesimis ieiunet in pane & aqua. Si fecit pro munditia, annis tribus,

27. Si Episcopus, presbyter, diaconus, sponte sunt rebaptizati, vsque ad mortem pœniteant. Alij verò clerici & moniales volentes rebaptizari, annis decem.

28. Si coactus falsum testimonium dixit, nec mors secuta est, annis 2, si sponte, annis 5.

29. Adulterio fornicans, annis 7.

30. Iniustè aliquem accusans ad mortem, 40 diebus in pane & aqua continenter ieiunabit, & annis 7. pœnitentiam agat non in pane & aqua tantùm & arbitrio sacerdotis. Si verò ob eam accusationem membrum quis perdiderit, accusator ieiunabit tribus Quadragesimis in pane & aqua; prima est ante Natalem 2. ante Pascha. 3. ante S. Ioan; Baptistam, quas instituit S. Petrus.

31. Patronus qui res Ecclesiæ absumit, per annum excommunicatur.

32. Iurans ad pacem non redire; anno vno.

33. Qui filiam suam spiritualem, vel sororem spiritualem ducit in matrimonium, vel qui consentit; annis septem.

34. Si gutta sanguinis in terram cadit, diebus 40. Si super altare & ad vnum pannum transit, diebus 2. Si vsque ad duos, diebus 4 Si ad tres 9. quod si ad quatuor. 20.

35. Si incautè dimiserit Eucharistiam, quàmvis nihil nefandi acciderit, tribus diebus à sui muneris administratione amouetur.

36. Episcopus homicida; annis 15. & deponatur ac peregrinetur perpetuo; presbyter annis 12. diaconus 10. & tribus mensibus in pane & aqua.

37. Occidens Clericum, Monachũ, Diaconum, subdiaconum, perpetuò in monasterio recludatur, & publicam pœnitentiam agat annis octo.

38. Peccans contra naturam, & incestum commitens, plusquam annis 7. & deponitur Clericus, Laicus excommunicatur.

39. Qui matrimonium contraxit contra interdictum Ecclesiæ, per mensem pœniteat.

40. Qui per ebrietatem Eucharistiam euomit; laicus diebus 40, si infirmus diebus. 7. Clericus 40. si Episcopus 60. diebus pœniteant.

41. Qui scienter periurat, si liber est, 40. diebus & annis sequentibus, 7. si seruus, per Quadragesimas tres, & legitimas ferias pœniteat. Qui ad hoc alium compellit, 40. diebus in pane & aqua ieiunet, & annis septem pœniteat.

42. Periurans in manu Episcopi aut in Cruce consecrata, annis 3. in Cruce non consecrata, vno anno. Si coactus vel ignorans, tribus Quadragesimis.

43. Mensuras adulterans, 30. diebus in pane & aqua ieiunet.

44. Ignoranter dans communionem Hæretico, vel ab eo accipiens: per vnum annum Si scienter, annis 5. si nesciens permittit eum in Ecclesia celebrare, diebus 40. Si reuerentiæ causa, vno anno. Si ad euertendam fidem, annis 10.

45. Qui rapuerit vel furatus fuerit, quadruplum reddat, Ecclesiæ duplum, & annis 7. pœniteat in pane & aqua.

46. Clericus fur, annis 7. laicus 5. Si autem vilis res est, panis & aqua pœnitentia detur.

47. Qui iniicit manum in Presbyterum vel Episcopum, vel Ecclesiam vastat, vel impugnat; in Monasterio reclusus perpetuo pœniteat.

NOTA.

Vbi pœnitentia imponitur absque specificatione ieiunij panis & aquæ, ibi intelliguntur orationes, eleemosynæ, flagellationes, & ieiunia.

Ingressus verò religionis, æquiualet omni pœnitentiæ.

De Prudentia.

1. Confessor prudentiam in multis debet habere: & primò in hoc, quòd permittat pœnitentē modo suo quamuis crasso narrare peccata, vt vel hinc intelligat, quibus peccatis sit inuolutus & quibus pro salute sua indigeat

2. In hoc quod animet pœnitentem ad integrè confitendum semoto omni pudore.

3. Quod consideret, an qui confitetur habeat dolorem & firmum propositum emendandi se: deserendi statum, & occasiones periculosas: & an teneatur ad restitutionem: habeat casum reseruatum, censuram.

4. In hoc, quod inducat prudenter media, applicando ea pœnitenti ad concipiendum dolorem, propositum non peccandi: hic enim est finis totus huius negotij, vt auferatur iniquitas.

5. Prudenter consideret & obseruet, quomodo antea confiteri sit solitus, & an subsit aliqua causa reiterandi confessionem: & an dignus sit absolutione.

6. Non debet autem interrogare omnia, quæ pœnitens poterat admisisse; sed consueta tantùm peccata, quæ homines sui status committere solēt.

7. Inquirendo peccata carnalia non sit molestus nimis exactè quærens numerum æstimatum; satis enim erit numerum explicare iuxta doctrinam superius datam, p. 3. de circūstantia quoties, nec nimium in carnalibus, ad particulares circumstantias descendat, singulas minutatim quasi interrogans; ne sibi aut pœnitenti sit scandalosus atque in tentationem se & illum præcipitet.

8. Si viderit pœnitentem, complicem ex proprio nomine prodere velle, eum prudenter præoccupet & præpediat.

9. Sit quoque in vsu vocabulorum prudens, necesse est: vt non nominet quæ turpe est audire.

10. Signa admirationis, timoris, abominationis, expuendo, vel se cruce muniendo &c. nulla ostendat: quātumcunque grauia & turpia peccata audiat: quin potiùs quasi nihil audiret dissimulet, vsque ad finem confessionis.

11. Pœnitentiam imponat magis pœnitenti, quàm peccatis commensuratam.

12. Varietati pœnitentium se accommodet: alium arguat, alium consoletur, alium modestè laudet: aliquando satius est tacere, quàm incautè loqui, pœnitentem ad impatientiam prouocando.

Obseruet quod Nauarrus docuit, pœnitenti docto, diligenti, sæpius confitenti, & celebranti, de emendatione solicito, aut nihil dicat, aut solùm vt faciat quæ nouit facienda.

13. Ad votum & iuramentum non inducat: nisi cùm ius id præcipit, vt in excommunicato notorio absoluendo, incendiario, mutilatore, manifesto raptore, Ecclesiæ violatore, vsurario publico, & publicè iniuriam irrogante personis Ecclesiasticis.

14. Vbi videt pœnitentem aliquid bona fide agere, &c: v. g. ignoranter

cum

cum consanguinea in gradu, 4. contraxisse, & sic manere bona fide, scilicet nesciens esse gradum prohibitum, aut nesciens prohibitionem: scrupulum non ingerat, præsertim si nullum remedium adhiberi posset.

15. Vbi sunt contrariæ opiniones Doctorum, debet confessor contra suam opinionem pœnitentem oppositum tenentem absoluere: nisi confessarius habeat euidentem textum, & rationem claram, pœnitens autem dubiam.

In his autem omnibus meminerit illorum versuum.

Confessor dulcis, affabilis, atque suauis,
Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus.

De Bonitate.

DEsideratur bonitas in Confessore quò ad duo.

Primò, Ne sit irretitus Censuris: hac enim ratione haberet impedimentum potestatis.

Excommunicatus toleratus potest ministrare Sacramenta si à fidelibus petatur. v. 3. Sent. Mor. d. 4 conc: 3. Hoc tamen non debet fieri ordinariè & sine graui necessitate, vel notabili proximi vtilitate.

Secundò. Vt sit sine peccato mortali. Nam si illius conscius est, non sufficit ei attritionem tantùm habere, sed requiritur contritio, alias crimen sacrilegij committeret: quoniam indignè tractaret Sacramentùm, & quãtum in se est pollueret ipsum.

Et hoc commune est omnium Sacramentorum ministro, imò requiritur in quolibet alio ministro Ecclesiæ officiũ suum exercente, vel sacra in ministerio suo tangente;

Docent aliqui: existens in pecato mortali, & subdiaconatum & forsan Diaconatum exercens. Concionator concionem ad populum habens, aquam benedicens. Baptismum in necessitate ministrans. Parochus Matrimonio assistens. E terra Eucharistiam eleuans. Ab uno altari ad aliud transferens. Imò forsan aliquem communicans, non peccat mortaliter. V. Sent. Mor. in 2. d. 4. conc. 4.

De Sigillo seu Secreto Confessionis.

1. Hoc sigillo confessionis celanda sunt peccata in confessione audita, tam mortalia quàm venialia, tam ipsa, quam circumstantiæ, nec tantùm peccata pœnitentis, verumetiam alterius, quem pœnitens imprudenter prodiderit, & hoc siue impendatur absolutio, siue denegetur.

Nec tantùm peccata in confessione audita, sed etiam totum illud quod est via ad confessionem; vt puta: Si quis inuenerit schedulam in qua sunt conscripta peccata propter confessionem exactius faciendam.

Insuper tutissimum est de omnibus auditis in confessione ne mutire quidem, siue peccata sint siue non. Nam talis assuefactio periculosa est; & præterea, à simplicibus censetur, esse reuelatio confessionis. Vnde perperam facerẽt confessores, si de rebus auditis, tam peccatis quã alijs, de visis, aut factis in cõfessione; absq; necessitate, & potius ex leuitate conferrent, & loquerẽtur.

Similiter Concionatores in præsentia pœnitentium, debent abstinere à reprehensione illorum vitiorum, quæ in confessione audierunt, ne Sacramentum pœnitentiæ alicui, horrori sit & abominationi.

2. Tam

2. Tam arctè tenetur confessor secretum confessionis tenere, vt penitus nulla sit occasio manifestandi pœnitentis confessionem. Neque propter superioris præceptum, etiam sub pœna excommunicationis: neque ob immania tormenta, neque ob grauissima damna, neque propter vitandam atrocissimam mortem, neque propter conseruandam vitam propriam, Principis, Regis, Papæ, neque propter liberationem innocentis iam iā perdendi. Insuper, neque propter conseruationem totius mundi, neque propter salutem omnium hominum: vnde, si optio daretur, aut confessionem revelandam, aut totum mundum destruendum, totam Ecclesiam in magnum discrimen redigendam, omnes homines damnandos: rectè custodiri debet secretum confessionis, vt potiùs eligenda sit totius mundi ruina, omnium hominum damnatio æterna. maximum Ecclesiæ periculum, &c. quàm confessionis reuelatio, verbo, nutu, aut quocunque alio modo, quo possit deueniri in cognitionem confessionis.

Imò potest iurare se omnino nihil scire, quia nescit vt homo: dummodo non apponat se nihil scire in confessione: licèt & hoc non esset licitū, si retineatur in animo, vt tibi dicam.

Observatio Prima.

Dicere: Petrus est mihi confessus peccata sua. Ego Petri audivi confessionem, & ego absolui eum: non est frangere sigillum confessionis. Imò dicere, iste confessus est peccata venialia, non addendo aliquid in particulari, non est infringere sigillum confessionis.

Secunda.

Dicere: Petrus confessus est peccata mortalia, est frangere sigillum confessionis. Similiter dicere: Petrus confessus est mendacium iocosum. Nam licèt possit peccata venialia in communi, absque periculo frangendi sigillum, dicere: non tamen in particulari peccatum veniale prodere. Manifestatio autem peccatorum mortalium, etiam in communi, concernit fractionem sigilli.

Tertia.

Dicere: Iste confessus est mihi peccata sua, sed ego eum non absolui; est reuelatio confessionis vt plurimum. Vnde cauti confessarij esse debent dum interrogantur, an iste sit absolutus: neque enim aliter respondere possunt, quàm sic: ego functus sum officio meo.

Quarta.

Confessor qui surgit à confessione, propter consilium capiendum ab aliquo peritiori, qui præsens est, & postea reuertitur ad pœnitentem: reuelat confessionem.

Quinta.

Imprudentissimè faciunt, qui volentes secretum suum committere alicui, obligant illum ad seruandum sub sigillo confessionis, præmisso signo crucis, vel iuramento; tale namque secretum nunquam potest æquari sigillo confessionis, sed semper remanebit secretum naturale: imò per tales cæremonias iniuria irrogatur Sacramento, vt Paludanus asserit.

De Fortitudine.

Necessaria est fortitudo confessori, propter multas superandas diffi-

cultates, quæ occurrere ſolent in confeſſionibus.

Et primò, propter tentationem ignauiæ, & horroris huius negotij, retrahẽtis confeſſorem ab auditione confeſſionis, & pigrum efficientis. Remedium autem erit pro tali ignavia, conſiderare huius officij dignitatem quæ eſt iuſtificare impium, aperire cælum, debellare infernum, profligare diabolum, &c. & meriti præmium.

Secundò. Propter ſuperandam difficultatem caſuum intricatorum, in confeſſione occurrentium. Cuius remedium eſt, inceſſanter ac toto conatu diſcere peritioreſque conſulere. Iuriſtarum verò tricas & volucra permittat & iubeat reſolvi per eoſdem; quorum ſit conſiderare diligenter, ſi aliquid cõtra iuſtitiam & iuris ordinem, ac diſpoſitionem admiſerunt: quibus credere poteſt confeſſor, ſi bona cõſcientia præditi erunt, & nulla iniquitatis ſuſpicio apparebit.

Tertiò. Ad ſuperandam tentationẽ prouenientem ex pœnitentibus magnæ conditionis, vel benefactoribus. Sed & hic vel maximè fortitudo ſeu audacia neceſſaria eſt. Ad quam comparandam proderit conſiderare hoc negotium divinum eſſe, in quo perſonæ ratio non eſt habenda, cùm Deus acceptor perſonarum non ſit maximè cùm talis reſpectus damnabilis ſit, cedéſque in damnationem pœnitentis. Vnde præſtat pænitenti pro ſalute animæ ipſius ſincerè veritatem aperire, quàm fraudulenter & periculoſè celare.

Nihilominus vrbanè ſunt tractandæ perſonæ in confeſſionibus, & honoratè loquendum eſt cum ipſis, nec mutandi modi loquendi qui extra confeſſionẽ ſunt in vſu: licèt parciùs ac modeſtius magni tituli ſint proferendi in confeſſione, ne confeſſor adulationem præſeferre videatur.

Quartò, Propter ſuperandas tentationes, quæ oriri poſſent ex malitia & obcœcatione infructuosè pænitentiũ, animum ab hoc negotio confeſſoribus auferentium. Accidere enim poſſet aliquando confeſſorem, aut ex confeſſione alterius (quod regulariter fieri non deberet) aut extra confeſſionem ſcire peccatum pœnitentis, pœnitentem verò negare illud peccatum. Et quidẽ prudentis eſt, nunquam quærere aut deſiderare tales pænitentes (ſicut neque alios) quin potiùs quantùm fieri poteſt, ſi nulla omnino ſperatur emẽdatio, & ſine ſcandalo fieri poteſt: ſubterfugere tales pœnitentes. At ſi aliter fieri non poteſt, (nam fortaſſe ingerit ſeipſum pænitens, aut confeſſor ſperat profectum ſe facturum) & in progreſſu confeſſionis negat peccatum, debet ei in memoriam reuocare aliquot peccata, inter quæ enumerabit illud quoque peccatum ſibi notum: dummodo in principio enumerandorum peccatorum illud non exprimat; quod ſi adhuc negaret pœnitens, non debet confeſſor repetere illud peccatum, (niſi fortè pœnitens ſit ſimplex, & parvæ conditionis atque ingenij) ſed admoneat eum ad integritatem confeſſionis in communi: quod ſi neque tunc fateretur peccatum; confeſſarius eum abſolvat, cùm non aliter iudicare poſſit in confeſſione, quàm ex allegatis & probatis per pœnitentem, cui & pro ſe & contra ſe dicenti credendum eſt.

SEXTA

SEXTA PARS

Documenta Confeßorum.

Horum autem, quædam sunt ante confessionem, quædam in confessione, quædam post confessionem.

Ante Confessionem tria.

Primùm est: Recurrere ad Deum per orationem, ne peccata audienda sint eidem confessori laqueus. Per versiculum *Cor mundum crea in me Deus.*

Deinde vt pœnitentes lucrifaciat, seu vtiliter audiat, per orationem: *Actiones nostras, &c.*

Hic orationem ante confessionum exceptionem, quæ in Cœremoniali Romano habetur, si vacabit, recitare potest.

Adiutorium nostrum, &c. Domine exaudi, &c.

OREMVS.

DOmine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, vt dignè possim tibi gratias agere: qui me indignum propter tuam misericordiam, ministrum fecisti officij sacerdotalis: & me exiguum humilemque sacerdotem, mediatorem constituisti ad orandum & intercedendum ad Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, pro peccatoribus ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui non vis mortem peccatorum, sed vt convertantur & vivant, suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ pro peccatis meis, & pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt: vt des illis spiritum compunctionis, vt resipiscant, à Diaboli laqueis quibus astricti tenentur: & ad te per condignam satisfactionem revertãtur. Per eundem Christum, &c.

Secundum. Excipere pœnitentem, graviter quidem, sed cum affabilitate & charitate, instar Christi Magdalenam suscipientis.

Tertium. Recolligere & præmunire se fortitudine, vt scilicet audeat dicere, & facere, ea quæ dicenda & facienda sunt, pro salute pœnitentis, nulla ratione personæ habita.

In ipsa Confessione 9.

Primò. Ea quæ de eius prudentia dicta sunt, præ oculis habere & observare; priùs permittendo pœnitentem, omnia quæ dicturus est, suo modo dicere.

Secundò. Debet docere, quàm reverenter accedendum sit, quomodo inchoanda confessio, quomodo crux corpori imprimenda, genu flectendum, caput inclinandum, manus coniungendæ, &c.

Confessio generalis brevis præmittenda, nimirum: *Confiteor Deo: & B. Mariæ Virgini &c. & tibi pater, quia peccavi cogitatione, locutione, opere, & omissione: mea culpa, precor te vt audias me.*

Tertiò. Præambula septem præmittenda, si & quatenus necesse est, videlicet,

1. Si est subditus, seu ex qua Paræcia, Diœcesi.

2. Si censuris non irretitus.

3. Si pœnitentiam implevit.

4. Si aliquid in præcedenti confessione prætermisit.

5. Si conscientiam diligenter examinavit.

6. Cuius status sit.

7. Quàm pridem confessus est.

Quartò. Animare debet pœnitentem vt semoto omni pudore, integrè confiteatur.

Quintò. Interrogare, an aliquando celaverit peccatum mortale propter verecundiam, aut timorem, aut negligentem discussionem conscientiæ. Nam si sic: tenetur illud peccatum manifestare, & omnes confessiones præcedentes, vt potè invalidas, repetere & explicare quoties in hoc statu, quo peccatum celabat, confessus est, & quoties communicavit.

Sextò. Examinare & interrogare tū de peccatis mentalibus, tum actualibus frequentiùs occurrentibus, per ordinem 12. articulorum: si & quatenus videt pœnitentem indigere.

Communissimum autem examen brevissimum & sæpe sufficientissimum, præsertim quò ad simplices est.

1. Vt primò examinentur, quò ad libros hæreticorum retentos aut lectos.

2. Quò ad veneficia, vel sortilegia. Quæ peccata reservata sunt tam exercentium ipsa, quàm recurrentium.

De casibus Papæ & Episcopo reservatis tractatur infra parte nonâ & decimâ. Et in Examine Approbandorum de Absolutione titulo 6. quæs: 3. & 4.

3. Quò ad contemptum aliorum, quod ad superbiam spectat.

4. Quò ad avaritiam. Vbi de vsura interrogandum est, à qua non sunt absolvendi, nisi desinant ipsam exercere, & restitutionem faciant. Similiter & de pecunijs super aliqua bona, modo obligatorio, datis: quando scilicet summa capitalis integra debetur, & tamen rei oppignoratæ fructus percipiuntur, vel domus gratis possidetur, aut inhabitatur. Hoc enim facere non licet etiam in gratiam orphanorum, pupillorum, viduarum, pauperum, captivorum. Item de venditione mercatorum cariori precio ob expectatam solutionem.

5. Interrogandi sunt de peccatis mentalibus: & quoties circa talem statum, & quoties circa alium. Similiter circa varias species luxuriæ: & circa oscula, tactus, & amplexus, non omittendo numerum, & qualitatem personarum cum quibus.

6. Quò ad invidiam, & quoties. Semper addendo numerum in peccatis mortalibus.

7. Quò ad ebrietates cum privatione iudicij, & quoties. Nec erit absolvendus, nisi proponat firmiter abstinere.

8. Quò ad odia, optando videlicet malum notabile.

9. Quò ad maledictiones, seu imprecationes ex animo factas, seu deliberatè impleri desideratas.

10. Quò ad appetitum *vindictæ*, & quoties.

11. Quò ad percussiones.

12. Quò ad detractiones notabiliter famam lædentes, siue narratas, si-

ue auditas, absque displicentia exteriùs demonstrata.

13. Quò ad calumnias: an videlicet alicui falsò crimen obiecerit.

14. Quò *ad rixas*, cū accessione cōuiciorum, diffamationum, proximum lædentium notabiliter.

15. Quò ad ieiunia.

16. Quò ad Missas neglectas die Dominico & festo.

17. Quò ad Decimas, solui debitas, & consuetas. Qui enim in Decimarum solutione negligens inueniretur, non esset absolvendus, sed ad proprium Parochum remittendus, nisi restitutionem promitteret.

18. Quò ad furta, aut emptionem rerum furto ablatarum.

19. Quò ad milites, aliena rapientes. Hi non sunt absolvendi, donec restituant.

20. Quò ad procuratores & iudices. Si aliquid contra æquitatem fecerint, partem iniquam defenderint, vel dolosis apicibus iuris, aliquid extorserint. Tutiùs autem est sacerdoti simplici tales iuristas ad alios confessarios remittere: mille enim labyrinthis sunt pleni.

21. Quoad sacerdotes non residentes, vel plura beneficia habentes: qui antequam deserant plura beneficia, non sunt absolvendi. Similiter, si nesciant exercere Sacramenta Pœnitentiæ, seu Confessionis: nec libros in casibus conscientiæ habeant, aut non discant: qui similiter non sunt absolvendi antequam resignent: aut discere efficaciter proponant. Interim autem ab audiendis cōfessionibus desistant, & aptos confessarios suis subditis prouideant. Similiter, si Vicarios indignos retineant, quos omnino ablegare tenentur, & dignos quærere.

Septimò, Omnium peccatorum, etiam mentalium circumstantias quærere. Cùm autem plures circumstantiæ sint, frequentiores tamen sunt quatuor, videlicet: Quid, quis, cum quo, & quoties. Explicandum itaque erit peccatū in particulari, & cuius status sit qui peccat, & cuius stat⁹ cū quo peccat, & quoties singula peccata admissa sunt.

Octavò. Adiuvare debet pœnitentem, ad habendum dolorem de peccatis præteritis, ad concipiendum firmum propositum non peccandi, & exeundum ex statu periculoso, ad confidendum de misericordia Dei: Vnde habendæ erunt in promptu aliquæ piæ exhortationes, exempla Sanctorum, authoritates sacræ scripturæ, & cautela pro vitandis peccatis.

Nonò. Simplices de Oratione Dominica, Salutatione B. V. Articulis fidei interrogandi sunt.

Post Confessionem peccatorum, quinque sunt facienda.

Primò. Admonitio de restitutione, famæ, bonorum, quamprimùm facienda, quatenus necessarium erit.

Secundò. Præceptum, vt in posterum fugiat peccata, simulque peccatorum occasiones: scilicet personas, cum quibus periculosè conversatus est: loca, quæ periculosè frequentabat.

Tertiò. Satisfactio imponenda, quæ vulgò dicitur salutaris Pœnitentia.

Quartò. Absolutio impendenda est, si pœnitens absolutione est dignus.

Vltimò. Oratio dicenda, si & quatenus vacabit placebitque, ex Cæremoniali Romano.

Versic. Domine exaudi orationem meam, &c.

DEVS misericors, Deus clemens, Deus indulgentiæ. Deus pietatis & pacis, qui pro amore hominum, manus extendisti, qui Chananæam & Publicanum vocasti ad pœnitentiam: convertere dignare famulum tuum, qui ante tuum sacrum altare, suum confitetur reatum, & humiliter se recognoscit te summum bonum offendisse, vt facinorum suorum à te veniam petat ac impetret; & præsta ei, misericors Deus, pænitendi spatium, dignos fructus pœnitentiæ, & finem pœnitentiarum fructuosum. Per Christum &c.

OREMVS.

DEVS, sub cuius oculis omne cor trepidat, & conscientiæ cunctæ pavescunt; propitiare famuli tui gemitibus, & cunctorum eius peccatorum & malorum medere languoribus: vt sicut nemo liber est à culpa, ita nemo sit alienus à venia. Per Christum Dominum, &c.

SEPTIMA PARS.

Documenta confiteri volentium.

ISTorum quædam sunt observanda ante confessionem, quædam in confessione, quædam post confessionem.

Ante confessionem quatuor.

Primò. Humiliter petat Dei auxilium, quo præsente ritè confiteri possit, peccata meminisse & detestari.

Secundò. Aliquot diebus vel horis (pro varietate pœnitentium) ante confessionem diligenter examinet suam conscientiam, vt sic plenam faciat de peccatis suis coram Deo rationem, in confessione. Nam si negotiatores pro temporali lucro toties supputant, quantò studiosiùs pro salute animæ hoc faciendum est?

Dices: meminisse nequeo omnia peccata. Accipe receptam pro memoria, ex octo considerationibus cõpositam. Nimirum, 1. Recogita peccata post confessionem præteritam, an videlicet in præcedenti confessione prætermiseris aliquid ex oblivione: verecundia, negligentia. 2. Penes tempus, quid tibi inter festum Paschatis, & Pentecostes, inter Pentecostes & Assumptionis B. Virginis, Omnium Sanctorum, & Nativitatis acciderit. 3. Penes conditionem tuam, vitæ statum, occupationes, & negotia tui status, an ibi quoque commiseris aliquid. 4. Penes locum, statuens tibi ante oculos omnia loca, in quibus fueris, quidve vbique feceris. 5. Penes personas cum quibus conversatus es, vt inde memineris, quid cum singulis gesseris. 6. Penes inclinationem & fragilitatem tuam, quibus peccatis te sentis magis obnoxium, luxuriæ, ebrietati, calumniæ, superbiæ. 7. Penes ordinem, scilicet ordinatè procedendo, in recogitandis peccatis: de quo in sequenti parte. 8. Facilis est peccatorum recogitatio, si adsit crebra confessio.

Obser-

Obſervandum tamen eſt, quòd in recogitatione peccatorum, homo non debet nimis anxiè, ſcrupulosè, cum triſtitia erûere, ſed cum humilitate, ſpiritus libertate, magna confidentia. Nam quantumcunque peccata gravia ſint, Chriſtus tamen qui pro peccatis mortuus eſt, medius ſtat, converſionē peccatoris expectans, & veniam parans, Sed nec multum immorari debet, præſertim in cogitatione peccatorum carnalium, iræ, & odij, ne tentatio nova exoriatur.

Tertiò. Proponat ſibi in animo, omnia peccata velle pro viribus integrè confiteri, & à confeſſore interrogatus veraciter reſpondere, ſciens finem confeſſionis Chriſtianæ non exitium, nec aliquam pœnam eſſe, ſed peccatorum veniam, Dei amicitiam, & gratiam.

Quartò. Eligat ſibi confeſſorem eruditum ac peritum, qui ſciat conſcientiæ ſuæ nodos reſolvere, plagas curare, ad Dei amicitiam reducere, regulam vivendi tradere Nam & prò ſanando corpore nullus eſt qui non optimum medicum, vel chirurgum, & cui fidat, habere velit, licèt ex longinquo & magnis cum expenſis ſit accersendus. Imperitus confeſſor inducit pœnitentem in deſperationem; idoneus autem conſolatur illum, per media quæ ſcit adhibere.

In ipſa confeſſione decem ſunt facienda.

Primò Meditandū, quamprimum veneris ad confeſſorem, humiliter genua flexeris, caput reū ad inſtar inclinaveris, ſcias te eſſe ante iudicem cœleſtem non terrenum, miſericordem non crudelem, qui tantò ocyùs condonabit peccata quantò meliùs confiteberis.

Secundò. Ne hoc propoſitum impediatur, ſtatim munias te ſigno ſanctæ Crucis (vbi ſimplicium confeſſa ij attendere debent, vtrum ſciant ſanctæ Crucis ſignum in corpore effingere) & benedictionem ſi velis à Confeſſario petas, quod iam nunc à quibuſdam obſervatur.

Tertiò. Dicat Confeſſionem generalem breuem; ſcilicet, *Confiteor*, vt ſupra fol 35.

Quartò. Rem vtilem feceris, ſi te de negligentia præparationis, & de tepido dolore pro peccatis, accuſaveris.

Quintò. In recitatione peccatorum, caueat ne complicem peccati nominet, neve confeſſor in cognitionem tertiæ perſonæ veniat. Laſciua autē, honeſtis verbis explicet, nec nimis prolixè, ſed quantùm ſatis eſt.

Sextò. Circumſtantiarum meminerit.

Septimò. Conditiones confeſſionis obſervet.

Octavò. In fine ſe accuſet de omnibus alijs peccatis: quæ non recordatur, quæ paratus eſt confiteri: & petat veniam ac remiſſionem omnium peccatorum, à Domino Ieſu Chriſto: à Confeſſario verò ſalutarem pœnitentiam, & abſolutionem.

Nonò. Attentè audiat conſilia quæ dantur à Confeſſore.

Decimò. Humiliter acceptet pœnitentiam.

Poſt Confeſſionem tria.

Primò. Gratias agat Deo pro beneficio remiſſionis peccatorum.

Secundò

Secundò. Fugiat omnes occasiones, quæ ei erant causæ Deum offendendi.

Tertiò, Impleat quidquid mandaverit Confessarius, sive satisfactionem, sive restitutionem, bonorum, famæ, &c.

OCTAVA PARS.

Quæ speculum confitentium, & interrogatorium Confessariorum dici potest.

OBSERVATIO.

QVoniam confessarius, sub peccato mortali, tenetur interrogare pœnitentem, vbi videt eius confessionem insufficientem ac deficientem, sive propter ignorantiam,, siue propter metum, & verecundiam: idcirco, vt commodius possit meminisse ea de quibus interrogare debet, omnia quæ in hoc sancto negotio necessaria sunt reducentur ad 12. articulos. Hac autem occasione enumerabuntur hic peccata mortalia frequentiora, & communiora,

ARTICVLI XII.

1. De præambulis,
2. De peccatis contra virtutes Theologicas.
3. Contra Decalogum,
4. Contra præcepta Ecclesiæ.
5. De septem peccatis capitalibus.
6. De peccatis per quinque sensus corporis.
7. De peccatis in Spiritum sanctũ.
8. De peccatis in cælum clamantibus,
9. De peccatis contra opera misericordiæ.
10. De peccatis contra Sacramenta Ecclesiæ.
11. De peccatis alienis,
12. De peccatis diversorum statuũ.

In primo Articulo.

Præambula confessionis, de quibus parte sexta dictum est.

In secundo Articulo frequentiùs occurrunt octo.

Si fuerit infidelis, hæreticus, in fide dubius, quoties, vel quanto tẽpore.

Si aliquo signo exteriori demonstravit se favere hæreticis in eorum errore, siue id fecerit in gratiam alicuius, sive propter aliquam suam vtilitatem, &c.

Si libros hæreticorum legerit, retinuerit.

Si se esse Catholicum negaverit, vel occultaverit.

Si mysteria fidei Christianæ principalia, quorum festa (ad minus) celebrantur, nesciat.

Si desperat vel non sperat consequi futuram beatitudinem, aut media ad eam, quæ sunt, peccatorum remissio, vitæ emendatio, gratia Dei, &c.

Si proximo in gravi necessitate nõ subvenit.

Si deliberatè vult perpetuò in hoc sæculo vivere, propter huius mundi commoditates, voluptates, honores, &c.

In ter-

In tertio Articulo, contra Decalogũ.

Primum Præceptum.

1. De incantationibus, veneficijs, divinationibus, alijsq; superstitionibus.

Cave desiderium primi verbi occurrentis ad apertionem libri: quod superstitio est.

2. Si seipsum dæmoni aliquando devovit vel obtulit.

3. Si ad magos vel veneficas confugit, aut misit, pro consilio vel auxilio capiendo.

Secundum Præceptum.

De periurijs, vel promptitudine iurandi sine consideratione veri vel falsi. Nam iuramenta vana, dummodò sint vera, non sunt mortalia.

De implemento iustorum iuramentorum.

De votis non impletis. Ad votũ autem non sufficit propositum bonũ, sed requiritur deliberatus animus obligandi se ad illud, & promissio quæ fiat Deo vel sanctis vt hominibus deificatis, etiam sola cogitatione, de aliquo bono non impeditiuo maioris boni.

De blasphemia. Quæ licèt rariùs in Polonia accidat: interdum tamen ab afflictis effertur dum dicunt, Deum iniustum, vel sui oblitum, ignorare nostra, &c,

Huc reducuntur lasciuæ cantilenæ in Ecclesia: applicatio S. scripturæ, & Rituum Ecclesiæ ad profana, cum notabili irreuerentia Dei.

Tertium Præceptum.

1. An laboraverit die festo;

2. An induxerit alios ad laborandum vel solicitauerit, vel permiserit,

Quartum Præceptum.

Corde. Si molitus est aliquid contra parentes.

Odium contra eos habendo, mortem optando.

Ore. Duriùs & iniuriosè eos alloquendo, cum notabili eorum amaritudine.

Opere. Minando, verberando, &c.

Quintum Præceptum.

Corde. An odium contra aliquem habuerit. Est autem odium, velle proximo aliquod malum notabile.

An propter tale odium, proximo debitum subtraxerit.

Si de malo alterius lætatus sit.

Si mortem alteri vel sibi appetierit.

Si inimicitias factiones fovit vel fouet.

Ore. Si eum percusserit, mutilaverit, occiderit. vbi satisfacere tenetur, eidem vel hæredibus, si hac occasione aliquod damnum alicui illorum illatum est.

De suffocatione puerorum, abortu, & causa eius.

Sextum Præceptum de adulterio consummato.

Si adulterium commisit.

Vbi, prole secuta, curare debebit, ne proles illegitima, particeps sit hæreditatis.

Septimum Præceptum de furto.

An furto aliquid abstulerit.

Si rem furto ablatam aut iniquè acquisitam emit, retinuit: tenetur enim restituere domino vero, etiam non restituta sibi pecunia.

An aliquid rapuerit in via vel Ecclesia.

Si damnum alicui intulit,

Damnum proximi non impedivit, cùm possit & debeat ex officio.

Si aliquem ab assecutione boni, ad quod aliquod ius habebat etiam imperfectum, vt per promissionem, electionem, &c. impediuit.

Si iusta vectigalia vel tributa non soluit, defraudavit, siue cum prætextu alicuius privilegij vel priuilegiati, siue quocunque alio modo.

Nauarrus & alij apud Dianam de legibus tr. 10. resol. 19. docent oppositum. Quia consuetudo interpretatur, non esse mentem Legislatorum ad aliud obligare, quàm ut transgredientes deprehensi puniantur. Quæ sententia non est extendenda dum vectigal seu gabella imponitur pro tollenda communi necessitate. Qualis in præsenti non intelligitur reparatio viarum. Subsidium dignitatis principis &c. Sed quid maius. V. l. 4. Sent. Mor. d. 23.

Si indignum ad officium promovit, vnde consecutum est damnum in temporalibus vel spiritualibus.

Si legata pia retinuit & non quàm citissimè reddidit, vel ne redderentur impediuit.

Octauum Præceptum de falso testimonio.

Cogitatione. Si iudicium temerariũ, seu ex causa, de aliquo fecerit, Idem de suspicioso.

Locutione. Si falsum testimonium siue in iudicio, siue extra, cõtra proximũ dixit, cum graui damno vel infamia:

Si inordinatè quempiam accusauit, in grave eius præiudicium,

Si calumniã, aduersus aliquẽ dixerit. Est autẽ calumnia falsa de proximo fingere & dicere quæ lædant famam eius.

Si contumeliam dixit, quæ est exprobratio similiter falsorum criminum, præsente eo contra quem est.

Non negat Author contumeliam fieri posse per vera mala culpæ. Hæc enim vera contumelia: es mendax. Sed explicat contumeliam, per maiora mala.

Si diffamavit vel detraxit alicui, siue ex malitia, siue ex multiloquio, siue sit delictum occultum, siue manifestum: dummodo lædatur fama notabiliter, quantumcunque verũ sit, quod dicitur.

Si defectus naturæ, vel morales derisit, cum ignominia alterius,

Si alicuius opus, malo aliquo fine factum esse, dixit,

Si secretum reuelauit, quod celare multum referebat.

Si literas alicuius cum periculo, vel præiudicio alterius, resignavit.

Auditione. Si libenter audiuit supra dicta mala contra proximum.

Omissione. Si noluit testimonium verum proferre, cùm posset & deberet, vel dolosè veritatem celavit, vel non defendit aliquem, sciens non esse verum quod dicitur, siue in iudicio, siue extra.

Nonum Præceptum.

Non desiderabis vxorem.

Si adulterium desideravit.

Si aliquem vel aliquam ad id induxit.

Decimum Præceptum.

Si inordinatè contra iustitiam aliquid notabile eorum quæ in septimo Præcepto continentur, & in peccato avaritiæ recensebuntur, concupivit.

In quarto Articulo, de peccatis contra præcepta Ecclesiæ.

Primum. Si ieiunia vigiliarum, Quatuor temporum, Quadragesimæ: & in Po-

in Polonia feriæ sextæ non obseruauit:

Requiruntur autem tria ad ieiunium: Qualitas cibi, absque carne & in lacticinijs. Numerus, quòd videlicet sit vnica comestio, & tempus meridiei, vel circa.

Secundùm. Si confessus est semel in anno ad minus, & cùm esset in verisimili mortis periculo.

Si confessio fuit conveniens, vt nullum peccatum sit prætermissum.

Tertium. Si Sacramento Eucharistiæ ad minus semel in anno est refectus. Si dignè, nullius scilicet peccati mortalis conscius.

Quartum. Si quolibet festo & Dominica, integram cum deuotione debita, audiuit Missam.

Quintum. Si dedit fideliter decimas: aliaque debita Ecclesiæ soluit.

Hic notandum est de Ieiunio.

Quòd ab eo excusantur quoad vnicam comestionem qui habent iustam aliquam causam, quæ triplex est.

Vera, & euidens, qualem habent omnes infirmi, debiles, capitis vertiginem patientes, senes, pueri vsque ad vigesimum primum annum completum, prægnantes, lactantes, iter longum pedibus conficientes iuxta complexionis qualitatem, grauiter laborantes, pauperes vnicam comestionem sufficientem habere non valentes, prædicantes, cantores, & confessarij, si ieiunium impedit eorum officia, alias, non.

Altera iusta causa dicitur credita, cùm quis sine fraude credit se propter dolorem, laborem, vel occasionem aliquam excusatum esse à ieiunio, alias ieiunaturus.

Tertia authorizata, scilicet dubia, sed munita authoritate superioris supplentis per dispensationem. Nam tūc si superior de causæ sufficientia dubitaret, potest commutare ieiunium in aliud pium opus: & nunquam debet in conscientiam petentis reijcere, vel remittere: sed liberè ac charitatiuè facere quod potest.

In quinto Articulo, de septem peccatis Capitalibus.

SVPERBIA.

1. Si appetijt suam excellentiam, cum notabili Dei irreverentia, nimirum cum renutu subijciendi se divinæ gubernationi & ordinationi, vel paratus esset propter ipsius assecutionem mortaliter peccare: aut cum graui iniuria proximi.
2. Si in tale quid consensit.
3. Si cum ijsdem conditionibus sibi ea quæ non habet, arrogavit.
4. Si cum his adiunctis præ cæteris videri voluit, alijs se prætulit, aut gloriatus fuit.
5. Si proximum contempsit. Hoc est, in suo affectu eum notabiliter iniuriosè depressit. Nam hoc est contra bonum existimationis.
6. Si in re magni momenti inobediens fuit.
7. Si ingratitudine sua, magno dolore benefactorem affecit, aut beneficium pro maleficio interpretatus est.

AVARITIA.

1. De vsuris. Est autem vsura, lucrum, & quæcunque commoditas proveniens ex mutatione pecuniæ.
2. De oppignorationibus: vbi pignoris fructus capiuntur salua summa capitali.

3. De emptionibus & venditionibus iniustis: Quoad monetam adulterinam, vel corruptam, pondus, mensuram, pretium.

4. Si vendidit cariùs propter expectatam solutionem, vel viliori pretio propter anticipatam emit.

5. De ludo fraudulento & doloso: cum obligatione restituendi.

6. De locatione. Si propter casum occurrentem non minuitur pretium locationis.

7. De retentione debitorum.

8. De lite iudiciali: si aliqua fraus & iniustitia intercessit.

9. De vectigalium iniustorum impositione, exactione, iustorum defraudatione, vel non solutione.

10. De rerum inuentarum non restitutione.

11. De Simoniaca beneficiorum acquisitione & pluralitate, de quibus infra. Est autem Simonia, dare vel accipere aliquid pro spirituali.

12. De monetæ cambijs, seu permutationibus si aliqua fraus commissa.

13. Si àdeò inordinatè appetijt pecuniam vel diuitias, vt Deum & ea quæ ad salutem animæ consequendam spectant obliuisceretur, vel pauperibus extremà egentibus non subveniret,

14. Si alicuius mortem concupiuit propter hæreditatem, &c.

LVXVRIA.

Cogitatione. Si amorem ad aliquam personam habuit: vbi addendum erit, cuius sit status, & quoties, vel saltem quanto tempore durauit talis amor.

Si in fœdam pollutionis nocturnæ delectationem aliquando consensit.

Si recolendo præteritos actus carnales, oblectatus fuit.

Si propositum vel desiderium peccandi carnaliter habuit: vbi seorsim explicandum est, quoties circa virgines, circa coniugatas, vel liberas, Deo dicatas, consanguineas, &c.

Si delectationem morosam cum consensu actuali, vel implicito habuit,

Probabile est Caietano & Francisco de Victoria, non esse mortale, quando insurgentibus cogitationibus turpibus voluntas permissiuè seu negatiuè se habet non impediendo sed suspendendo actum, hoc est, nec consentiendo nec dissentiendo. v. 1. Sent. M. d. 43.

Locutione. Si aliquas personas propter delectationem, vel cum delectatione carnali, allocutus est,

Si cecinit obscœna, vel de eis, sermonem habuit, cum delectatione carnali, aut desiderio peccati, aut animo inducendi aliquem ad tentationem, ad carnalem voluptatem, vel tactum: Aut si talibus periculis præsentibus, supradicta fecit.

Si apertè prouocauit aliquem vel aliquam ad peccatum carnale secum, aut cum alio perpetrandum.

Lectione. Si inhonestos libros legit.

Si literas ad peccatum carnale ordinatas legit, transmisit, porrexit.

Opere. Si munera animo inducendi ad peccatum alicui dedit.

Si propter eandem causam gestus lasciuos fecit, aut se ornauit, aut se ad videndum præbuit.

Si peccatum carnale consummavit, cum quo, cum qua, & quoties: Et si virginitatis violatæ damno satisfecit.

GVLA.

Si aliquando inebriatus est vsq; ad privationem iudicij: & quoties.

IRA.

Cogitatione. Si ex malitia, odio, inordinationè vindictam notabilem contra proximum appetijt, à Deo, homine, vel seipso.

Locutione, Si malum notabile alicui, vel sibi, ex animo imprecatus est, seu maledixit.

Opere. Si vltionem notabilem deliberatè minatus est: vel fecit.

Omissione. Si læsum, propter dictum vel factum suum, non placavit.

INVIDIA.

Si de bono proximi, propterea quòd eius bonum diminuebatur, vel obscurabatur, excedebatur, tristatus est, vel doluit, vt Cain, Saul, fratres Iosphi & aulicus qui tristatur eò quòd sociũ maiorem gratiam apud dominum habere videt, vel maiora opera facere quàm ipse efficiat.

Si desideravit aliquem privatum esse dignitate, fama, honore.

Si ægrè tulit, cùm de aliquo honorifica mentio fiebat.

Si curauit vt non tàm honoraretur detecto aliquo vitio, vel defectu.

Acedia. quæ est tristitia de bono spirituali diuino, scilicet de eo quòd sum futurus civis Sanctorum, & domesticus Dei, &c. nunquam, aut non nisi perditissimis in mentem venire potest.

Hoc peccatum explicatur p. 2. Tyrocinii Artis Pœnitentiariæ § de Acedia. n. 9. in fine.

In sexto Articulo. De quinq; Sensibus.

VISV.

Si aspexit cum voluptate carnali, vel cum concupiscentia actus, virginem, coniugatam, Deo dicatam, Confessionis, & aliorum Sacramentorum filiam: & quoties circa quemlibet statum.

Si nudum corpus.

Si exposuit se, visui aliorum, causa provocandi eos ad tentationem, vel delectationem carnalem.

Si denudavit, se vel alium, propter idem.

AVDITV.

Si audiuit cantilenas, vel sermones lasciuos, propter delectationem carnalem, vel curiositatem periculosam.

GVSTV.

Si provocantia ad Venerem comedit.

Quando pollutio provenit ex causa mortali non pertinente ad luxuriam, v. g. ex ebrietate, tunc pollutio non est peccatũ mortale. Cum ebrietas remotè & quasi peraccidens ad pollutionem concurrat. Idem dicendum quando provenit ex causa venialiter luxuriosa & leviter influente in pollutionem u. g. ex aspectu curioso vel lectione curiosa. Quæ sunt probabilia licèt pollutio prævideatur, sed non intendatur. Sic enim loquuntur DD. Solùm ergo (ait Eligius Basseus V. Luxuria citans Bonac: & alios) pollutio prævisa nec tamen intenta: est mortale quando sine vrgenti necessitate exercetur actio ex se turpis & per se tendens ad actus venereos excitandos pollutionemque consummandam. ita ille verbũ Sanchez L. 9. disp 45.

Augustinus verò Reding relatus in S. M. L. 1. d. 28. Si causa pollutionis in se non intentæ sed præuisæ sit in materia luxuriæ ex se veniali, tunc pollutionem necdum imputari ad culpam lethalem, sed venialem tenent Sanchez & alij DD: asserentes: pollutiones directè non volitam, sed in causa prævisam, tunc fore duntaxat mortalem, si cau-

sa in materia luxuria sit de se mortalis. Ita citatus Doctor, in terminis.

OLFACTV.

Si odores propter supradictas causas adhibuit.

TACTV.

Si propter oblectationem carnalem, vel animo prouocandi aliquem vel aliquam ad libidinem, tetigit, siue partes honestas, manum, faciem, siue inhonestas tam nudas quàm velatas.

Si præter oscula & amplexus actuali peccato coniunctos, alios & solos commisit separatim: cum numero semper, & conditione complicis.

Si choreas propter delectationem carnalem, ex visu, tactu, collocutione habendam, duxit.

Si per proprij corporis tactum pollutus est (quæ mollities dicitur.) Et si hoc perpetrando, aliquem vel aliquã mente cogitauit.

Si circa pollutionem, tactu peccauit.

Si alterum docuit idipsum, vel corrupit.

In septimo Articulo. De peccatis in Spiritum sanctum.

Si discordias inter aliquas personas disseminauit anxitudè, referens vni quod ab altero audiuit, vel quocunque alio modo. Alia non tam frequenter occurrunt. Sunt enim sex: Desperatio, Præsumptio, Impœnitentia, Agnitæ veritatis impugnatio, Fraternæ charitatis inuidentia, obstinatio.

In octavo Articulo. Peccata in cœlum clamantia.

1. De peccato bestiali & Sodomitico, quod à multis dicitur Turcicum: de quo cautè est interrogandum: idque tunc, cùm ex confessione pœnitentis, colligi poterit, talem interrogationem necessariam esse.

2. Si mercedem alicui debitam retinuit.

In nono Articulo. Peccata contra misericordiæ opera.

1. Si fratrem delinquentem & errantem non monuit, cum sperauit admonitionem fore vtilem.

2. Si monuit, sed admonitione inordinata; vtpotè, quia ira vel odio magis nocuit, quàm profuit.

In decimo Articulo. Contra Sacramenta.

1. Si aliqua Sacramenta in peccato mortali suscepit.

2. Si Sacramentum Confirmationis suscipere, quod commodè potuit, neglexit.

3. Si pluries cum eadem, vel diuersis, viuente prima, contraxit.

4. Si cum hæretico vel hæretica, matrimonium inijt.

Nauarrus, Azor, Sanchez relati in additionibus Sà, non damnant peccati mortalis, Matrimonium Catholici cum hæretica & vicissim; ubi Catholici hæreticis permixti.

5. Si tempore interdicto.

6. Si cum consanguinea vel affine.

7. Si contraxit cum eo vel ea cuius fuit patrinus in Baptismo & Confirmatione.

8. Si contra statuta Ecclesiæ sine bannis & testibus, vel Parocho proprio.

9. Si post factum simplex votum castitatis aut religionis, tunc enim exi-

exigere debitum non potest; reddere tamen tenetur.

Scias. Probabile est de voto simplici castitatis & Religionis, quoad præsens non eodem modo discurrendum. Vide supplementum. titulo 4. q. 4.

10. Si post sponsalia etiam de futuro, cum alia.

11. Si clandestinum fuit: quod ipso facto irritum.

12. Si intercessit homicidium alterius coniugum vtroque machinante, causa contrahendi: vel etiam altero tantùm, interveniente adulterio.

13. Similiter adulterium cum coniuge alterius, coniunctum cum matrimonio, vel promissione contrahendi altero acceptante, impedit & dirimit contractum.

In Undecimo Articulo. Peccata aliena.

1. Si iussit, consuluit, docuit aliquem quodcunque peccatum mortale.

2. Si gloriatus est de aliquo peccato mortali, vbi explicandum est, quod & quale sit illud peccatum, de quo est gloriatus.

3. Si laudavit aliquem de peccato mortali, & quod est illud.

4. Si iuuit aliquem vel associavit, ad peccandum mortaliter pergentem.

5. Si in peccato mortali mediator, & in carnali leno vel lena extitit.

In Duodecimo Articulo. Peccata diversorum statuum. Virginum.

1. Si aliqua peccata propter verecundiam in præcedenti vel præsenti confessione tacuit.

2. An aliquas cogitationes turpes aliquando habuerit. Si sic, quærendum erit de consensu.

3. De tactu, sed cautè. & in communi, vnà cum alijs quinque sensibus exterioribus, perfunctoriè inquirendũ. Quod si negat, vrgere confessarius non debet.

4. De ornatu & choreis ob malum finem.

Viduarum.

Si consentit aliquando in delectationes, ortas ex cogitatione præteritorum actuum.

Secundùm aliquos D: D: licet viduis delectari delectatione libidinosâ morosâ, de copula præterita. Sponsis de futura. V. 1. Sent. Mor. d. 29. conc. 4.

Vetularum.

De lenocinijs & superstitionibus.

Coniugatarum, & coniugatorum.

1. Si in actu matrimonij de aliquo alio cogitauit, & similiter maritus de alia. Nam esset adulterium mentale; cautè tamen id faciendum est.

2. Si tactus impudici ad consummationem matrimonij non ordinati, cum effusione, vel periculo effusionis seminis, fuerunt. Si nihil tale est: vltra non procedatur.

3. Si concubitus extraordinarij cum periculo supradicto fuerunt. Multi enim sunt, qui credunt sibi in tali statu omnia licere, vti & abuti, quod falsum est, propter honorem Sacramenti Matrimonij, & peccatum vitandum.

4. Si fuit defraudatio seminis, propter euitandam prolem: vel quid simile, ad non concipiendum, factum est.

5. Si aborsus, data causa aliqua, accidit.

6. Si

6. Si debitum cum periculo alterius reddere noluit.

7. Si reddit, cum periculo partûs.

8. Si nimium zelum cum admixtione aliorum peccatorum, scilicet, detractionum, &c. erga coniungem habuit.

9. Si in rebus magni momenti nõ obedivit marito.

10. Si particeps vsurarum, furtorũ, fuit, cum obligatione restituendi.

V. quæ in Supplemento ſe: in tr: de Matrim. tit. 7. q 7. docentur. Scienda circa Sartores & alios, de aliena materia, quæ remanserunt retinentes, dicentur in Tyrocinio Artis Pœnit. referendo ſpeculum particulare secundùm conditionum diverſitatem.

11. Si ex bonis mariti aliquid notabile contra eius voluntatem accepit, ad dispensandum secundùm suum arbitrium. Quia nec eleemosynam potest dare ex bonis mariti, nisi res parvi momenti, & nisi in spem verisimilem ratihabitionis illius. Omnis enim pro sua conditione, præsumitur indulgere filio, minutiores sumptus, & multò magis maritus vxori. Quod si maritus esset prodigus, licitè posset vxor accipere clam aliqua, vt in necessitate domui suæ provideat, nec teneretur marito præcipienti tradere quæ habet. Similiter crediderim si maritus esset adeò tenax, vt in necessarijs vxoris & domûs secundùm conditionem eius deesset, posse vxorem idem facere, 12. Si maritus erga vxorem iniuriosè se gessit, verbo, opere, &c.

13. Si necessaria non prouidebat quæ debebat.

14. Si accepit aliquid ex bonis vxoris, quæ habet præter dotem.

15. Si vxorem non admonuit charitativè, cum deberet.

16. Si alter eorum vel vterque maiori pompâ vsus est, quàm deceret: in graue detrimentum sui vel suorum.

Filiorum familias.

1. Si ex bonis patris vel matris aliquid notabile contra voluntatem eorum accepit, cum obligatione restituendi cohæredibus, vel computandi pro parte suæ legitimæ: nisi pater vivens donauerit.

2. Si non vult pro sua sorte computare bona patris, quæ insumpsit patre viuente in ludos vsusque vanos & malos, vel id quod pater soluit in pœnam delicti eius iuxta statutum regionis. Sumptus autem quos studij causâ patre viuente fecit, non tenetur computare. Imò fratres eius tenẽtur ante omnem diuisionem, etiã post mortem patris, soluere debita, quæ ob hanc causam, patre viuente contraxit: licèt non illa, quæ contraxit post mortem patris.

Patrum familias.

Si non dedit operam vt familia disceret fidem Christianam, & pietatẽ, ieiunaret, Missam audiret, ad Sacramenta accederet temporibus suis.

Si in infirmitate non habuit præcipuam curam de salute animæ: Secundò verò de sanitate corporis.

Si permisit eos inhonestè viuere.

Si tempore ieiunij sufficiens prandium non dedit familiæ, quo possit ieiunare, aut cœnam ministrauit.

Parentum.

Si non adhibuerunt diligentiam, vt filij addiscant doctrinam Christianam, & Christiana officia.

Si inhonesta docuerunt.

Si non reprehenderunt, cùm lasciua proferunt, malè agunt, prauas familiari-

liaritates habent: vel permittunt eos suo modo viuere.

Si non efficiunt, vt aliquam artem addiscant, ne postea otiosi & vagi sint, atque ad plura mala occasionem habeant.

Si propter quamcunque causam cogunt eos ad religionis ingressum; quamuis persuadere liceat.

Puerorum.

Si nescit doctrinam Christianam: De mendacijs, votis, Missa die festo, obedientia parentibus, ac præceptoribus, odijs, rixis, verberibus, inhonestis verbis, factis, lasciuis, furtis, &c. *Prouerb* 28. Qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.

Cautela.

De peccatis occultis, carnalibus, cautè interrogandi sunt pueri, & simplices ne eis manifestetur aliquid, quod nesciunt, neúe detur illis occasio labendi.

Modus autem inquirendi erit: an insultus & tentationes carnis aliquando patiantur. Et vtrum delectētur tali cogitatione & consentiant.

Si negant subiungendum: Aduerte magnum esse sacrilegium, iniuriam, profanationem Sacramenti: in confessione negare peccatum. Nec putare debes sacerdotem id cuipiam posse manifestare.

Magistrorum.

Si insufficiens cùm sit, promotus est cum graui damno animarum, fidei, corporum, &c.

Si legit Theologiam mortali notorio infectus,

Si veritas aut superstitiosas scientias docuit.

Si diligentiam debitam in legendo non adhibuit, vel non curavit de profectu discipulorum.

Si abduxit auditores alterius cum notabili damno profectus eorum, vel honoris, & famæ doctoris.

Si indignos promouit, elegit &c.

Si factiones fouit vel fovet.

Si crudeliter castigat: quia solùm leuis castigatio eis est permissa.

Studentium.

Si iuramenta non obseruavit.

Si conspirationes malas fouit.

Si auditores alterius lectoris abduxit, cum notabili ignominia lectoris, vel damno studentis.

Si suffragium indigno tulit.

Si abusus est eleemosynis.

Si notabiliter negligens in studijs fuit, manens in studio sumptu alieno.

Tutorum.

Si non curat, vt bonis literis ac moribus imbuatur puer.

Si pia legata, vel debita non soluit, secundùm vltimam voluntaté demortui. Aut soluit quidem, sed post moram notabilem.

Si non conseruat, nec defendit bona pupillorum, vel alienat sine vtilitate, vel ius per negligentiam perdit.

Si pecuniam pupillorum ad vsuras exponit, cum obligatione restituendi.

Hospitaliorum.

Si reditus hospitalis non insumit in ea in quæ sunt destinati.

Si nimis tardè recuperat bona eius alienata.

Si adeò negligit ædificia, quòd ob id cadant: cū obligatione restituendi.

Si one-

Si onera, debita non complevit. Tunc enim fructus hospitalis in alium pium usum conuertat de licentia Episcopi.

Si vltra triennium talia bona tenuit.

Medicorum.

Si absque sufficienti scientia, artem amplexus est.

Si præsumptuosè morbos curare intentat.

Si notabiliter negligit studere, aut infirmos visitare, aut dereliquit antequam debeat, cum notabili periculo: cum obligatione restituendi.

Si peccatum aliquod consuluit propter sanitatem: vel aliquod nociuum permisit ægroto, vt illi placeret.

Si non admonuit (prudenter tamen) vt confessarius aduocetur, testamentumque conficiatur, quo rixæ ab hæredibus præpediantur.

Si pauperem in extrema necessitate constitutum, curare noluit.

Si facilè concessit licentiam non ieiunandi, sine iusta causa.

Si detraxit alijs, vt ipse crebriùs ad curationes aduocetur.

Pharmacopolarum.

Si corruptis medicamentis, aut falsis, aut mutatis, vtuntur.

Si plusquam res valeant, vendunt.

Chirurgorum.

Si nesciens sanguinem minuere, aut membrum abscindere, præsumit tamē id facere.

Si dubitauit de necessitate abscindendi membrum, & tamen abscidit.

Artificum.

Si artem aliquam exercet ad peccandum, vt facere idola, synagogas Iudæorum, Hæreticorum, Schismaticorum, Imò & taxillos, fucos, chartas, si sciunt malè vsuros quibus vendunt.

Si quæ remanserunt de aliena materia, sibi retinuerunt.

Si mentiti sunt cum notabili damno proximi.

Si fraudem aliquam fecerunt.

Mercatorum.

Si Monopolijs vsus est. Est autem Monopolium, cùm mercatores inter se conueniunt, de rebus non vendendis, vel emendis, iusto pretio, sed tantùm eo quod statuunt ipsi, absque superioris authoritate, & mercis circumstantia.

Si non soluerunt fideliter vectigalia, & alia tributa.

De pecunijs falsis, adulterinis, ruptis, diminutis, cum damno notabili proximi.

De dolo in pondere, & mensura,

De vsuris palliatis, vel apertis.

Si mediator in contractu illicito fuit.

Si die festo non audita Missa, multùm temporis insumpserunt in negotiatione.

Serui Mercatorum.

De ijsdem interrogandi sunt: quia etiam restitutionibus ijsdem sunt obnoxij, quamvis ex vsuris & alijs illicitis contractibus, nulla aut parua ipsis vtilitas obueniat.

Iudicum.

Si scit ius, secundùm quod iudicare debet, vel saltem cum consilio peritorum, bonæ conscientiæ, exequi curat quod iustum est. Si non, peccat acceptando.

Si ita potens & fortis est, vt audeat contra potentes ferre sententiam. Si non, peccat acceptando.

Si liberat reum parte contradicente: Aut

Aut cùm per id datur occasio similia perpetrandi.

Si non procedit iuridicè, id est secundùm ordinem iuris.

Si iudicavit, vel iudicare omisit, in fauorem alicuius, cùm deberet,

Si dilationés concessit, quas non debuit; cum obligatione restituendi damna, &c. Si reum de complicibus interrogavit (præterquam in peccatis contra Rempub.) idque tunc, cùm indicia ostendunt complices esse, aut semiplana probatio vel fama.

Sciendum autem est hic, peccata esse in triplici differentia.

Quædam contra bonum commune, vt proditio, hæresis, conspiratio in necem Principis, falsificatio monetæ, maleficium, latrocinia, & alia quæ destruunt ipsum bonum commune. In quibus licet interrogare secundùm doctrinam nuper traditam.

Quædam sunt in præiudicium tertij; vt simplex homicidium, furtum, adulterium.

Quædam quæ soli delinquenti nocent, vt blasphemia, ebrietas, &c. In his duobus nunquam licet.

Si interrogat, ad quod interrogatus respondere non tenetur.

Si dona suscipit: nisi sint comestibilia, & potabilia, moderata, ex mera liberalitate donantis.

Si legem pœnalem statuit principaliter propter suam privatam vtilitatem.

Si delicta, lege diuina vel naturali damnata, sine iusta causa condonat.

Si innocentem condemnat, vel nocentem sine sufficienti probatione, vel inauditum, vel indefensum.

Si testes suspectos admisit.

Si lites, aut debitorum solutiones, sine iusta causa suspendit.

Si tulit sententiam iniustam, vel neglexit ferre iustam: quocunque respectu id fecerit.

Si propter pietatis famam, vel ob quamcunque causam, remittit cùm non possit (vt puta recognoscens superiorem) pœnam in toto vel in parte.

Si peregrinos, viduas, pupillos, & alias miseras personas, non præfert alijs in iure sibi reddendo, cum notabili detrimento earum.

Si damnato ad mortem non concessit tempus suscipiendi Sacramentũ pœnitentiæ, & Eucharistiæ; vel ad hoc non induxit.

Si miserabilibus personis non prouidit procuratores.

Si in inquisitionibus seu scrutinijs, præcipit vt sibi manifestetur, quidquid scitur, siue sit occultum, siue publicum. Nam manifestandum est solum notorium vel famosum.

Si processit contra aliquem particulariter per viam inquisitionis, cùm nec infamia de eo præcesserit, nec indicia, vel semiplena probatio.

Procuratorum.

Si, ad hoc munus insufficiens cùm sit, acceptauit.

Si suscepit causam iniustam: quamuis eam susceperit, non propter victoriam, sed propter solam dilationem, vel partis placationem: siue interponendo aliam causam iustam, siue aliud faciendo: nam omnia hæc iniusta sunt, & obligant ad restitutionem.

Si partem non admonuit statim à prin-

principio vel in prosecutione postquam de iniustitia constitit. Debet enim ipse & admonere & desistere. & partem ad honestam concordiam inducere: quamuis aduersario id indicare non debeat, neque alicui alteri secretum detegere. Si verò causa dubia fuerit, poterit eam continuare, volente sua parte, & id sciente.

Si negligens in studio & defensione fuit, cum obligatione restituendi.

Si aduersario secreta illius causæ vtilia, detexit.

Si causam pauperis, constituti in extrema necessitate sui auxilij, oppressi, atque iniustè tractati, non suscepit.

Si fecit aliquid, propter quod aduersarius istam causam perdidit, aut damnum aliquod habuit, siue petendo superfluas dilationes, siue quomodocunque aliter, cum obligatione restituendi.

Si stipendium maius quàm debeat, pro patrocinio exigit.

Si conuentionem fecit de stipendio in medio. Nam in principio & fine licet.

Si conuenit de quota parte litis, puta dimidia vel tertia, &c. Datur enim occasio volendi vincere per fas & nefas.

Similiter si paciscatur, vt post victoriam tanta summa soluatur: propter eandem enim causam non licet.

Notariorum.

Si cùm non sit ad hoc idoneus, acceptavit officium.

Si ob ignorantiam, negligentiam, aut iniuriam omisit clausulas, vel solennitates necessarias ad valorem inscriptionis, aut obscuritates admisit.

Si pauperibus, eò quòd non sint soluendo, scripturas non confecit, vel non tradidit: vnde passi sunt damnum magni momenti.

Si confecit aliquod instrumentum de aliquo contractu vsurario.

Si ei, qui illum instituit, & ad officium admisit infidelis in damnum eius fuit.

Si ob amorem, spem, timorem, officio suo abusus est.

Si rogatus recusauit tradere instrumentum cùm deberet.

Si partem renuntiaturam alicui iuri, ignorantem, non instruxit & informauit.

Si habens publicum stipendium, vel constitutum & taxatum, tamen maius debito accepit, etiamsi sit spontè oblatum.

Si accepit aliquid pro literis Ordinatorum, cùm habeat officij sui salarium. Si verò non habeat, licitè potest accipere pro suo labore, non habendo tamen rationem Ordinum: vt videlicet plus accipiat pro maioribus Ordinibus.

Si confecit instrumentum absque necessitate, die festo.

Si confecit testamentum carentis iudicio, &c. cum obligatione restituendi ei, qui successurus erat.

Testium.

Si latitauit, vel abscondit, vel absentavit se ne testificetur. Nam interdum non rogatus, tenetur se offerre in testem sciens id necessarium esse ad impediendum aliquod notabile damnum, tam publicum quàm priuatum: vel sciens alium esse in extrema necessitate sui testimonij.

Si finxit partem adversam sibi esse inimicam, ne testimonium ferat.

Si sci-

Si sciens per consultationem (vt aduocati, medici, &c.) aliquod peccatum secretum & detegit illud : cùm cognitio eius non sit necessaria ad mala & damna impedienda : vel etiamsi sit necessaria, tamen maius damnum famæ redundat ex reuelatione, quàm bonum ex manifestatione.

Si accepit mercedem vt verè testetur, cum obligatione restituendi.

Si quis sciens non denunciauit iudici talia & talia crimina, vel debita, præcipienti. Tenetur enim ad hoc faciendũ, etiam post tempus determinatum à iudice nisi sit peccatum occultum, & peccator iam est emendatus, vel solâ correctione fraterna verisimiliter emẽdabilis ; tunc enim non est parendum, vide hoc copiosiùs in Manuali Nauar; ca; 25. Num. 46.

Accusatoris.

Si falsò aliquem accusauit, siue falsi criminis, siue falsi debiti, cum obligatione restituendi famam & omnia damna.

Si post citatam partem non renunciata lite, procurat suspendi contra voluntatem aduersarij, aut deserit causam contra ius.

Si in causa iusta, vsus est medijs iniustis.

Si non accusauit eum, cuius delictum cedit irremediabiliter in magnũ damnum spirituale vel temporale Reipub. siue sit perpetratũ iam siue perpetrandũ similiter si delictũ sit perpetrandum in damnum priuatum, & author per correctionẽ fraternã non resipiscit.

Si non denunciat delicta, etiam illa quæ soli authori nocent, à quibus per correctionem fraternam non resipiscit dummodo saltem vnum testem habeat.

Rei seu accusati.

Si non confitetur crimen etiam cum periculo mortis, interrogatus à competenti iudice, secundùm ordinem iuris. Scilicet quando delictum est notorium, famosum aut semiprobatum, quod accidit, quando est vnus testis oculatus, & omni exceptione maior, id est dignus omni ex parte fide : aut vnum indicium vel plura æquipollentia semiplenæ probationi. Dummodo hoc manifestetur reo, vt videat se teneri ad obediendum iudici interroganti.

Aduertant hic Confessores, & in confessione inducant ad fatendum veritatem sic interrogatum : alioquin non absoluant.

Si non reuertitur ad carcerem : ad quem se reuersurum iurauit.

Si sciens se iustè damnatum, appellat ad differendam excusationem.

Si propter debita incarceratus, potens ea soluere, & tamen ex carcere fugit.

Teloniariorum, seu finium custodum.

Si augent, vel iniustè extorquent.

Si permittunt exportare, vel importare vetita : cum obligatione restituendi vectigalia, quæ importatores, vel exportatores soluere deberent.

Militum.

Si quid accepit vt non faciat damnum, præiudicium, &c. & tenetur restituere, si repetat is qui dedit.

De rapinis, fidelitate, ac stupris interrogandi sunt.

De duellis, prohibitis sub excommunicatione.

Si bello iniusto interfuerunt.

Si intentionem malam, scilicet acquirendi ac vlciscendi habuerunt.

Cauponariorum.

Si parati erant ministrare cibos siue vetitos, siue pro altera comestione, tempore ieiunij, quibuscunque petentibus, nulla habita ratione iustæ causæ non ieiunandi.

Si propinauerunt vel propinare parati erant potum ad ebrietatem.

Si aleatores, qui iniuriosè ludere solent, aut quorum professio nulla alia quàm hæc est, acceptant, vel fouent.

Si meretricia permiserunt.

Subditorum peccata.

Inobedientia notabilis, contemptus domini, murmuratio seu iniusta querela cum detractione coniuncta;

Defraudatio laborum, vsurpatio alienorum fundorum, accusatio proximorum iniusta apud dominum;

Interrogandi sunt in summa; si reddiderunt quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo.

Seruorum.

Infidelitas in custodiendo, dispensando, laborando.

Executio inique iussorum à dominis.

Praua consilia, adulatio, mendacia, inuidia, iniqua conseruorum accusatio.

Dominorum.

Oppressio subditorum.

Exactio vltra consuetudines antiquas, tam pro itineribus, quàm pro laboribus, censibus, &c.

Crudelitas quò ad pœnas.

Retentio mercedis.

Dupla aut maior quàm par sit solutio damni per seruum facti.

Venditio frumenti immundi corrupti, aliarumque rerum non æquè bonarum ac alibi, æquali pretio;

Venditio frumenti & aliarum rerũ cariùs quàm pretium currat.

Vsurpatio fundi alieni, multò autem magis Ecclesiastici.

Rapina bonorum alienorum.

Constitutio pœnarum pecuniariarũ propter priuatum commodum.

Negligentia circa subditos quò ad officia Christiana.

Itineris die festo aggressio, non priùs Missa à se & tota familia audita.

Laboris permissio, vel iussio die festo.

Habentium ius patronatûs.

Si indignum promouit vel promoueri curauit: contulit vel conferri fecit beneficium.

Si Simoniacè, aliquo pacto seu conditione interueniente. Et multò magis si ea lege, vt diminuta bona Ecclesiæ non recuperentur, vel diminuantur, vel taceatur.

Religiosorum.

Si in ingressu impedimenta aliqua habens, reticuit.

Si votum aliquod fregit, præsertim paupertatis sub prætextu alicuius necessitatis.

Si aliquid Prælato celauit vel non præsentauit.

Si vouens arctiorem, ingreditur laxiorem.

Si inducit alios ad ingressum religionis, tacendo austeritates religionis, cum aliquo insigni periculo.

Si ab arctiori religione quempiam abduxit.

Si in visitatione non detexit seu non manifestavit Prælato quod tenebatur.

Et

Et ſi aliquod ſecretum, quod non debebat, detexit.

Si murmurator impatiens, negligens in profectu, Sacramentis, & oratione pro ſe, & alijs præſertim benefactoribus, fuit.

Si officium magnum, & de B. Virgine, & Defunctorum, aliaque debita omiſit.

Si malis artibus, conſpirationibus, & quibuſuis practicis, quæ prohibitæ ſunt, & ſemper nociuæ, Prælatum aliquem elegit: cum obligatione reſtituendi & reſarciendi damnum, quod religio propterea paſſa eſt, ſiue in regulari obſeruantia, ſiue in temporalibus.

Si ſua ſtatuta ad mortale obligantia, in aliquo tranſgreſſus eſt.

Clericorum.

Si ante legitimam ætatem ſuſcepit ordines.

Si ante Confirmationem prima tonſura eſt initiatus.

Si, cùm illegitimus eſſet, ſuſcepit Minores ordines ſine diſpenſatione Epiſcopi: Maiores ſine diſpenſatione Papæ: idem quò ad beneficium ſimplex quod habere poteſt cum diſpenſatione Epiſcopi. Curatum verò cum diſpenſatione Papæ.

Si abſque debita ſufficientia quoad doctrinam & prouiſionem, promouetur ad ordines.

Si negotia ſæcularia, mercaturas, ludos, choreas exercuit, cùm ſit in maioribus ordinibus, vel beneficiarius.

Si artem Chirurgicam vel Medicam exercuit, niſi cauſa pietatis erga miſerabiles & cognitas perſonas, præſertim cum facultate ſuperiorum, & propter penuriam aliorum, dummodo fiat ſine aduſtione vel inciſione.

Si non celebrauit, tunc, ibi, & quoties, vt erat obligatus.

Si Miſſas, quæ ſuperſtitionem redolebant, celebrauit.

Si Confeſſionem negligenter audiuit.

Si abſoluit non abſoluendum, vel ſepeliuit in loco ſacro, defunctum in mortali notorio.

Si Parochiano ſuo petenti Sacramenta non adminiſtrauit.

Si neglexit, vel propter timorem omiſit miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ vel Pœnitentiæ proximo, iam morienti in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto, etiamſi peſtilentia laboret.

Si induxit aliquem ad eligendum ſepulturam in ſua Eccleſia, vel ad non mutandum electam.

Si exiſtens in mortali peccato res ſacras tangit, aut aliquid tanquam miniſter Eccleſiæ facit, ſuo fungens officio.

Si concionatus eſt abſque legitima facultate, vel in peccato mortali, ante iuſtam contritionem, vel mendacium inſeruit circa doctrinam fidei, morum, hiſtorias de Sanctis, miracula, Prophetias.

Si principaliter prædicat propter quæſtum vel gloriam mundanam.

Si concionando, Prælatis Eccleſiæ, ſacerdotibus detraxit, ita vt poſſit cognoſci perſona cui detrahitur.

Si, cùm eſſet in maioribus ordinibus, vel beneficiarius etiam ſimplicis beneficij quantumcunque tenuis, non recitauit officium ſeu horas canonicas, cum obligatione reſtituendi fructus, pro rata omiſſionis. *Beneficiarius etiam*

ſimpli-

simplicis beneficij non recitans officium, tenetur restituere fructus acceptos, post sex menses à consecutione beneficij.

Secundùm Sotum. Less. Rodriq Dianam, relatos in Theologia P. Hermanni de horis Canonicis a. 1. habentem, beneficium ita tenue ut tertiam partem mediocris sustentationis non adaquet, non teneri ad horas Canonicas. Si non sit in sacris. V. 1. Sent. Mor. d. 18. conc. ultimâ.

Si cùm esset pensionarius, non recitauit officium Beatæ Virginis: cum obligatione restituendi.

Si cùm esset in maioribus ordinibus vel beneficiarius etiam simplicis beneficij, non gestauit habitum clericalem & coronam.

Si censuris irretitus, suscepit beneficiũ Ecclesiasticũ. Et collatio est nulla.

Si beneficium simplex ante quatuordecimum annum obtinuit.

Si suscipit beneficium curatum ante 25. annum inceptum, sine dispensatione Papæ. Et collatio est nulla.

Si habita Ecclesia Parochiali, non promouetur ad sacerdotium intra annum. Et ipso facto perdit eam: tenetúrque ad restitutionem fructuum post illũ annũ percipiendorũ. Studiorũ tamen causâ Episcopus potest dispensare ad 7. annos: dummodò subdiaconatum statim suscipiat. Dispensatio verò hæc non iuvaret, si ad studendũ non proficisceretur.

Si suscepit curatum, sine intentione sacerdotium suscipiendi, cùm obligatione restituendi omnes fructus: nisi mutet voluntatem & eodem anno fiat sacerdos.

Si suscepit dignitatem, personatum, sine dispensatione Episcopi, similiter ante ceptũ vigesimum quintum. Episcopus tamen potest dispensare cum eo, qui compleuit 20. annos.

Si non residet in suo beneficio: quod omnino tenetur iure diuino & communi facere. Et fructus pro rata absentiæ tenetur restituere. Potest tamen ex iusta causa, abesse in anno, per duos vel tres menses.

Si beneficij sui ædes, & cæt: non reparat, vel dolo, vel negligentiâ destruit.

Si suspensus à beneficio recipit fructus. Potest tamen in parte recipere, videlicet ad se suosque modestè alendos.

Excommunicatus tamen nihil potest percipere.

Si fructus beneficij in plures quàm tres annos locat.

Si beneficiarius de reditibus Ecclesiasticis notabilem summam impendit, malè, vanè, aut profanè: cum obligatione restituendi. *Nauar.*

Si non erogat pauperibus, vel pijs operibus superflua, quæsita ex reditibus Ecclesiasticis. *Nauar,*

Si multa vel duo beneficia retinet, etiam simplicia. Nisi alterum sit commendatum ad sex menses tantùm.

Si enim vnum suo decenti statu sufficit, contentetur; quamvis aliud sit compatibile.

Si non sufficit, potest sine dispensatione aliud simplex sufficiens habere, dummodo vtrumque personalem residentiam non requirat.

Si post obtentum secundum beneficium curatum, dignitatem, aut personatum, non renuntiat priori: quia ipso iure perdit illud. Imò vt quidam aduertit, etiam posterius perdit, si pergat retinere vtrumque supra sex fortè menses. Insuper est incapax ordinis ma-

nis maioris, & cuiusuis alterius beneficij

Si permutat beneficia absque authoritate superioris: vel propter habendum pinguius mediante permutatione addit aliquid ad suum tenue.

Si Simoniam commisit per se, vel per alium in ordine vel beneficio: & collatio est nulla. Teneturque fructus perceptos restituere Ecclesiæ, cuius est beneficium.

Si non discit ea quæ necessariò tenetur scire: nec vult renuntiare beneficio. Et tenetur ad restitutionem: Nec est absoluendus, donec dimittat & restituat.

Si quartam partem funeralium solitam iam ante annos 40 persolui Ecclesiæ Parochiali. non soluit.

Si iura Ecclesiæ, fructus, decimas negligit repetere.

Si diligentem curam non habet circa honestatem & salutem suorum Parochianorum: idoneosque sacerdotes, vicarios pro administratione Sacramētorum, præsertim Pœnitentiæ, non tenet, vel eos dissolutè viuere permittit.

Si Episcopus cùm sit, ad id sufficientiam non habuit, nec habere curat.

Si electus in Episcopum non ordinatur intra tres menses.

Si non residet. Nam fructus pro rata absentiæ tutò percipere non potest, sed eos tenetur restituere Ecclesiæ. Licet tamen ei per duos aut tres menses abesse propter iustam causam. Et præterea quando id postulat Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, euidens Ecclesiæ ac Reipub: vtilitas, Papa vel Metropolitano approbante.

Si non visitat Diœcesim, cum graui periculo illius.

Si contulit beneficia indignis.

Si causas iustè iudicare neglexit, & pauperum in iudicio rationem non habuit.

Si pomposus in palatio, vel comitatu fuit; cùm mortificare affectus, mūdum contemnere, ac perfectionis magister esse debeat, plusquam Carthusianus vel alius Religiosus.

Documentum Sacerdotibus nouellis scitu dignum.

SI sacerdos in Communione, post sumptam hostiam, animaduertat in calice aquam esse, vel nihil; accipiat vinum cum aqua more solito in cornu altaris dextro, sub prætextu ablutionis sumendæ. Et reuersus ad medium altaris, consecret calicem incipiens ab illis verbis; *Simili modo,* & prosequatur vsque ad illa verba (*vnde & memores*) exclusiuè: omissisque omnibus sequentibus, statim posthæc (*quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis*) sanguinem Domini cum reuerentia sumat, & postea ablutionem accipiat. Et ita placet quibusdam absque alterius hostiæ sub specie panis consecratione, defectum sacrificij supplere. Quod intelligendum puto: vbi ex consecratione vtriusque speciei, scādalum vel admiratio sequeretur. His autem cessantibus, doctrina D. Thomæ de assumptione etiam hostiæ, & inchoatione ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur:* vsque ad finem Missæ; seruanda est.

Secundum. Inueniens particulas Sacramenti post ablutionem in corporali, debet eas sumere, nisi iam perfecerit

omnes ablutiones, & ad communionẽ dicendam se transtulerit.

Scias. Probabile est. Sacerdos sumptâ ablutione absolutisque orationibus (non tamen si ab altari discessit) si aliquam hostiæ particulam in patena vel corporali repererit, potest eam sumere. Cum tota illa actio à ieiunio inchoata una perfecta sacrificii consumptio censeatur. V. 2. Sent. Mor. d. 40, Conc. 2.

NONA PARS

De Censuris, alijsque impedimentis Canonicis.

CEnsura hic sumitur pro correctione Ecclesiastica, facta à Prælato legitimo, in foro exteriori, quà quis priuatur communione Sacramentorũ, vel hominum, vel exercitio diuinorum spiritualium; vel prohibentur diuina officia, vel Sacramenta, vel sepulturæ.

Diuisio.

Censuræ sunt tres. Excommunicatio, Suspensio, & interdictum.

Subdiuisio.

Excomunicatio duplex: Maior, & Minor.

Excommunicatio maior, excludit & priuat hominem Christianum, Sacramentis, tam conferendis, quàm recipiendis: Priuat suffragijs Ecclesiæ, ita, ut bona Ecclesiæ nihil ei prosint, & Ecclesia in nulla re ei intẽdat subuenire. Priuat familiaritate, conuersatione, & conuictu humano, domesticis exceptis. Priuat insuper sepultura Ecclesiastica.

Absolutio ab excommunicatione, cum flagellatione, & Psalmo Pœnitentiali dari debet, nisi confessio sit in publico.

Minor excommunicatio, priuat Sacramentis recipiendis tantùm.

Suspensio est, qua alicui personæ Ecclesiasticæ prohibetur exercitium sui officij, potestatis aut ordinis, vel administratio beneficij Ecclesiastici, & perceptio fructuum.

Interdictum, quo prohibentur officia diuina, Sacramenta, & sepulturæ.

Hæc Sacramenta vetantur tempore interdicti. Ordo, Extrema unctio, nisi sacramentum pœnitentiæ vel Eucharistiæ haberi non potest. Vetatur etiam Eucharistia. Excipe articulum mortis. Alia non vetantur. Matrimonium tamen non datur cum benedictionibus. V. 3. Sent. M. d. 18.

Irregularitas est, quædam inhabilitas vel indignitas, impediens susceptionem ordinum Ecclesiasticorum, aut aliqvem vsum eorum.

TABVLÆ CENSVRARVM.

Excommunicationes reseruatæ Papæ in Bulla Cœnæ Domini.

In eos qui peccant contra.

Fidem Christi. Vt Hæretici, & eorum complices.

Et libros, hæresim continentes ac de religione tractantes, legentes, retinentes imprimentes: cum complicibus.

Vnitatem Ecclesiæ. Vt Schismatici.

Iurisdictionem Ecclesiæ. Vt iniuriantes tam eos qui recurrunt ad Romanam Curiam in suis causis, quàm eos qui iudicijs intendunt: cum complicibus.

Et impedientes cursum causarum ad Romanam Curiam vel in Curia, vel executionem literarum Curiæ, vel Apostolicarum, etiam prætextu violentiæ prohibendæ; vel impedientes traditionem Instrumentorum, aut impetratores literarum; vel malè tractantes personas ad tales causas quomodolibet spectantes: cum complicibus.

Et hi qui sub prætextu friuolæ appellationis, appellant à grauamine vel executione futura literarum Apostolicarum, ad iudices laicos; cum complicibus.

Et iudices atque alij auocantes causas spirituales, vel spiritualibus annexas ab officialibus Ecclesiasticis, & intromittentes se in causas spirituales: cum complicibus.

Et qui trahunt Ecclesiasticas personas ad iudicium sæculare: cum complicibus.

Et impedientes, ne Prælati & iudices Ecclesiastici iurisdictione sua vtantur, vel post eorum decreta ad curias sæculares recurrentes executionem impediendo: cum complicibus.

Et ij qui procedunt in causis criminalibus vel capitalibus contra personas Ecclesiasticas: cum complicibus.

Caput Ecclesiæ. Vt appellantes à Papa ad futurum Concilium: cum complicibus.

Et falsificantes vel fabricantes quascunque, etiam in forma Breuis ac Supplicationum, & falsò signantes supplicationes,

Prælatos Ecclesiæ. Vt nocentes, (octo modis) Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Legatis, Nuntijs Apostolicis: cum complicibus.

Bona Ecclesiæ. Vt inuadentes, occupantes, detinentes bona aut terras Ecclesiæ Romanæ: cum complicibus.

Et vsurpantes vel sequestrantes authoritate vsurpata Ecclesiasticos fructus, reditus & iurisdictionem.

Fautores Ecclesiæ. Vt hi qui impediunt vel inuadunt conducentes victualia, & alia vsui Curiæ Romanæ necessaria: cum complicibus.

Deuotos Ecclesiæ. Vt qui lædunt venientes Romam ad sedem Apostolicam, vel ibidem morantes, vel recedentes.

Et qui lædunt Romipetas seu peregrinos: cum complicibus.

Libertatem Ecclesiæ. Vt imponentes & exigentes decimas & alia à personis Eccesiasticis vel Ecclesijs, Monasterijs, aut eorum fructibus: cum complicibus.

Securitatem Christianorum. Tam ab hostibus quàm inter se inuicem, quàm etiam in rebus eorum. Vt ij qui deferunt infidelibus & hæreticis, vsui bellico idonea.

Et qui secreta Christianorum reuelant: cum complicibus.

Et pyratæ seu prædones, cursarij & latrunculi maritimi: cum complicibus.

Et qui rapiunt bona naufragorum Christianorum, etiam in littore inuẽta.

Itinerantes. Vt qui imponunt, augent exigunt gabellas, vel pedagia, seu noua tributa à transeuntibus.

Bullam hanc. Vt confessores, vel quicunque alij præsumentes à supradictis absoluere. *Licet aliqui asserant hanc vltimam excommunicationem esse reseruatam quidem Papæ, non tamen de numero harum quæ*

quæ sunt Bullæ istius, sed earum quæ sunt reseruatæ Papæ extra Bullam Cœnæ Domini, quæ hic statim sequuntur.

V. Exam. Approbandorum titulo sexto quæsito tertio. Vide etiam in fine Censurarũ (quæ hic referuntur) monitionem valde necessariam.

Excommunicationes Papales, reseruatæ eidem extra Bullam Cœnæ Domini.

Quæ reducuntur ad 20. Capitula.

1. *Ratione Excommunicationis.* Vt excommunicatus nominatim quomodocunque à Papa, etiam non expressa reseruatione.

Et excommunicatio lata à quocunque per modum sententiæ, à Papa confirmata.

Et communicans scienter cum excommunicatis nominatim à Papa.

Et multò magis Clerici, scienter participantes in diuinis cum talibus.

Bonac: de Excomm: in particulari disp. 2. q. 1. punct 3. n. 4. negat sæculares hanc incurrere. Nisi communicent in crimine. Ille autem communicat in crimine (criminoso) qui est socius criminis propter quod aliquis est excommunicatus denuntiatus. Intellige si communicet post denuntiationem.

Addit n. 1. hanc Religiosos non incurrere, nisi communicent in crimine. Quia hi saltem in materia pœnali non veniunt nomine Clericorum. Allegat Vgolinum.

Idem ex textu apertè colligit: vtrumque requiri. Sc. admittere & participare.

2. *Ratione Personæ.* Vt percutiens Clericum, vel Religiosum, & consulens, & banniens.

Et tenentes literas Apostolicas falsas, post viginti dies, ab excommunicatione lata per Episcopum.

Et insequentes Clericos vel Religiosos de familia Papæ vel Cardinalium: cum complicibus.

Et insequentes, percutientes, capientes hostiliter Cardinales: cum complicibus; & gubernatoribus negligentibus contra tales procedere. *Quamvis alij dicant, quo ad Gubernatores & principes, non esse reservatum, sed quò ad inferiores dominos.*

Et qui condunt statuta, vel obseruari faciunt facta, & consuetudines inductas aduersùs libertatem Ecclesiasticam: cum complicibus. V. 15. B. C. D. & Examen approb.

Et inuadentes vel occupantes bona Cardinalium in conclaui existentium, vel electi in Papam.

Et ordinarij locorum, officiales delegati, procedentes per censuras contra suos subditos, insistentes in seruitio Papæ, vel Romæ pro suis negotijs moram trahentes, vel ab ea recedentes.

Et qui prædictorum beneficia recipiunt, si in dictis negotijs existentes priuati sunt.

Et ambientes Papatum. *Vide infra §. 18.*

Et impedientes mandata Apostolicas cum complicibus

Et incolæ Anconitani malè tractantes suos præfectos ac officiales.

3. *Ratione Facti.* Vt Sacrilegi, effringentes & simul spoliantes Ecclesias, Monasteria, Hospitalia.

Et incendiarij post iudicis excommunicationem & eius denunciationem.

Et ij qui asserunt Indulgentias, inutiles esse, vel negant in Ecclesia potestatem esse eas concedendi. *Sed hi essent hæretici, & per Bullam Cœnæ Domini excommunicati.*

Et (quorundam sententia) pugnantes

tes in duello: cum complicibus. Sed his temporibus indubiè reseruatur Papæ.

4. *Ratione Electionis.* Vt male eligentes Senatorem, Capitaneum, Patricium vel Rectorem Romanum:

Et electi sine consensu Papæ se intrudentes in idem officium, & intra annū de tali officio non se expedientes.

Et qui talibus obediunt. Et omnes complices.

Et Cardinales non seruantes Constitutionem Iulij 2. de electione Papæ.

5. *Ratione officij siue præsentis, siue præteriti; siue vsurpati.* Vt Inquisitores malè procedentes vel procedere omittentes, vel alicui iniustè crimen hæresis imponentes, vel vexantes.

Et excommunicatus à delegato Papæ, transacto tempore suæ delegationis.

Et Religiosi, sine licentia Parochi præsumentes administrare Sacramenta Extremæ Vnctionis: Eucharistiæ in Paschate, & in mortis articulo; benedicere Nuptias. absoluere excommunicatos à Canone seu iure, aut à sentententijs promulgatis, à statutis Prouincialibus vel Synodalibus.

Et Confessores, absoluentes excommunicatos à Casibus & Censuris reseruatis Papæ in Bulla Cœnæ Domini, vel commutantes uota ibidem expressa, & à quibusdam alijs Censuris absoluentes; *in Extrau. Etsi Dominici de pœnit: & remiß.* etiam Priuilegio Sixti 4. iam ab eodem reuocato.

Et Religiosi, absoluentes à culpa & pœna.

6. *Ratione iustitiæ impeditæ:* Vt vexantes Censuras ferentium, personas, cognatos, facultates, famulos; obedientesuè Censuris.

7. *Ratione suspicionis Auaritiæ.* Vt inducentes ad vouendum, iurandum, promittendum, eligere sepulturam vel non mutare electam in sua Ecclesia.

Aut divagationis, Vt Religiosi transeuntes ab ordine Mendicantium ad non Mendicantes sine speciali facultate Papæ: excepto ordine Carthusianorum. Et similiter recipientes tales.

Aut iniustitiæ, Vt dantes aut promittentes aliquid in Curia Romana ad obtinendam iustitiam, aut promerendam gratiam alicuius rei.

Et quicunque officiales Papæ (præter Cardinales) in terris Ecclesiæ exercentes quodcunque officium, accipientes munera, præter comestibilia & potabilia quæ biduo consumi possunt, & vltra Statuta antiqua: tenenturque restituere.

Et officiales S. Pœnitentiariæ, accipientes etiam à spontè dantibus &c. pro expeditionis celeritate.

Aut contemptûs. Vt qui absolutus ab excommunicatione Papali in articulo mortis, sublato impedimento non se præsentat eidem. Similiter absolutus à Sede Apostolica vel eius Nuntijs præcipientibus, vt se præsentet Ordinarijs aut alijs iudicibus, si non facit quàm citò commodè possit.

8. *Ratione Prohibitionis.* Vt violantes post specialem monitionem interdictum Papæ, & ad id inducentes.

Et domini temporales cogentes celebrare in locis interdictis. Et conuocantes ad hoc. Et prohibentes ne excommunicati aut interdicti ab Ecclesia eijciantur.

Et excommunicati & interdicti, inobedientes Sacerdoti præcipienti exire ab

re ab Ecclesia dicto tempore.

Et officiales expedientes aut concedentes in S. Pœnitentiaria interdicta eis per Bullam Pij IV.

Idem de officialibus officij correctoris Cancellariæ, & contradictarum.

Et Minores recipientes Tertiolos in celebratione tempore interdicti.

Et infra decennium imprimentes vel venalia habentes, impressa Bononiæ de nouo.

Et omnes Præfecti Ecclesiæ, etiam Archiepiscopi in quibusdam locis Germaniæ, non obseruantes quædam Capitula facta per Sixtum IV. in fauorem ordinum Mendicantium, & è contra in fauorem supradictorum Curatorum vel Prælatorum.

Et Præpositi, extincti ordinis Humiliatorum, si aliquos ad professionem receperint, vel contenta in Bulla extinctionis non obseruauerint.

9. *Ratione crudelitatis* Vt iubentes & exenterantes mortuos; vel ossa à carnibus separantes, vt mortuos conseruent, deferant, ac in alio loco sepeliant.

10. *Ratione Simoniæ.* Vt dantes aut accipientes aliquid ob ingressum in aliquod Monasterium.

Et dantes atque accipientes aliquid pro Ordine sacro vel beneficio.

Et mediatores in his.

Et Cardinales Sede vacante Simoniam committentes

Et prouidentes alijs de beneficijs Ecclesiasticis ac aliquid inde capientes vel sibi promitti facientes directè vel indirectè; Et qui illis nuntiant vel noua portant.

Et qui beneficia Ecclesiastica in confidentiam accipiunt, vel retinent siue expressè siue occultè.

Et scientes aliquem committere Simoniam in Curia, & non denuntiantes Papæ vel alteri ab eo deputato.

Et omnes Episcopis inferiores, proponentes populo casus reseruatos, &c. & pro pecunia dantes facultatem absoluendi.

Et sæculares qui vacantibus Ecclesiarum dignitatibus, Canonicatibus &c. tractant vt fructus ac etiam distributiones, primo ab ipsa vacatione anno, aliter disponantur quàm ius dictet. Aut prouisum ad hoc inducunt, aut nō facienti impediunt possessionem. Nisi consuetudo aliud suadeat.

11. *Ratione Scandali.* Vt qui condemnant, siue hanc, siue contrariam opinionem de Conceptione B. V. MARIÆ impigentes peccatum mortale vel hæresim. *An autem his: Obrigescat lingua. Animus meminisse horret. Mente cogitare piaculum sit. peccatum mortale impingatur? indicent extranei.*

Et qui detrahunt in sermonibus, Prælatis, Episcopis & Superioribus, eorumque statui.

12. *Ratione Fraudis.* Vt delegati inferiores Episcopo, qui deputati ad cognoscendum, an alienatio bonorum Ecclesiasticorū sit in vtilitatē Ecclesiæ, fraudulenter auctorant & determinant. Et procurantes atque extorquentes.

Et fingentes se Cardinalium, aut assistentium, commensales, familiares vel nepotes, vt literas Apostolicas gratis expediant.

Et tractantes bona Ecclesiæ alteri feudatario subijcere postquam vacauerint.

Et fabricantes expendentesque falsam monetam in Francia.

Et deputati Apostolici in Francia, in bene-

beneficialibus non fideliter procedẽtes,

Et omnes electores, præsentatores, confirmatores, patroni tam Ecclesiastici quàm sæculares, qui effecti suspensi à collatione, quia aliquo modo fuit facta alicuius beneficij designatio, vt alicui determinatæ personæ conferatur, tamẽ sic suspensi conferunt, eligunt, præsentant, instituunt.

13. *Ratione iniuriæ Reilgionis.* Vt qui libellos famosos contra fratres Mendicantes, Prædicatores, Minores & Heremitanos faciunt, dicentes eos non esse in statu perfectionis, non licere eis de eleemosyna viuere, nec licere prædicare, confessiones audire cum licentia Papæ sine consensu aliorum Prælatorum, vel violentiam inferunt locis eorum, vel Apostatas eorum retinent.

Excommunicantur omnes qui in monasterio vel Ecclesiis suis detinent Apostatas Ordinis Prædicatorum, nisi eos eiecerint, postquā eis per fratres Prædicatores ne detineant fuerit denunciatum Sic refert armilla V. Excommunicatio. Excomm: 66: ex priuilegio Bonifacii. Virtute &c: jn hoc priuilegio alii Regulares communicant qui in aliis communicant,

Paulus etiam IV. in Bulla quæ incipit postquam diuina bonitas, generaliter excommunicat omnes cuiuscunque gradus & conditionis homines, qui recipiunt. seu nutriunt Apostatas, aut auxilium, consilium vel fauorem præstant, ne redeant ad suum monasterium, domum, aliumque locum regularem, si postquam ab Ordinario loci in quo degunt admoniti à præmissis nou desiterint.

Hæc. Sc. Pauli 4. non est reseruata, secus illa. jtem hæc requirit monitionem Ordinarii. jlla Fratrum. V. Bonac. de Excomm: in particulari d. 2. q. 3. puncto 36.

Et prohibentes, impedientes, vel molestantes personas non impeditas, volentes ingredi Religionem sancti Benedicti.

Et Religiosi recipientes professos sancti Francisci de Paula, sine licentia Papæ & eorum Generalis

Et Tertiariæ, Heremitæ, mulieres, alijque Religiosi portantes habitum S. Francisci de Paula.

Et fratres Minimi S. Francisci de Paula professi subtrahentes se ab obseruantia vel obedientia suorum correctorum: portantes caputium longum post terminum eis præfixum.

Et fratres Minores de obseruantia, qui in quibusuis electionibus, & ante eas per sex menses, pro se vel pro alio subornauerint, vel tales non detulerint.

Et ijdem Fratres procurantes quorũuis fauorem extra religionem ad officium obtinendum.

Et recedentes ab ordine Heremitarum S. Augustini, nisi infra octo dies mandato Generalis paruerint & redierint.

Et Religiosi non mendicantes recipientes ad se Fratres mendicantes, & alios ex quatuor ordinibus Mendicantium.

Et Magistri excludentes Fratres Prædicatores à studio Parisiensi.

Et qui bona 4. Ordinum Mendicantium occupare vel vexare audent, si intra tres dies non restituunt.

Et Fratres Minores recipientes professos Fratres Prædicatores, & è conuerso sine licentia summi Pont. aut suorum superiorum, petita & obtenta.

Et qui temerariè impugnant institutum vel Constitutiones Societatis IESV.

14 *Ratione periculi.* Vt peregrinãtes Hierusalem absque licentia Papæ.

Et

Et Cardinales reuelantes secreta Consistorij sub speciali præcepto seruari iussa; & sine ipso, si hoc sit in alicuius præiudicium aut scandalum.

Et prædicantes miracula falsa vel incerta, vel prophetias quæ non continẽtur in Sacra Scriptura. *Has duas Censuras Concilij Lateranensis, aiunt quidam, non fuisse receptas.*

Et ingredientes Monasteria Monialium cuiusuis ordinis sine causa necessaria, etiam cum licentia Episcopi, quæ non extenditur nisi ad causã necessariã.

Idem dicitur de mulieribus quibuscunque ingredientibus monasteria Religiosorum.

Et Episcopi, Prælatiue alij, aliàs habentes facultatem, tamen extra casum necessarium intrantes.

Et Religiosi sine licentia ad partes transmarinas pro maiori parte ab infidelibus occupatas se transferentes.

15. *Ratione Contagij.* Vt qui scienter participant in crimine cum excommunicato, excommunicatione reseruata Papæ post crimen iam admissum & excommunicationem incursam ac post eius denunciationem.

16. *Ratione Rapinæ.* Vt capientes priuilegio vel consuetudine fructus primi vel vlterioris anni beneficij vacãtis.

17. *Ratione Iniustitiæ.* Vt sæculares impedientes loca, iurisdictiones, bona, census ac fructus cuiuscunque Ecclesiæ, Monasterij, vel loci pij.

Et qui in Regno Franciæ vel alibi vtuntur pragmatica sanctione reprobata. *Sess. 11. Lateranen.* & non delentes eam de libris.

Et qui non reddunt computa in Camera Apostolica integrè.

Et Legati, Gubernatores, homicidam vel bannitum ad Vrbem revocantes: facientes saluos conductus, & receptantes.

Et Thesaurarij à receptatoribus pœnas non exigentes in locis R. E. subiectis.

Et Proceres ac Domini seu temporales vicarij Regni Siciliæ citra Pharum & aliarum partium Romanæ Ecclesiæ subiectarum, homicidas & bannitos Romanæ Eccesiæ receptantes protegentes, vel auxilium, consilium, fauorem dantes.

Et Domini ac Ciues Romanæ Ecclesiæ subiecti, admittentes supradictos in terris suis.

Et qui alicuius Ecclesiæ seu cuiusuis sæcularis vel regularis beneficij, montis pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictionem, bona, census, ac iura &c. quocunque modo vsurpare præsumunt; cum complicibus, etiamsi tales sint Imperatores.

Et qui impediunt ne tales fructus percipiantur ab his ad quos pertinent; cum complicibus.

18. *Ratione Impietatis.* Vt conspirantes contra personam Papæ vel statum eius, & tractantes, consulentes, adiuuantes, de nouo Papa eligendo viuente adhuc primo: cum complicibus.

Et Domini subditi Romanæ Ecclesiæ in suo districtu, occidentes, vulnerantes &c. patrem, filium, aut fratrem, propinquum, amicum, domesticum, propter vindicandam suam, amici, vel propinqui iniuriam.

19. *Ratione Periurij.* Vt prouisi de parochialibus Ecclesijs, vicarij perpetui à Papa, & non adimplent iuramenta fideiussoria. *Hæc Episcopos non afficit.*

20. *Ratione loci.* Vt turbantes priuilegia Ecclesiæ Tolosanæ: cum complicibus.

Et qui vindictæ studio aliquem offenderint in Vrbe, vel ibi arma ad hoc, vel armatos congregauerint; cum cõplicibus.

Excommunicationes Papales, eidem non reseruatæ, quæ reducuntur ad 15. Genera.

1. *Circa Electiones.* Vt qui non electus saltem à duabus partibus Cardinalium in Papam, consentit suæ electioni,

Et qui recipit eum in Papam.

Et qui mittunt literas, nuntium vel clam loquuntur Cardinalibus in conclaui ad eligendum Papam constitutis.

Et Domini seu Officiales ciuitatis in qua eligitur Papa, non faciẽtes quod faciendum statuitur eo tempore.

Et vexantes quoscunque electores Ecclesiasticos vel confirmatores & alios; & bona eorum, causâ: quòd nõ elegerint ad quamcunque dignitatem, postulatum ab eis,

Et accersitus in directorem electionis Monialium, si excitat & alit discordiam.

2. *Circa Nuntios Papæ.* Vt impetrãtes fauores vocales, vel literas commendationis ad dignitates, à Principibus, Regibus, Imperatoribus, ad quos mittuntur; etiamsi tales nuntij sint Archiepiscopi, Patriarchæ.

Et impedientes, ne Legati vel nuntij Papæ recipiantur, vel ne exequãntur;

3. *Circa literas.* Vt laici vtentes literis Apostolicis falsis.

Et falsarii literarum Apostolicarum per alios. *Nam qui hoc faciunt per se, habent reseruationem in Bulla Cœnæ Domini.*

Et defensores fautoresque falsariorũ.

Et impugnantes literas Papæ electi, tanquam irritas, antequam coronetur;

Et qui in Romana Curia Apostolicas commissiones, intimationes, publicationes, & affixiones præsumpserint præsentare, præter cursores.

Et laici recipientes literas seu Bullas Papales non de manibus Papæ vel deputatorum.

4. *Circa Clericos.* Vt Episcopus, qui in ciuitate diuersarum linguarum suscipit administrationem talis Episcopatûs, priusquam suscipiatur à proprio Episcopo in coadiutorem suum.

Et Clerici Maiorum ordinum suscipientes præfecturas sæculares,

Et Clerici non Episcopi, qui sunt etiam domini temporales, permittentes vsurarios publicos alienigenas (non oriundos inde) versari in terris suis vel non expellentes inde.

Et tam Clerici hi quàm alij sæculares locantes illis vel alio prætextu concedentes domos ad vsuras exercendas etiam implicitè.

Et Clericus habens dignitatem vel personarum, licèt non sit Presbyter; & præterea Presbyter, licèt non habeat dignitatem neque Ecclesiam Parochialem, qui audit leges ciuiles vel medicinam duobus mensibus.

Et qui per se vel alium quocunque modo impediunt litigantes in foro Ecclesiastico in causis, quæ de iure & consuetudine conueniunt.

Et omnes officiales qui euacuant iurisdictionem & authoritatem Prælatorum quàm habent in suis hominibus; & successores dictorum officialium, nisi

 infra

infra menſem errorem prædeceſſorum correxerint.

Et concedentes ac extendentes repreſſalia ad Eccleſiaſticos.

Et domini ac iudices negligentes obſeruare ſtatutum contra perſequentes hoſtiliter Cardinales.

Non reuelantes Papæ vel Ordinario crimina in Cardinales commiſſa vel committenda.

Et Conſules, Rectores, imponentes Eccleſijs vel perſonis Eccleſiaſticis tributa, vectigalia, ſi ſint vel ſemel admoniti: cum complicibus.

Et exigentes ab Eccleſia vel perſonis Eccleſiaſticis portorium ſeu pedagium, collectas &c. & ducatum, pro rebus quas non deferunt cauſâ negotiandi.

Et vſurpantes iuriſdictionem Eccleſiaſticam.

Et domini temporales prohibentes ne aliquid emant perſonæ Eccleſiaſticæ, aut vendant, coquant, molant, aut ne quis eis præſtet aliqua officia ad ſocietatem vitæ humanæ neceſſaria.

Et Gubernatores ac iudices qui admoniti ab Epiſcopis & alijs Eccleſiaſticis, omittunt Clericis ius reddere, vel facere iuſtitiam, ob negligentiam vel iniquum animum.

Et Epiſcopi & Superiores habitu mutato vagantes, vel qui Romam accedentes inde diſcedunt ſine licentia Papæ: cum receptatoribus non reuelantibus; vel extra Diœceſim abſque licentia pernoctantes.

ET RECTORES PAROCHIALIVM ECCLESIARVM, & QVICVNQVE ALII, QVI FRATRES MENDICANTES, 4. ORDINVM, CONTRA PRIVILEGIA SVMMORVM PONTIFICVM, VEXANT.

5. *Circa Religioſos.* Vt Religioſi qui exeunt à ſuis Monaſterijs, & dimittunt ea, vt audiant leges ciuiles vel medicinam, & non redeunt infrà duos menſes.

Et Religioſi ad quæcunque ſtudia ſine licentia ſui Prælati euntes, niſi ibi ſit Conventus ſuus in quo ſint manſuri.

Et doctor docens leges aut Medicinam Religioſum qui reliquit habitũ ſuum vel detinet in ſcholis.

Et inuentores nouarum Religionum ac in eas ingredientes.

Et Fratres Mendicantes recipientes aliquem ad ſuum ordinem abſque ſpeciali facultate Papæ, exceptis quatuor ordinibus Mendic.

Et Religioſi temere habitum ſui ordinis relinquentes, dummodo ſint profeſſi tacitè vel expreſſè.

Et Religioſi appropriantes ſibi ſine cauſa legitima decimas &c. vel eas ſolui prohibentes, aut non permittentes.

Et Religioſi diſſuadentes decimas, ſiue in concione, ſiue alias.

Et Religioſi, data opera non facientes conſcientiam in confeſſionibus, de ſolutione decimarum, & tandem ſine præmiſſa pœnitentia concionantes.

Et Religioſi non ſeruantes interdictum vel ceſſationem à Divinis, quàm ſeruat Cathedralis vel Parochialis oppidi.

Et Monachi ſimplices, & Canonici Regulares adeuntes aulas Principum animo nocendi ſuis Prælatis, aut Monaſterijs.

Et interpretantes Clementinam, *exivi, de verb. ſignifi.* quæ declarat regulam S. Franciſci.

Et Monachi ſine facultate Abbatis, haben-

habentes arma bellica intra claustra Monasterij.

Et Religiosi Mendicantes, qui accipiunt seu acquirunt nouas domos, vel noua loca in habitationem aut commutant vel alienant acquisita ante Concil. Lugd. aliquo titulo. *Nonnulli tamen habent ad hoc Priuil. Julij 11.*

Et cogentes quascunque mulieres ingredi Monasteria, vel profiteri: cum complicibus.

Et præsentes consentientesque tali actui.

Et impedientes sanctam voluntatem quarumcunq; mulierum, accipiendi velum, vel profitendi.

Et abbatissæ & Moniales exeuntes de clausura aut à Monasterijs quacunque de causa, etiam infirmitatis, excepta magni incendij, vel ægritudinis lepræ vel epidemiæ, probatæ literis Superioris hæc est reservata &c.

Et impedientes visitationes Monialium.

Et Fratres ac Moniales S. Claræ seu Tertiariæ regulæ, vtentes quomodolibet gratijs & immunitatibus Bullarum Cruciatæ: vel aliarum consimilium contra obedientiam Ordinis, & sine speciali licentia suorum Superiorū.

Et fratres cuiusuis Ordinis & alij, prædicantes, seu priuatè nuntiantes, quòd indulgentiæ S. Mariæ de populo in Vrbe, extenduntur ad sæculares, visitantes Ecclesias Priuilegiatorum.

Omnes Magistratus sæculares, qui ab Episcopis requisiti non præbent auxilium brachij sæcularis, vt clausura Monialium conseruetur.

Et prohibentes facere eleemosynas Fratribus S. Augustini.

Et exactores dationum, gabellarum, pedagiorum & vectigalium à personis regularibus Ordinum Mendicantium, & molestantes eos in prædictis, toties quoties.

Et qui exegerunt aliquid à Mendicantibus pro reparatione pontium, viarum, murorum, &c

Et non dimittentes exemptos & immunes ab omnibus & singulis exactionibus tam vrbanis quàm rusticis, eos qui regulariter mendicant: quoad eorū omnia bona, & quoad suos colonos, affictuarios & huiusmodi respectiuè spectant.

Et Fratres S. Francisci de Paula Minimi nuncupati, recipientes vel retinentes Fratres Ordinum Minorum de obseruantia sine expressa licentia Papæ, à transeuntibus obtenta.

Et Fratres Ordinis Prædicatorum, & Sorores eiusdem Ordinis, appellantes vel conuenientes & conueniri facientes ad iudicem sæcularem vel Ecclesiasticum etiam conservatorem ipsorū, nisi priùs causam vel querelam suam verbo vel scriptis coram Priore aut Prouinciali vel Generali Magistro, & successiuè in capitulo Generali propofuerint. Et iudices omnes in his se intromittentes. Quod ad alios Ordines participantes priuilegia eorum extenditur.

Et impedientes aut perturbantes notarios Ordinis Prædicatorum, ne munera sua exequantur.

Et laici Principes quomodocunque impedientes reformationem apud Conuentuales factam vel faciendam.

Et Magister ac Fratres hospitalis S. Lazari Hierosolymitani, vtentes Priuilegijs

legijs reuocatis super recuperatione quorundam locorum.

Et quicunque Fratres de obseruantia nuncupati, quorumvis ordinum Mendicantium, qui loca Fratrum Conventualium nuncupatorum, aut monasteria Monialium ipsorum, præsumpserint quærere aut recipere.

Et omnes cuiuscunque dignitatis tā spiritualis quàm laicalis, qui præsumpserint id tentare, etiam prætextu reformationis.

6. *Circa Inquisitionem.* Inquisitores, commissarij eorum, vel Episcopi, vel Capituli sede vacante: qui prætextu sui officij illicitè extorquent aut sumunt pecuniam aliquam. Et qui scienter confiscant bona Ecclesiastica vel occupant.

Et Domini quocunque nomine censeantur, non obedientes Inquisitoribus generalibus Romæ, in pertinentibus ad officium sanctæ Inquisitionis.

Et Iudices & eorum complices, non auxiliantes contra hæreticos.

Et malè tractantes officiales, instrumenta denunciantes, testificantes, in rebus S. fidei. Inquisitionis negotium impedientes; cum complicibus.

Et Domini temporales, qui de crimine hæresis cognoscunt vel iudicant.

7. *Circa bona Ecclesiastica.* Vt qui nouè vsurpantes ius custodiendi aliquā Ecclesiam vacantem, vel titulum aduocationis aut defensionis, aliqua bona illius capiunt.

Et Clerici vel Monachi hoc fieri procurantes.

Et compellentes personas Ecclesiasticas ad submittendum perpetuò vel in longum tempus, scilicet ad decem annos, Ecclesiarum bona immobilia, ac iura earum, laicis. Et qui hæc per licitum contractum habent, plus tamen usurpant, quàm sit illis permissum per eundem contractum.

Et impedientes vel infringentes sequestrum inductum super beneficio ab Ordinario, ob latam in Curia Romana vnam sententiam definitivā super possessione vel proprietate eiusdem.

Et alienantes vel locantes bona Ecclesiastica in plures quàm tres annos: & percipientes prædicta bona. *Hæc dicitur non esse recepta ubiqve.*

Et emens rem Ecclesiæ, vel aliter acquirens, à Schismatico.

Et tenens beneficium à Schismatico.

Et qui innititur ordinationi factæ per Schismaticum: & audet affirmare ordinationes ab Octauiano & Guidone factas vel ab ordinatis ab eis, esse ratas.

Et fictè resignantes beneficia Ecclesiastica, vel permutantes. Et notarij ac testes hæc scientes.

Et molestantes, impedientes, se ingerentes Collegio & deputatis fabricæ S. Petri super reuisione & recuperatione bonorum Ecclesiasticorum.

8. *Circa Iudicium.* Vt pars in iudicio, inducens conseruatorem seu protectorem datum à Papa, ad propulsandas manifestas iniurias seu violentias, ad procedendum in his quæ non continent apertam violentiam vel iniuriam, quæ requirunt iudiciariam potestatem & altiorem indaginem.

Et fingens casum aut fraudem faciens, quò iudex ipse vadat ad accipiendum testimonium alicuius fœminæ. *Quod prohibetur propter insidias pudicitiæ mulierum.*

Et

Et Officiales ciuitatis, facientes, scribentes, dictantes statuta, vt soluantur vsuræ, vel quòd solutæ repeti non possint: & qui hoc ipsum iudicant, & qui ad id potestatem habentes non eradunt è libris talia statuta, vel consuetudinem vim eorum habentem

Et qui metu incusso ac vi consequutur absolutionem vel revocationem sententiæ cuiuscunque censuræ.

Et vsurpantes nomen Vicarij vel simile, vacante imperio: cum complicibus.

Et inuadentes Ecclesias, ædes, aliasue res, vel scripturas &c. officij vel ministrorum, siue diripiendo, siuè incendendo &c. cum complicibus.

9. *Circa Sacramenta.* Vt qui scienter contrahunt Matrimonium in gradibus vetitis consanguinitatis vel affinitatis carnalis, aut cum Monialibus.

Et Religiosi, ac Clerici in ordinibus maioribus constituti contrahentes. Et Clericus talia matrimonia celebrans.

Et cogentes siue directè siue indirectè, etiam suos subditos, minùs liberè Matrimonium contrahere.

Et qui affirmant Matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.

Et docentes vel pertinaciter asserẽtes, quòd Confessio Sacramentalis non sit necessariò præmittenda ad dignè communicandum, (etiam habita copia confessoris) dummodo adsit contritio.

10. *Circa sepulturam.* Vt sepelientes in loco sacro interdicto, aut excommunicatos publicos, aut vsurarios manifestos.

Et sepelientes scienter in loco sacro hæreticos, aut hæreticorum quomodolibet complices

11. *Circa Libros.* Vt, non habentes pro authenticis omnes libros sacrorum Bibliorum, exceptis 3. & 4. Esdræ.

Et Constitutiones Apostolicas scienter contemnentes.

Per Constitutiones Apostolicas, intellige, traditiones. Vel ex ore Christi. vel alias Spiritu S. dictante, acceptas.

Hæ duæ excommunicationes Sc: non habendo pro authenticis omnes libros Bibliorũ & contemnendo traditiones Apostolicas, licèt non reseruentur in Trid: Seß: 4. de Scripturis Canonicis, reseruantur tamen in Bulla Cœnæ Domini.

Non solùm autem præfati libri à Canone Sacrorum librorum excluduntur sed & sequentes. Liber tertius & quartus Machabæorum. Oratio Regis Manassæ, annecti solita libris Paralipomenon. Appendix ad librum Iob. Psalmus centesimus quinquagesimus primus Dauidis, qui in Græcis psalteriis reperitur. Euangelium Nazaræorum. Epistolæ S. Pauli ad Senecam, quarum meminit S. Hieronymus in cathalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis. Liber Pastorũ, cuius author, teste S. Hieronymo loco cit: fuit Hermes, cuius mentio fit in Epistola ad Romanos c. ultimo.

Et legentes habentesue cuiusuis authoris, etiam Catholici, scripta propter hæresim vel falsi dogmatis suspicionẽ damnata. *Nam quantum ad libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, habet excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini.*

Et imprimentes seu imprimi facientes librum vel quamlibet aliam scripturam sine debita licentia & approbatione certarum personarum. *Ista quo-*

que Nauarro & alijs non videtur esse recepta. Quod valde nota pro omnibus alijs.

Et qui Commentarios, Glossas, Annotationes aut Scholia huiusmodi ediderint pro Interpretando Concilio Lateranensi & Tridentino.

12. *Circa Proximos.* Vt capientes Christianos habitantes in terris occupatis à Turcis, in seruos: & nolentes eos dimittere liberè cum bonis suis. *Hanc dicunt aliqui esse reseruatam.*

Et mulierum raptores: cum complicibus.

Et committentes duellum siue publicum, siue priuatum.

Et concedentes locum ad duellum.

Et patrini, & dantes consilium, in causa duelli.

Et eius spectatores, socij, etiamsi ob impedimentum pugna non sit commissa. Sed hæc de duello, his temporibus reseruantur Papæ.

Et interficientes aut interfici iubentes aliquem Christianorum per assassinos, id est quosdam Paganos ad talia paratos, quamuis mors non sequatur.

Et qui reciperint, defenderint, occultauerint tales assassinos.

Et Doctores & Scholares Vniversitatis Bononien: qui aliorum Scholarium hospitia, durante locatione, conducunt sine eorum consensu.

Et qui prædicando aut disputando audent impugnare Montes Pietatis.

Et Gubernatores & alij Ministri status Ecclesiæ Romanæ, permittentes portari arma breuioris mensuræ trium palmorum.

Et permittentes spectacula publica aut priuata, vbi taurorum ferarumuè agitationes exercentur. Et Clerici qui his intersunt.

Et Domini tam sæculares quàm spirituales Papæ subiecti quicunque, qui subditorum suorum frumenta &c. vltra necessitatem suam emunt.

13. *Circa simulatã Pietatem.* Vt fœminæ sequentes statum Beguinarum: cum complicibus.

Quid nomine Beguinarum veniat, vide apud Bonac: disp. 2. de Censuris q. 2 puncto 26. Ideo autem non explico: quia parum ad praxim. Fœminæ verò quæ sine vlla regula in suis domibus Deo specialiter seruiunt nomine Beguinarum non veniunt.

Et Bisochi aut Beguini, qui sunt aut infideles, aut suspecti de fide, cum quodam certo ritu & habitu.

14 *Circa Religionem.* Vt laici vtriusque sexûs, qui sortilegia, incantationes ac divinationes per inuocationem dæmonis exercent.

Et incantatores, dæmonis adoratores, annulum, speculum, vel aliã quamcunque rem fabricantes, vel rem Magicam facientes.

Et omnes ac singuli Doctores, Magistri, Regentes, & alij cuiuscunque artis professores &c. qui Professionem fidei non fecerint in manibus Episcopi vel eius vicarij.

Miniantes circulos cereos, id est, Agnus Dei consecratos à Papa.

Et exercentes regimen in triremibus infidelium.

Et sagittarij & ballistarij in Christianos.

Et non permittentes immunes ab omni datio, gabella, &c. transire eos qui portant victualia Romam.

Et oblationes accipientes ab altaribus.

15. *Circa obligationem.* Vt qui pro se vel alijs se obligavit solvere annatas

tas in Camera Apostolica & non solvit suo tempore.

Excommunicationes aliquando Papales, aliquando Episcopales.

In Inquisitores, & eorum vel Episcoporum vel Capituli, sede vacante, commissarios, extorquentes pecuniam illicitis modis, aut bona Ecclesiastica propter Clerici delictum confiscantes, etiam Ecclesiæ adiudicando. *Hæc enim excommunicatio ante satisfactionem est Papalis; post, Episcopalis.*

In incendentes Ecclesias vel Monasteria vel pia loca. *Ante denuntiationem Episcopalis. post, Papalis.*

In effringentes simulque spoliantes loca sacra, Monasteria vel pia loca. *Similiter ante denuntiationem Episcopalis. Post Papalis.*

In dantes licentiam offendendi eos, qui tulerunt aliquam censuram in Principes, Nobiles, eorum ministros &c. *Hi enim si duorum mensium spatio resipuerint, eius absolutio erit Episcopalis. Exinde verò Papalis.*

In eos qui tali licentiâ data vti ausi fuerint. *Post duos menses Papalis.*

In eos qui proprio motu, ferentes sententiam offenderunt supradictos. *Post duos menses Papalis, quæ ante erat Episcopalis.*

Cùm prima excommunicatio ut Papalis non numeretur inter reseruatas, à fortiori ut Episcopalis non reseruatur.

Secunda quæ est contra incendiarios, ante denuntiationē est nulla V. Armillam. Tertia, Ante denuntiationem. à quolibet Exposito, potest absolvi, vide Bonac. Quarta, quæ est contra temerè aggravantes eos qui censuram tulerunt, ante duos menses potest à quolibet absolui. Vide Sent. M. de excomm. reseruatis.

In absolutos à sententia excommunicationis ratione periculi. *Si post periculum non se præsentant illi, qui ordinariè potest ab ea absoluere, reincidunt in eandem Papalem vel Episcopalem, qualis antea fuit.*

In participantes in crimine cum excommunicatis, qui in talem incidunt, qualis est socij, Papalis & Episcopalis. *Dummodo participatio sit post crimen à socio commissum & excommunicationis denuntiationem.*

Excommunicationes Episcopales.

1. Incursa ob leuem percussionem Clerici vel Religiosi.

2. Et ob grauem, si percussor, Episcopi iudicio, Papâ adire non potest.

3. Et excommunicatio Papalis, cuius absolutio ob aliquod iustum impedimentum conceditur inferiori: tunc enim solus Episcopus absoluit.

4. Excommunicatio quam fert Episcopus per suum statutum, reseruando sibi absolutionem.

5. In proponentes Indulgentias plenarias, & facultatem à reseruatis absoluendi, virtute aliquorum Priuilegiorum, in anno Iubilæi, quæ tunc solent suspendi, & contra taliter facientes solet excommunicatio promulgari. *Si tamen de facto promulgatur. Nam in Bulla Sixti 4. prohibitio tantùm ad mortale obligans transgressorem, cum censuris ferendis, continetur.*

6. In extrahentes vi aliquem Catholicum de Ecclesia, sed hæc ex decreto Sacræ Congregationis, de mandato Clementis VIII. edito, quod incipit, *Sacra Congregatio.* Papæ reseruatur excipe hæresim, homicidium & mutilationem in loco sacro. homicidium proditorium, assassinium. Cri-

men

men læsæ Maiestatis, latrocinium publicum & grassationem viarum, tandem depopulationem agrorum, quibus delictis non fauet immunitas Ecclesiæ.

7. In raptorem cuiuscunque mulieris: cum complicibus.

Hæc refertur inter Papales non reservatas, sed nec ut Episcopalis censetur esse reseruata ut colligo ex Bonac. de Censuris in particulari disp. 2. q. 2. p. 9.

Excommunicatio Minor.

Separans à passiua tantùm Sacramentorum participatione, absoluitur à quolibet etiam simplici Sacerdote, sicut & peccata venialia.

Incurritur.

1. Propter participationem cum excommunicato maiore excommunicatione in casibus prohibitis. Quæ limitata est ad participantem cum excommunicato nominatim, & ob percussionem Clerici notoriam. Nota. In sequentibus casibus, iam non habet locum excommunicatio minor, vt habetur in Exam: approb: tit: 12. q. 4.

2. Propter sacrilegium.

3. Propter notoriam fornicationem.

4. Propter receptionem Episcopatûs vel Abbatiæ &c. de manu laici. *Licèt hoc ex textu difficile possit elici. Nam expresè est interdictum.*

5. Propter Simoniam.

6. Ob exercitium artis ballistarum in bello iniusto.

7. Propter dissidium. Et pauperū oppressionem.

8. Cui negatur Ecclesiastica sepultura.

9. Pro quolibet peccato mortali & occulto: quoad Deum.

Suspensio.

In Clericum maiorum Ordinum fornicarium notorium, antequam verè pæniteat.

Hanc quidam extendunt etiam ad Clericum Minorum ordinum.

In Clericum eligentem in Episcopū eum qui non est legitimus, vel legitimâ ætate, scientiâ, & moribus præditus.

In eligentes, si infra octo dies ipsam electionem electi distulerint præsentare.

In Clericum provocantem ad duellum, acceptantem, & committentem.

In Clericos beneficiarios, gestantes vestes partitas, vel coloribus distinctas.

In Clericos consentientes electioni de se factæ, per potestatis sæcularis abusum.

In Clericos & Religiosos, quibus prohibitum est audire Leges & Medicinam.

In recipientes Ordines in excommunicatione pro manuum iniectione in Clericum.

In Simoniacum in Ordine vel beneficio.

In suscipientes Ordinem S. sine legitima ætate, facultate, tempore.

In promotum per saltum, vel ab Episcopo qui renunciauit tam loco quàm dignitati, vel excommunicato, deposito, Simoniaco, hæretico, Schismatico.

In suscipientem vno die duos Ordines S. vel minores cum Subdiaconatu.

In ordinatos sine dimissorijs, vel cum eis habitis à Capitulo, vel Admini-

ministratore sede vacante, infrà annum à die vacationis.

In eum qui Sacris initiatur sine patrimonio, cum pacto non petendi ab Episcopo victum, & qui ordinatur ad præsentationem alicuius beneficiarij, cum pacto nihil petendi ab eo *Suspenduntur tam præsentator, quàm ordinator, & ordinatus.*

In habentes beneficium cui annexus est ordo, si infra annum non promouentur.

In Sacerdotes qui sponsos alterius Parœciæ sine licentia, matrimonio cõiungunt, vel benedicere audent.

In eos qui pro alienis debitis, Ecclesiam suam grauant, aut literas vel sigilla concedunt, quibus possint Ecclesiæ obligari.

In celebrantes in Ecclesia polluta. Qui sunt suspensi ab ingressu Ecclesiæ: & si celebrant in suspensione, efficiuntur irregulares.

In Episcopos & Superiores, vsurpantes aliquid ex redditibus Ecclesiarũ vacantium, tam relictis quàm collectis, durante vacatione.

In Episcopum ordinantem alium Clericum aut Religiosum sine licentia debita, aut inuitum, reclamantem, bigamum, irregularem, solenniter pœnitentem, illegitimum, neophitum, seruum, adscriptitium.

In promoventes ad Ordines, curiales, id est histriones, &c. *Sed hic est depositio comminatoria tantùm.*

In Episcopum ordinantem absque titulo Clericum religionis, in qua solùm fit votum temporale. *At hæc fuit reuocata, quatenus attingebat religiosos Societatis.*

In Episcopum conferentem tonsuram clericalem, infanti, illiterato, coniugato.

In Episcopos exercentes Pontificalia, in aliena Diœcesi, sine expressa licentia Ordinarij. *Et sic ordinati sunt suspensi.*

In Episcopos concubinarios, si per Synodum Prouincialem admoniti, non se emendauerint.

In Episcopos, si post Prouincialem Synodum infra 6. menses non retulerint conuocatis ad se Abbatibus & Clericis, omnia acta Concilij.

In Episcopos & Superiores omittentes procedere contra aliquem in hæresi: vel impedientes.

In Episcopos & Superiores locantes domos vsurarijs alienigenis, vel in terris suis id permittentes.

In Episcopos malè disponentes fructus beneficij vacantis.

In Archiepiscopos & alios iudices confirmantes electionem vel consecrantes electum, si antea ad Papam est appellatum, non cognito an per aliquam prauitatem sit ab appellatione recessum.

In Episcopos, electores, præsentatores & patronos, qui effecti suspensi à collatione, quia verbo, signo, aut nutu, facto, aut huiusmodi fuit alicuius beneficij facta designatio, vt alicui determinatæ personæ conferatur, tamẽ sic suspensi, conferre. eligere, præsentare vel instituere audent.

Episcopos non afficit suspensio, nisi quando specialis mentio fit de eis, vt in supradictis.

In inferiores Episcopis, qui visitantes recipiunt munera, vel exigunt procurationem in pecunia, aut visitationis officio non impenso procurationẽ in victualibus sumere præsumunt.

In Prælatos non Episcopos, qui Ecclesias sibi commissas, seu ipsarum bo-

na subijciunt laicis, absque consensu Capituli & Sedis Apostolicæ licentia.

In Prælatos consentientes alienationi, in grauamen aut detrimentum bonorum Ecclesiæ.

In Prælatos per negligentiam confirmantes indignum electum ad regimē animarum.

In Prælatos & Cardinales impedientes Notarios Ordinis Prædicatorum ab eius Ordinis Prælatis Electos, in executione intimationum, citationum, &c.

In Prælatos & Cardinales, proponentes populo indicem casuum reseruatorum gratiarum & indulgentiarum, & pro certo pretio concedentes absolutionem &c. Et huiusmodi indicem vbilibet repertum non dilacerantes.

In Prælatos extra casum necessitatis ingredientes clausuram Monasteriorum Monialium.

In Prælatos admittentes ad Doctoratum aliquem, non accepto iuramento quòd ultra tria millia Turonen: argenteorum in tali Doctoratus solennitate non expendat.

In Capitula & singulares personas, quæ vacāte sede Episcopali vel Collegiata, vsurpant sibi aliqua bona, quæ reliquit defunctus, aut collecta fuerunt tempore vacationis.

In Conuentus, Capitula, Collegia, perturbantia priuilegia Ecclesiæ Tolosanæ.

In excommunicantes, suspendentes, interdicentes aliquem solo verbo, sine scripto, aut sine expressā causa illius, vel non dantes copiam harum sententiarum, requisiti, vel excommunicantes absque monitione.

In admittentes ad diuina officia, Sacramenta, aut Ecclesiasticam sepulturam, excommunicatos, interdictos publicos, vel vsurarios manifestos.

In non seruantes Ecclesiasticum interdictum.

In iudicem Ecclesiasticum non Episcopum, qui contra iustitiam & suam conscientiam aggrauat partem, odio, fauore, &c.

In Iudices se intromittentes in cognoscendis negotijs in causis electionum Episcoporum, sententiam ferentes & confirmantes.

In deficientes in probatione eius, quod obiecerunt contra personam electi ad aliquam dignitatem, vel personatum.

In Conseruatores sedis Apostolicæ, scienter cognoscentes causas, quæ non sunt manifestè violentæ.

In quemlibet in S. ordinibus constitutum, qui de controuersiæ alterutra parte in materia de Conceptione B. V. Mariæ in popularibus Concionibus, vel vbicunque promiscua virorum ac mulierum multitudo conuenire solet, disputare rationibus, vel Doctorum authoritate propriam confirmando sententiam, contrariamque refellendo, & impugnando audet. Vel de hac quæstione cuiusuis pietatis aut necessitatis, prætextu, vulgari sermone, scribentem aut dictitantem. *Absolutio reseruatur Papæ.*

In Abbatem, vel Priorem non habentem Abbatem, si sotulares non corrigiatos, aut caputia non fixa portat.

In eosdem, si venationi aut aucupationi clamorosæ, vel alias cum canibus & auibus ex proposito intersunt.

In Conuentus & Capitula petentia

vel

vel exigentia aliquid quoquo colore, in receptione personarum vtriusque sexûs ad religionem, vel ante aut post illam.

In Capitula & Conuentus, quibus ob transgressionem Bullæ Pij 5. circa non admittendas beneficiorum resignationes, est interdicta facultas conferendi beneficia, &c. & tamen faciunt.

In Prælatos religionum, si requisiti à personis Ecclesiasticis de præiudicio ex administratione S. Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, Matrimonij, aut quacunque absolutione indebita, à suis religiosis facta, infra mensem plenam satisfactionem læsis non exhibent.

In Religiosos habentes aliquam administrationem qui alienant aliquid ex spectantibus ad eam etiamsi tantùm ad vitam vel certum tempus absque necessitate & facultate sui Capituli, si habent, vel Prælati, si Capitulum non habent.

In Fratres Prædicatores & alios Ordines Mendicantium assumptos in Episcopatum vel alias Prælaturas, si prius consecrentur quàm resignent Ordini libros & alia quæ habent.

In Fratres Prædicatores perturbantes Fratres Minores in officio Inquisitionis, & vice versa.

In Religiosos Ordinis Mendicantium, recipientes ad professionem ante annum probationis elapsum.

In Religiosos non recipientes decimas, si requisiti non faciunt conscientiam confitentibus, de decimis soluendis.

In Religiosos, grauantes vel fraudantes ecclesias circa decimas eis debitas: si requisiti non desistunt, vel non satisfaciunt.

In Regulares omnes, præsumentes introducere mulieres vel admittere in Monasteria & domos Regularium.

In contrahentes matrimonium per verba de præsenti, & ante carnis copulam facientes se ad sacros ordines promoueri, aliter quàm in S. Canonibus permittatur; per hoc enim non dissoluitur matrimonium Nisi Religionem ingrediantur.

Excommunicati, sunt ipso iure suspensi.

Interdictum incurrit.

1. Collegium, Vniversitas, Ciuitas, loci, cogentes Ecclesias, Ecclesiasticasúe personas solúere gabellas, &c. pro rebus proprijs, negotiationi non expositis.

2. Vniuersitas, locans domos alienigenis vsurarijs, & territoria locantium.

3. Ciuitatis ministri & domini, in qua Papæ Electio fit, non obseruantes seruanda.

4. Vniversitas concedens vel extendens pignorationem, seu repressalias, in Clericos & personas ecclesiasticas.

5. Vniuersitas vel Ciuitas consentiens & non puniens, eos qui Cardinales persequuntur.

6. Territoria illius, qui Episcopū iniuria afficit aut in hoc consentit.

7. Regna, terræ, & loca quælibet illis subiecta, qui Legatos sedis Apostolicæ aut Nuntios impediunt, &c.

8. Collegia ac Capitula, quæ Priuilegio, statuto, vel consuetudine, fructus, primi aut vlterioris anni beneficiorum vacantium vendicant sibi, cōtra Iuris dispositionem.

9. Vniversitates ac Collegia, à Papa ad

pa ad futurum Concilium appellantia: ac complices.

10. Principum illorum territoria, qui sequestrationes, applicationes, dissipationesque fecerunt vel fieri mandauerunt, de quibuscunque bonis ad Ecclesiã quomodocunque spectantibus.

11. Respub. Communitates & Vniversitates, quomodolibet delinquentes contra spectantia ad libertatis & immunitatis Ecclesiasticæ fauorem.

12. Capitula infra annũ à die vacationis ordinandi licentiam alicui concedentia, nisi occasione beneficij Ecclesiastici.

13. Ecclesiæ & Cæmeteria, apud quæ sepulti fuerunt ij, qui inducti sũt ad promittendum se ibidem electuros sepulturam, vel non mutaturos, à Clericis vel Religiosis illius Ecclesiæ.

14. Communitas in prouincia Anconitana, malè tractans officiales Apostolicos.

15. Vniuersitas perturbans priuilegia Ecclesiæ Tolosanæ.

16. Religiosi vel sæculares Clerici etiam exempti, scienter celebrantes vel celebrari facientes in locis à iure vel homine interdictis, aut excommunicatos publicè, vel interdictos nominatim ad diuina officia, Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittẽtes.

17. Locorum ordinarij, suadentes, & etiam Censuris inhibentes, ne Christi fideles fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, eleemosynas erogent.

18. Iidem inhibentes, ordinantesq; præcipientes, statuentes, quo minus supra dictorum Ordinum fratres, liberè vti possint Priuilegijs, Indulgentijs fratrum Heremitarum, S. Augustini, Carmelitarum & Seruorum.

19. Ijdem obsistentes quo minus sepeliantur in Ecclesijs in Cæmeterijs Fratrum Ordinum Mendicantium, qui volunt.

20. Ijdem persuadentes Religiosis, vel sæcularibus, vt ipsis inuitis, quorumcunque cadauera in Cæmeterijs dictorum Fratrum sepeliant, vel etiam ipsi personaliter sepelientes.

21. Ijdem Missarum Solennia in eorum Ecclesijs, vel exequias, sine eorum assensu, celebrari facientes.

22. Ijdem cogentes eos ad solutiones collectarum seu exactionum quarumlibet, vel exigentes decimas pro vineis, terris, hortis, & cæteris ad eos pertinentibus.

23. Ijdem prohibentes, quominus recipiant quascunque mulieres ad habitum & regulam eiusdem Ordinis.

24. Ijdem impedientes quominus quoscunque Clericos vel Laicos, liberos, ad ordinem suum recipiant, aut retineant.

25. Ijdem præsumentes venire ad eorundem domos causa celebrandi Ordines, tractandi, vel aliquos Conuentus publicos conuocandi. Vel eos ad Synodos vel Conuentus forenses accedere compellentes, vel pro Consecrationibus Ecclesiarum & altarium, pro Oleo S. & alio quolibet Sacramento quicquam ab eis extorquere audentes, & gratis non impendentes.

26. Ijdem sine rationali causa denegantes Sacramenta Eucharistiæ aut Extremæ vnctionis, aut differentes personis confessis fratribus dictorum Ordinum, approbatis & admissis ad confessiones audiendas, vel Parochianis prohibentes, & persuadentes ne confitean-

fiteantur Fratribus dictorum Ordinū? cum complicibus.

27. Episcopi & Abbates bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorumque piorum, quomodolibet alienantes, inconsulto Romano Pontifice.

28. Episcopi non facientes obseruari constitutionem de facienda fidei professione, ab omnibus cuiuslibet facultatis lectoribus.

29. Episcopi & superiores in visitatione exigentes munera, aut procurationem in pecunijs: vel visitatione non facta, quamcunque procurationem.

30. Prælati sine licentia Papæ, Commentarios, Glossas, Annotationes, Scholia, &c. super Concilij Trid. decretis, quouis prætextu edentes.

31. Cardinales cæterique Prælati recipientes in confidentiam, quicquid ad Ecclesiam spectat. *Imò sunt etiam excommunicati.*

Has censuras adæquatè substantialiter referri non affirmo. Tunc censuræ inadæquatè substantialiter referuntur quando omittitur conditio ad incurrendam censuram necessaria. v. g. nisi restituerit. &c. Vel omittitur actio ad incurrendam censuram conrequisita v. g. Sit excommunicatus qui effregerit fores Ecclesiæ, & non additur & spoliauerit &c.

Tunc referuntur inadæquatè accidentaliter, quando non referuntur omnes actiones, quarum qualibet per se sumpta sufficit ad contrahendam censuram. Vel non referuntur omnes pœnæ.

Perplexitas verò tunc est, quando nescitur, an particulæ diuidant actiones, ita ut utraque actio seorsim sumpta habeat annexam excommunicationem. Vel ita coniungant, ita ut si una actio desit, censura non incurratur. V. g. excommunicantur in Bulla Cœnæ D. præsumentes occupare bona aut terras Ecclesiæ Romanæ & illius iurisdictionem vsurpantes. Lij & (in textu autem habetur, nec non) licèt videatur iungere actionem cum actione non tamen iungit, ut probat Bonac. explicando excomm. vigesimam Bullæ C. D.

Has inquam omnes censuras adæquatè substantialiter referri non affirmo. Et vt aduerto D. D. referentes compendiosè censuras non solùm omittunt nonnullas actiones, quibus per se & solitariè sumptis annectitur excommunicatio &c. sed & omittunt particulas indicantes necessarias conditiones ad incurrendam excommunicationem. v. g. nisi intra triduum restituerit &c.

Et sic D. D. dum sic compendiosè referunt censuras, non referunt ut Confessarius omnino iudicet incurrisse, sed in quantùm necessarium est absoluat, nisi reseruatio innuatur.

Attendendum etiam est, an aliquæ excomm. non sint etiam ex pertinentibus ad Bullam C. D. v. g. illa. Contra condentes statuta aduersantia libertati Ecclesiasticæ.

Attendendum etiam an aliquæ sint in usu & consequenter obligent.

Polluitur Ecclesia.

1. Si intra eam sanguis humanus iniuriosè effunditur: aut causa mortalis effusionis vel mortis datur.

Scias, non violari Ecclesiam per effusionem sanguinis medicinalem. V. 2. Sent. M. d. 49. Conc. 2.

2. Si in Ecclesia semen humanum voluntariè effunditur.

3. Si in ea excommunicatus vel infidelis sepelitur.

4. Si Ecclesia per Episcopum, excom-

communicatum publicum, consecratur, aut benedicitur.

5. Si omnes parietes renouantur, seu incrustantur, cum deiectione maioris partis eorum.

In his casibus est reconcilianda.

NOTA.

1. Polluta Ecclesia, polluitur Cæmeterium sibi coniunctum: non autē vice versa.

2. Cæmeterium eo modo polluitur, quo & Ecclesia.

Altare stabile exacratur.

1. Si mensa penitus vel enormiter frangatur, ita vt deformitas appareat vltra medietatem.

2. Si frangatur in cornibus in quibus consueuit fieri consecratio.

3. Si mota fuit iunctura, qua mensa stipiti adhæret: quia in illa coniunctione præcipuè intelligitur esse consecratio altaris. Et hoc ubicunque sepulchrum sit.

4. Si quid de lapidibus stipitis tangentibus ipsam mensam moueatur: intellige autem quoad principales lapides tangentes mensam.

5. Si mensa constituta sit super 4. columnas lapideas & vna columna moueatur.

6. Si sigillum frangatur vel amoueatur, vel minuatur.

Aliqui negant per fractionem vel amotionem sepulchri altare exacrari. V. 2. Sent. M. d. 49. circa finem.

Altare portatile exacratur.

1. Ex remotione lapidis a ligno, quando sepulchrum est in ligno.

2. Quando mouetur sigillum sepulchri.

3. Ex notabili lapidis fractione, vt suprà de stabili dictum est.

NOTA.

1. Exacrata Ecclesia non exacratur altera.

2. Polluta tamen Ecclesia polluitur altare stabile, ita vt reconciliatione indigeat.

Priuatio Ecclesiasticæ Sepulturæ, propter 15. infrascripta infligitur.

1. Hæresim.

2. Excommunicationem maiorem, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ in vita.

3. Infidelitatem, quoad adultos, Decessionem sine baptismo, quo ad infantes.

4. Sui ipsius interfectionem.

5. Interdictum publicum.

6. Vsuram manifestam.

7. Admissionem ad Ecclesiasticam sepulturam usurarij manifesti, excommunicati, &c.

8. Omissionem S. Confessionis, vel Eucharistiæ in Paschate.

9. Rapinam, vel incendium Ecclesiarum.

10. Vitium proprietatis in Religiosis.

11. Detentionem decimarum.

12. Blasphemiam.

13. Obitum in peccato mortali.

14. Obitū in torneamētis, vel post illa; & in duello, & in spectaculis tauri vel ferarum.

15. Institutionem Sacerdotis in tutorem filiorum suorum.

Irregularitas, quæ post Censuras est impedimentum Canonicum, multiplex.

1. Ex

1. *Ex defectu* Fidei: scilicet ante Baptismum.

Ætatis: iuxta determinationem S. Conc: Trid.

Rationis: vt in carentibus vsu rationis pueris, lunaticis, furiosis.

Sexûs: vt in fœminis, quæ potiùs sunt incapaces: & Hermaphroditis.

Libertatis: vt in seruis & Dæmoniacis.

Corporis: debitam sanitatem, venustatem vel integritatem non habentis: vt leprosi, morbum caducum patientes, abstemij.

Generationis: vt sunt filij & nepotes Hæreticorum, Iudæorum, & illegitimi.

Negant aliqui apud Gobat tr. 8. n. 655. hæreticorum filios à fortiori nepotes in nostris partibus esse irregulares; si crimen parentum nunquam imitati. Quia in nostris partibus hæresis non inducit infamiam. Hoc certum si hæretici emendentur irregulares quidem manent sed non eorum filij. C. statutum § 2. de hæreticis in 6. V. 3. Sent. M. d. 27. conc. 7.

Literarum: vt idiotæ.

Perfectæ lenitatis: vt consentientes in necem, aut mutilationem alicuius.

2. *Ex Sacramento.* Vt bigamia, & Neophytorum status.

3. *Ex delicto.* Vt in Hæreticis, etiam post pœnitentiam, & complicibus: homicidis, mutilantibus, & in hæc consentientibus.

Apostatis à fide, infamibus, & criminosis manifestis.

Baptizantibus & rebaptizatis. Idẽ de alijs Sacramentis characterem imprimentibus. Quorundam sententia:

Differentibus Baptismum vsq; ad infirmitatem.

Suscipientibus S. ordines vel exercentibus, dum sunt aliquibus censuris irretiti, vel in Ecclesiâ interdictâ.

Exercentibus ordinem S. non habitum.

Ordinatis per saltum vel furtiuè.

Suscipientibus Ordines duos vna die & minores cum Subdiaconatu, Vel ab Episcopo excommunicato, vel eo, qui renuntiauit non solùm loco, sed etiam dignitati.

In insordescentibus per annum in suspensione. *Qui sunt inhabiles ad beneficia iam quæsita & electiones.*

DECIMA PARS,

De reseruatis Casibus.

Documentum Primum.

In articulo mortis, omnis casus & omnis censura cessat esse reseruata.

Secundum.

Sublata excommunicatione à casu Papali, ab ipso peccato iam quilibet Confessor absoluere potest. Nam omnis casus Papalis habet annexam censuram, & propter illam est reseruatus.

Tertium.

Episcopus potest absoluere à Casibus Papæ reseruatis, si sunt occulti; alias non. *Licet aliqui excipiant omnes casus in Bulla Cœnæ Domini.*

Quartum.

Religiosi interdum habent facultatem à Papatibus absoluendi, non requisitis Episcopis, ratione Confraternitatum, vt Rosarij, & Nominis Dei &c. Quapropter diligenter Bullæ inspiciendæ sunt, & videndũ ne aliquæ sint reuocatæ. Similiter ratione concessorum priuilegiorum, habent authoritatem confessarij Ordinis Prædicatorum: & Minorum, in votis dispensandi, in quibus possunt Episcopi, præterquàm in voto peregrinationis vltra duas diætas. Ratione verò Confraternitatum etiam plus possunt. Vide Bullas. Episcopi vero possunt dispensare in omnibus votis, præterquàm continentiæ perpetuæ, religionis, peregrinationis Romam, ad S. Iacobum Compostellæ, Hierusalem,

Quintum.

Si occurrerit pœnitens cum casu reseruato, remittat eum Confessarius ad Superiorem: quod si noluerit, petat ipse Confessarius facultatem. In cuius concessione Superior omnino facilis esse debet, vt fragilitati atque verecundiæ subditi charitatiuè condescẽdat, & ne confessionem detestabilem efficiat.

Si autem peccatum in particulari scire vellet, posset Confessarius illud detegere: nisi ex tali manifestatione posset cognosci directè, vel indirectè persona, quæ peccatum reseruatum habuit: tunc enim sacrilegus esset Confessarius. Quod præsertim obseruandũ est in paruis congregationibus, vbi facilè in aliquem suspicio cadere posset.

Taxare tamen pœnitentiam Prælatus posset pro reseruatis casibus.

Qui si facultatem dare nollet, quamvis pessimè faceret peccator, tamen ab alio absolui non posset, non tantùm à Censura, sed neque à peccato reseruato.

Gab. à S. Vinc. refert decretum Clementis VIII. quando Prælatus Regularis negat licentiam absoluendi à reseruatis potest pœnitens absolui directè ab his pro vna vice. Quod etiam ex nonnullis D D procedit de Episcopo negante facultatem.

Potest præterea Confessarius persuadere pœnitenti, vt aliquam Confraternitatem, habentem tale priuilegium, assumat, & vigore illius absoluere.

Sextum.

Potest etiam Confessarius auditis omnibus peccatis absoluere à quibus potest, & pro absolutione à reseruato tantùm ad Superiorem remittere. Cui solum reseruatum manifestare sufficiet, cùm antea integra Confessio sit facta primo Confessario. Non autem posset Superior à solo reseruato absoluere non præmissa integra Confessione ante se, vel ante alium quempiam facta. Hac opinione de dimidiana Confessione, rarissimè, & in magna necessitate vtendum est, expressè insinuatur 3. p. *Tyroc. §. 1. n. 14.*

Septimum.

Si accideret aliquem Confessarium quamcunque ob causam absoluisse à casu reseruato, curare debebit obtinere authoritatem super illum casum reseruatum: qua habita, si commodè error aperiri pœnitenti non potest, nec ad Confessionem reuersurus speratur, absoluat siue præsentem, siue absentem etiam non aduertentem, dummodo pœnitens tunc in gratia esse vel saltem dispositus ad absolutionem suscipiendam credatur. *Hic tamen propriè non absoluitur, sed solùm reseruatio tollitur. Si tamen*

vis ab-

vis absolutionem propriè dictam: tunc illa absentia, fit moraliter præsentia.

Casus Episcopales de Iure.

1. Peccatum Clerici, irregularitatē habens annexam. *Licèt alij negent.*

2 Incendium domorum, frugum, & aliarum rerum, ex proposito factum; cum complicibus.

3. Peccatum ob quod solemnis pœnitentia sit imponenda, quod est notorium, graue, & scandalosum.

4. Blasphemia notoria & publica. *Licèt aliqui negent.*

5 Dispensatio votorum, iuramentorum.

Sed hæc non intelliguntur nomine casuum.

6. Absolutio ab excommunicatione maiori. *Sed neque hæc est peccatum, sed pœna peccati.*

Lezana V. Casus probat nullum Casum de iure antiquo esse Episcopo reseruatum. De iure tamen nouo reseruatur ei abortus fœtûs animati secuto effectu & habet annexam excomm:

Casus Episcopales per generalē consuetudinem, vel quasi generalem.

1. Homicidium voluntarium.

2. Peccatum falsariorum, falsificātium monetam, testimonia, scripturas, siue in iudicio siue extra. Et reticentes veritatem interrogati. Et Aduocati, Procuratores, Notarij, ostendentes scripturas partibus aduersis.

3. Violatio libertatis aut immunitatis Ecclesiæ. *Quæ habet annexam excommun: Cœnæ.*

Bonacina negat habere annexam excommunicationem Cœnæ. Distinguit enim immunitatem localem à libertate Ecclesiastica. Casus violatæ libertatū Ecclesiasticæ in Bulla Greg. 14. expressi sine dubio sunt reseruati in Bulla C. D. non verò casus violatæ immunitatis localis. Vt reus extrahatur loco habente immunitatem, debet adesse licentia Episcopi vel Vicarij Generalis cum interuentu personæ Ecclesiasticæ. Quam dare non possunt nisi in casibus certis ut refert Bonac: disp. 2. de Censuris in particulari q. 3. punct. 16 §. 11. n. 3. ex Constitutione Greg. 14. Hi autem numerantur hîc parte nonâ circa finē excomm: Episcopalium.

4. Omne Sacrilegium.

5. Peccatum retinendi incerta aliena.

L. 2. Sent M. d. 66 cont. 3. refertur ex quadā S. Congregationis declaratione: non posse esse casum reseruatum retentionem incertorum.

6 Diuinationes, incantationes, sortilegia.

7 (*Addunt aliqui*) Matrimonium clandestinum, & contra interdictum Ecclesiæ contractum, cum testibus.

8. Susceptio ordinum per saltum vel fraudem.

9. Retentio decimarum & primitiarum.

10. Incestus.

11. Bestialitas.

12. Sodomia.

In referendis casibus ex consuetudine generali Episcopo reseruatis non conueniunt D D: neque hæc consuetudo generalis aut eiusdem modi in omnibus Episcopatibus videtur esse, ait Lezana. Ideo quando de reseruatis ex consuetudine in aliquo Episcopatu non constat, solùm habendi illi pro reseruatis quos sibi Episcopi vel Synodus expressè reseruant. Peirinis & Ludouicus à Cruce apud Lezanam. V. Sent. M. l. c. conc. 2.

L Casus

Casus Episcopales per constitutionem specialem, contenti in Rituali seu Agendorum libro posterius edito.

Hæresis, quàm solus Episcopus Concilij Trid. authoritate absoluit: licèt pro vno tantùm particulari casu occurrente, talem facultatem committere possit.

Apostasia. Homicidium voluntarium. Iniectio violenta manuum deliberata, cum læsione in parentes facta.

Raptus & violatio virginum. Incestus cum consanguineis aut sanctimonialibus. Incendium malitiosum. Simonia. Sodomia. Sortilegium. Adulterium notorium. Et generaliter omnia delicta, quæ excommunicationem maiorem à Canone vel homine latam habent annexam.

Vnde propter hanc clausulam Confessarij non possunt absoluere ab excommunicationibus Papalibus nemini reseruatis: sed solus Episcopus, vel cui specialem facultatem dederit.

Et omnes alij excessus prædictis grauiores.

Propter hoc vltimo loco dictum, recurrendum est ad Rituale antiquius, Anni Domini 1574. vbi superadduntur casus hi.

VIDELICET.

Clericus excommunicatus maiori excommunicatione, celebrans aut Sacramenta administrans.

Clericus admittens excommunicatum ad audienda diuina.

Clericus absoluens excommunicatũ sine facultate, vel in casibus prohibitis,

Clericus ordinatus sine licentia sui Episcopi, vel per saltum promotus.

Reuelans confessiones aliorum.

Clericus fornicationem admittens cum ea quam baptizauit, vel in confirmatione tenuit, vel cuius confessionem audiuit.

Si quis illegitimus sine dispensatione, aut beneficium aut ordinem suscepit.

Si Clericus sit bigamus, vel in sacerdotio contraxit matrimonium.

Si corpore enormiter vitiatus, aut irregularis sine dispensatione celebrat.

Parentes percutiens: Sacrilegus & adiutor eius.

Procurans abortum vel sterilitatẽ, in se, vel in alia.

Oppressor liberorum suorum.

Machinans in mortem vxoris, aut vxoricidium committens.

Procurans maleficia inter coniuges, ne possint habere copulam.

Publicè blasphemus.

Qui publicum crimen vsuræ periurijque commisit.

Excommunicatus, & cum eo scienter communicans in diuinis.

Qui in cultu diuino, vel circa administrationem Sacramentorum, communicant cum hæreticis.

Coitus in Ecclesia.

Contrahens matrimoniũ post sponsalia priùs contracta, & iuramento confirmata.

Mulier alienum partum marito supponens.

Deflorator vel oppressor virginis.

Qui cum Moniali vel Monacho rem habuit.

Abutens Sacramentis, rebus sacris, vel

vel Sacramentalibus, ad profanos vel illicitos vsus.

Raptor & vsurpator bonorum Ecclesiasticorum.

Copula vel matrimonium, inter propinquos, affines, & spirituales.

Contrahens matrimonium post votum castitatis.

Celebrans in altari non consecrato, vel sine apparamentis, vel non ieiunus.

Baptizans proprium filium extra necessitatem, vel tenens in Baptismo, vel confirmatione.

Celebrans in loco interdicto.

Clericus qui bello interfuit.

Violans Ecclesias & immunitates earum.

V. supra dicta: ubi de casibus Episcopalibus per consuetudinem generalem.

Bis baptizatus.

Casus reseruati Episcopo Cracouiensi in Synodo Diœcesana.

CRimen hæresis. Lectio aut detentio librorum hæreticorum. Apostasia. Profanatio, pollutio, & violatio Ecclesiæ. Sacrosanctæ Eucharistiæ, atque Oleorum sacrorum abusus. Præstigiæ, & maleficia, quæ cum inuocatione explicita vel implicita, dæmonũ fiunt; inque detrimentum vitæ vel bonorum alicuius tendunt.

Absentatio diuturna à beneficio residentiam requirente, sine dispensatione summi Pontificis, vel licentia Episcopi, in scriptis obtenta. Proditio auditæ Confessionis. Patris aut matris percussio. Homicidium deliberatum per se vel alium; consiliumque aut auxilium efficax ad id datum. Quin & casuale, ex nõ adhibita requisita ad evitandum illud diligentia, aut data rei illicitæ opera, secutum. Abortus non procuratus licet; ex aliqua tamen culpa prouenien s.

Frequentata & publica vsura. Incendium dolosum, antequam publicatum fuerit. Detentio piorum legatorum, & quæuis malitiosa vltimarum voluntatum impeditio, occultatioue. Falsum in iudicio testimonium, siue extra iudicium falsa in scriptis attestatio. Raptus virginum aut viduarum. Stuprum vi illatum. Adulterium notorium. Sacrilegium cum Deo dicatis. Incestus quicunque in primo & secundo gradu Scelus nefandum, & contra naturam, ac delictum quodlibet, cui excommunicatio maior, non tamen Papalis, interdictumque aut suspensio fuerit adiuncta.

SEQVVNTVR EX EADEM Synodo pulchræ animaduersiones.

Absoluendi tamen ab his omnibus, præterquam à crimine hæresis. Visitatoribus nostris; singulis autem Præsbyteris, per singulos Officialatûs, eligendis à Clero, & à nobis approbandis, ab abortu, homicidio casuali, adulterio, & incestu occulto, plenariam quoad forum interius, sine potestate tamen subdelegandi, concedimus facultatem.

Porrò decumbentes grauiter, aut alias quomodolibet constitutos in vitæ periculo, si sit extrema necessitas, quilibet Sacerdos, etiam non Parochus, neque requisita Parochi licentia, ab omnibus, non solùm nostris, sed & Papalibus casibus, ac Censuris, quibuscunque, poterit absoluere, dummodo pœnitentes, si tunc possunt, satisfaciant cui debent: aut cautionem præstent idoneam, de satisfaciendo à se vel à su-

is, primo quoque tempore.

Vocati ad ægrotos Parochi, sine mora accurrant, imò non vocati etiam, cùm primùm de adversa valetudine illorum cognouerint, inuisant, hortenturque eos ad suscipienda Ecclesiæ Sacramenta.

Mulieres etiam grauidas admoneant; vt ob instans in partu periculum, confiteantur tempestiuè, doceantque easdem in Confessione, ne se tunc, vel tempore menstrui, maritis commisceant.

Secundùm Caiet: & alios accedere ad menstruatum tantùm est veniale. V. Sent M. l. 2. d 93.

Sed & morte mulctandis ob publica crimina, exhibeant dignam Sacerdotibus Christi charitatem, munitosque Sacramentis, comitentur ad locum supplicij, & ad piè in Domino moriendū disponant.

Casus reseruati Episcopo in Synodo Diœcesis Plocensis.

Falsum testimonium, in iudicio cum damno proximi.

Vsura, & quilibet contractus per Canones vetitus.

Retentio legatorum piorum in testamento factorum.

Furtum ante restitutionem.

Hic quoque prohibetur ne mulieres lactantes, secum in lecto habeant puerum per noctem: monēturque confessores, vt talibus notabiles pœnitentias iniungant, quamuis suos lactantes non suffocauerint.

Decretum Sanctissimi D. N. Clementis PP. super casuum reseruatione ab omnibus regularium superioribus obseruandum.

Sanctissimus D. N, qui iam pridem accuratè perpendit & re ipsa comperit, quàm reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pænitentes, à peccatis quibusdam grauioribus (nisi superiores admodum prudenter ac moderatè illa vtantur) nonnullos infirmiores qui interdum superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere possit in æternum damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem, Ideo vt huic malo Sanctitas sua opportunè prospiceret, decreuit; vt nemo ex Regularium Superioribus, peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis ijs quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot; prout subditorum vtilitati expedire, prudenter in Domino iudicauerit.

Veneficia, Incantationes, Sortilegium, Apostasiam à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit vt extra septa Monasterij seu Conuentûs fiat egressio.

Nocturnam aut furtiuam à Monasterio seu Conuentu egressionem, etiam non animo apostatandi factam.

Proprietatem contra votum paupertatis; quæ sit peccatum mortale.

Iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo.

Procurationē, auxilium seu consilium ad abortum faciendum, post animatū fætum, etiam effectu non sequuto.

Falsificationem manûs aut sigilli officialium monasterij seu conuentus.

Furtum de rebus monasterij seu cōuentus, in ea quantitate quæ sit peccatum mortale.

Lapsum carnis voluntarium opere consummatum.

Occisionem seu vulnerationem, seu gra-

grauem percussionem cuiuscunq; personæ.

Malitiosum impedimentum aut retardationem, vel apertionem literarũ à superioribus ad inferiores ab inferioribus ad superiores. Si quod præterea aliud peccatum graue pro religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura discussione & consensu.

Non liceat superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte & proprio motu id ab eis petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos vel tres aut plures Confessarios, pro subditorum numero maiori vel minori iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse inprimis Confessarius iudicauerit.

Tam superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen superioribus determinare pœnas graues quibusdam peccatis etiam non reseruatis, à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscunque Regularium superiores, quicunque illi sint, obseruari mandauit, non obstantibus Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac cuiusvis Concilij, & Generalis decreti? nec non consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obseruatis, aut regulis in Generalibus aut Prouincialibus Capitulis editis, Statutis, & Constitutionibus, etiam Apostolica authoritate confirmatis, Priuilegijs, indultis & concessionibus quibuscunque, quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, cæterisque contrarium facientibus quibuscunque &c. Datum Romæ apud S. Petrũ die 26. Maij, Anno Domini 1593.

Andr. Sorbolengus Secret. Visitator.

PARS VNDECIMA.

Pro accedentibus ad S. Communionem doctrina.

DEvotè ac reuerenter Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum sumpturi, quædam obseruent ante sumptionem, quædam in ipsa sumptione, quædam post.

Ante sumptionem tria.

In mente. In ore. In corpore.

1. *In mente.* Perpendendo causas, propter quas velit tantum Sacramentum percipere. Nam id faciendum est, tum in commemorationem & in gratiarum actionem passionis & mortis Christi, tum in pignus summæ charitatis & misericordiæ Dei in nos: quæ

factum est, vt reuersurus ad Patrem, corpus quoque proprium & sanguinem atque adeò seipsum totum nobis relinqueret: tum in remedium animæ nostræ, ac infirmitatum eius sanationem: tum propter obedientiam exhibendam S. matri Ecclesiæ: iuxta Sapientis consilium: Nec dimittas legem matris tuæ: quia melior est obedientia quàm victima, vt quondam dixerat Samuel Sauli. Et tandem ad gloriam Dei & animæ nostræ commodum atque salutē.

Considerando discrimen inter mensam profanam & hanc mensam cœlestem: & quanta cum reuerentia huic, ipsi quoque S. Angeli Dei astant, vt te ad eandem reuerentiam inducant.

Examinando conscientiam: num pacem habeas cum Deo, per confessionē legitimam: cùm proximo per veram & humilem reconciliationem: memor illius doctrinæ CHRISTI: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris fratrem tuum habere aliquid aduersum te (siue propter personæ, aut famæ læsionem siue bonorum alienorum acceptionem, retentionem, vel damni illationem) relinque ibi munus tuum ante altare: & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum.

2. *In Ore.* Orationes deuotas & supplices fundendo: vt qui Dei beneficio, corpore & sanguine eius reficimur: ipsius munere dignè & fructuosè ad tantum Sacramentum accedamus.

In corpore. Ipsum per ieiunium praeparando, per continentiam (quo ad coniugatos) distractiones sedando, linguam & os pridie communionis purgando, impedimenta pilorum longiorum labia tegentium, introitum Sacramenti prohibentium, aut periculosè circumstantium (prout experientia compertum est) auferendo & tondendo.

In ipsa sumptione tria sunt valde necessaria,

Fides, Deuotio, & Humilitas.

1. Credere inprimis debes in illis speciebus panis, quæ sunt, albedo, rotunditas, sapor, non esse panem, sed virtute diuina, statim post consecrationē à sacerdote siue bono siue malo factā, esse verum Corpus Domini nostri IESU Christi, imò totum Christum. Quod sic declaratur. Est ibi Corpus Christi, eodem Christo teste: Accipite & manducate. Hoc est corpus meum.

Et quoniam Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: ideo non est ibi corpus mortuum aut exangue, sed viuum & cum sanguine, ac proinde est ibidem Christi anima & sanguis. Iuxta regulam verò Damasceni: Quod Deus semel assumpsit, nunquam dimisit: credendum est, ipsam quoque Deitatem Christi ibidem adesse. Cùm itaque suscipias quatuor, nimirum Corpus Christi, sanguinem; eius animam, Deitatem, iam totum Christum suscipis. Manducas simul, quia ibi est corpus Christi (quod aliter non sumitur, nisi per manducationem) & bibis, quia est ibi sanguis, qui non aliter sumitur nisi per modum potûs. Manducat, inquit, simul & bibit anima nostra dum hoc Sacramento diuinissimo reficitur. Vnde non minus suscipis quàm Sacerdos in Missa, quamuis ille propter perfectionem sacrificij, & repræsentationem mortis Christi, sub duabus speciebus, vt offert, ita & suscipit.

Dein-

Deinde credendum eſt totum Corpus Chriſti in tota hoſtia eſſe ſiue parua ſiue magna: & totum in qualibet particula eius.

2. Deuotio tanta eſſe debet, vt exardeſcas in Deum, in eum mutari contendas, ipſique cor & omnia tua tradas atque deuoueas.

3. Humilitas, vt Dei maximam dignationem in hoc negotio agnoſcas, tibi verò ſummam indignitatem tribuas.

Poſt ſumptionem tria.

In templo. Suſcepto Sacramento, & in eo tanto hoſpite, cura vt illum quàm optimè tractes, & quàm vtiliſſimè retineas. Dum bibis ex calice, nō exiſtimes ibi ſanguinem Chriſti, ſed ſcito ſimplex vinum eſſe: vnde nullus honor exhibendus eſt calici, ne detur erroris occaſio ſimplicioribus. Caueat ſibi quiſque à ſputi eiectione, ne aliqua particula eiecta, irreverentiæ exponatur.

Nec ſtatim ſuſcepto Sacramento tēplo exeat, ſed potius ſeorſim ſecedens, gratias Deo agat pro tanto beneficio, oretque illum, vt ſe omnium donorum S. Spiritûs participem faciat: memoriam paſſionis ſuæ cordi imprimat, vitæ emendationem, occaſionum fugam tribuat, fragilitatem ſanet, ſe nunquam à cordis noſtri hoſpitio ſubtrahat, & in extremo vitæ noſtræ dignetur ſe in viaticum & præſidium præbere. Oret inſuper pro omnibus ſuis tam conſanguineis quàm benefactoribus viuis & mortuis, &c. ſicut Dominus inſpirauerit.

In domo. Otioſa verba, riſus, leuitates, occaſiones malas vitet, rixas nullas intendat aut moueat, ad iram neminem prouocet: ac omnia cum maturitate faciat. Alios etiam domeſticos, & ſubditos, qui hoc Sacramentum, ſuſceperunt, reuerenter tractet, & in honore habeat, ſinguli ſingulos ad bona opera exhortentur, ſermones autem nō niſi ſanctos & ad proximi ædificationem ordinatos, miſceant.

Extra domum. Statim à prandio, loca ſacra, templa, vel altaria viſitent. Nam & Chriſtus in Paraſceue propter noſtram ſalutem pluries hinc inde, huc & illud ductus eſt.

Quid multis? Quilibet quærat modos, & omnem lapidē moueat, vt tantū theſaurum quam diutiſſime conſeruet.

PARS DVODECIMA.

De ſtudio Meditationis.

QVoniam Confeſſarius deuotus ac ſpiritualis ſit, neceſſum eſt, & in quinta parte hoc meditationis ſtudium eidem commendatum eſt, idcirco pauca præcepta de eo ſubiungentur.

Multà autem ſunt, quæ nos mouere & in amorem meditationis rapere poſſunt.

1. *Excellentia Meditationis.* Nam meditatio habet excellentias omnes, quas habet oratio, de qua quidam ex antiquis Patribus, teſte Theodoreto, in religioſa hiſtoria dixit: Medicos q. idē varia medicamentorum genera ægris pro morborum varietate adhibere ſo-

litos: cæterùm ad omnes animorum morbos depellendos, omniaque huius mundi seu vitæ incommoda perferenda, orationem esse commune medicamentum, atque remedium. Et præter hæc ipsa meditatio habet propriam excellentiam, videlicet hominem meditationi deditum transformare in Deum. Equidem magnum est Deum propè habere, quod inuocantibus eum euenit: Maius verò coniungi Deo: multo magis vniri ipsi, sed maximum transformari in Deum, quod contemplationi seu orationi mentali proprium est, per quam & vocali conuenit: ita vt quemadmodum poma diu multumque sacharo ac melle decocta, vix proprij saporis aliquid retinent, sed solius sachari dulcorem referunt: sic anima diuinarum rerum studio & contemplationi addicta, vix aut nihil in ea veteris hominis pristinique saporis quicquam residet; sed solius Christi imaginem ita refert, vt cum Apostolo dicere possit: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.

Ex hac autem excellentia multa aliæ deriuantur.

Prima. Quòd meditationi assuefactus est super omnia; quia & Deus in quem ipse transformatur, est super omnia. Est autem super omnia: terrena quidem per contemptum, cœlestia verò per possessionem.

Secunda. Quod potest omnia, atque adeò omnibus inimicis potentior erit. Nam si, qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: quid illi qui transformātur in Deum, qui potest omnia.

Tertia. Omnes influxus spirituales, sic Deo coniunctus, facilè capere poterit, sicut & mundus hic inferior, teste Arist. in Meteoris, propterea superiori mundo coniunctus est, vt cœlestes influxus astrorumque virtutes participare possit.

Quarta. Homo purior efficitur: Nā sicut cera, ad solis radios diu exposita, candida fit, & quò diutius sub sole manet, eò fit candidior; ita anima nostra radijs iustitiæ Solis exposita, (quod quidem fit per eleuationem mentis in Deum) purior indies efficitur. Hinc *Eccl 2.* Qui timent Deum, præparabunt corda sua, & in conspectu eius animas sanctificabunt.

Quinta. Facilè scire poterit, quo pacto in corde nostro tabernaculum Deo sit ædificandum. Quemadmodum & Moyses montem conscendens & cū Deo versans, ab eo didicit, quemadmodum illi tabernaculum fabricare deberet.

Sexta. Homo meditationi deditus perficitur atque in suo esse conseruatur. Res enim omnes tunc in suo esse conseruantur, cùm ijs causis vniuntur, à quibus existendi initium acceperunt. Hinc piscis gaudet in aqua, planta immobilis manet in terra, pulli siue auiū siue ferarum, lateribus semper matrum hærent, ipsasque quocunque ierint sequuntur.

Septima. Sequitur denique, eum sic coniunctum Deo, omnia secreta eius cognoscere. Quæ verò? An fortè SS. Trinitatis, Incarnationis? hæc enim sunt præcipua. Minimè, ista siquidem Paganis, & Iudæis, non credentibus secreta sunt, non verò nobis Christianis, quibus communia sunt. Sed illud; Vacate, & videte, quàm suauis sit Dominus, quàm bonum sit eum cognoscere,

ſcere, diligere & contemplari. Et hoc eſt illud manna abſcõditum, quod nemo nouit, niſi qui accipit. Greg: Non poteſt ſciri, niſi à quo poſſit haberi; hoc ſciri poteſt, dici non poteſt.

II. Quod nos mouere debet ad ſtudium meditationis, eſt finis propter quem conditus eſt homo. Hic autem eſt ſecundùm D. Auguſtinum; vt ſummum bonum intelligeret ac amaret.

III. Quia officium boni & iuſti viri eſt, in lege Domini meditari nocte dieque.

IV. Quia meditatio continet hominem in officio ſuo: nam & præterita non prætereunt ei, & futura adſunt. vnde D. Bonaventura, teſtatur ſuo tempore per experientiam multos profeciſſe, mediante hoc exercitio.

V. Nam meditatio bonos affectus conſeruat, malos verò eradicat: ſicut per oppoſitum, quia non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore, *Pſal: 6.*

VI. Quoniam meditatio excitat deuotionem & efficit. Vnde D. Auguſtinus: Meditatio parit ſcientiam, ſcientia compunctionem, compunctio deuotionem, deuotio autem commendat orationem.

VII. Quoniam meditatio ornat religioſum & ſpiritualem, vnde Caietanus 2a. 2æ. q. 82. ar. 3 docet has meditationes debere eſſe quotidianas religioſis & ſpiritualibus. Qui nec hoc nomine (inquit ipſe) cenſendi ſunt, qui ad minus ſemel in die non ſe transferunt ad ſtudium meditationis.

VIII. Multa exempla Sanctorum. David quidem proponebat Dominum in conſpectu ſuo ſemper, & tota die meditabatur legem Domini. Grego: Nazian: amore huius ſtudij ductus, refugit Epiſcopatum. B. Dominicus etiam in itinere ſocijs ſuis dicebat: Præite, cogitemus aliquid de Saluatore noſtro. B. Franciſcus per integram noctem vacans huic exercitio, hanc ſociam oratiunculam meditabatur: Da mihi Deus, vt me & te cognoſcam.

IX. Voluptas animi. Neque enim habet amaritudinem conuictus eius, neque tædium conuerſatio illius, ſed gaudium & lætitiam. *Sap. 8.*

Meditationis exercitium, quædam exigit ante ſe, quædam in ſe, alia poſt ſe.

De Lectione.

DE lectione dicendum eſt, quæ & qualis eſſe debeat. Quæ? Ea quæ ſit materia meditationis. Materia autem meditationis eſt omne illud, quod nos mouere poteſt ad aliquem ſalutarem affectum, ſiue amorem Dei, ſiue timorem, odium peccati, horrorem gehennæ, deſiderium ſalutis &c. Eius autem generis ſunt tum perfectiones diuinæ, tum beneficia, tum loca ſacræ ſcripturæ, tum vitæ & exempla Sanctorum, tum defectus humani, miſeriæ, & pericula; tum mundi vanitas, & vitæ breuitas, tum ſeuera iudicia Dei.

Qualis autem lectio eſſe debet? Non feſtina ſed lenta; non negligens ſed attenta; non prolixa ſed ſufficiens, ne ſuffuretur vtiliora exercitia: non currens ſed ruminans. Occurrente enim aliquo notabili loco, ſubſiſtendum eſt & ruminandum; non tantùm intellectiuâ, ſed etiam affectiuâ, vt non tantùm intellectus paſcatur lectione; ſed etiam voluntas guſtet & afficiatur delectatione: non muta ſed reſpondẽs, nimirùm occurrente aliquo deuoto lo-

co; respondendum est Deo, qui per lectionem ad hominem loquitur. Respondendum autem est per aliquam breuem seu iaculatoriam orationem, illi loco congruentem.

Notatio.

Licèt lectio non debeat esse prolixa, tamen qui distractionem in corde patiuntur, satius est meditationem distractam conuertere in lectionem attentam.

De Præparatione.

MEditationem præparatio præcedere debet: Nam & in cythara fides componuntur priùs quàm pulsantur, ne strepitum potiùs quàm concentum edant.

Præparatio autem in multis cõsistit; nimirum in corporis afflictione per ieiunium, abstinentiam, flagellationem, cilicium, vigiliam, durum lectum, tenuem & sobriam mensam: ista enim sunt fomenta & bases deuotionis. Et præterea regula vniuersalis est, Deum gratiam suam dare, prout dispositi fuerimus: si non tantùm spiritum, sed etiam corpus præparauerimus.

Secundò. Consistit præparatio in meditationis desiderio. Desiderium enim communis est mater omnium virtutum, dummodo non tepidum sed intensum & vehemens sit. Iuuabitur hoc desiderium, si antequàm cubitum eas, hanc sanctam cogitationem meditationis habeas; sic enim fiet, vt quemadmodum is qui vesperi carbones tegit cinere, facile manè focum struit, rogum parat, ignemque accendit; ita & is qui cum hac sancta meditatione dormitum ijt. Iuuabitur adhuc, si antequam componas te ad somnum, orationem pro hoc sancto desiderio facias: manè enim fructum huius orationis, in corde tuo inuenies.

Fouebitur hoc desiderium si quotiescunque expergisceris, versiculum Gloria Patri, vel aliam oratiunculam proferes, quod etiam ad pellenda phãtasmata, & turpes cogitationes proderit. Fouebitur adhuc, si quamprimùm evigilaueris è lecto surrecturus, hanc sanctam cogitationem statim arripias, antequam externa cogitatio præoccupet te. De hoc desiderio vide Granatensem; libro 1. de deuotione Capit. 4. & 14.

Tertiò. Præparatio consistit in cordis custodia seu munditia & purgatione. Purgandum est autem, tum à vanis tum à noxijs cogitationibus, tum ab inordinatis affectib⁹ seu desiderijs. Quémadmodum enim pictores, prius solent mundare & dealbare tabulã, postea verò pingere imaginem: ita in tabula cordis nostri prius extergere supradicta debemus & mundare, antequam pulchram Dei imaginem per meditationem pingamus, vnde & Dionysius formationem Dei assimilat sculpturæ; nam sicut sculptura in lapide vel ligno per ablationẽ fit: ita in corde nostro Dei formatio. Authoritas Gregor; In altum crescere arbor cogitur, quæ per ramos distendi prohibetur. De hac cordis custodia, vide Granatensem c. 6. & 22.

Quartò. Præparatio consistit in figura corporis, vt videlicet sit flexo poplite, & signo crucis impresso fronti, ori, & pectori. Beatus pater Dominicus quatuor formas in corpore obseruare solebat, tempore orationis: aliquando toto corpore humi prosternebatur, ali-

aliquando ſtabat erectis in cœlum oculis; aliquando manibus in crucis modum expanſis, quandoque verò ſurſum erectis: interdum verò vulgari modo, genibus flexis.

Quintò. Diſpoſitio conſiſtit in oratione ſuccincta ſeu iaculatoria, videlicet per Pſal: *Ad te leuaui.* vel illam oratiunculam: *Actiones noſtras.* vide librum 1. Granatenſis de meditatione, Cap: 8.

Sextò. Conſiſtit in loci temporiſque apti electione: aptus autem locus eſt, obſcurus, tempus verò, matutinum, veſpertinum, & nocturnum. Vide Granatens: vt ſupra cap. 14.

Septimò. In apprehenſione conſortij & ſocietatis in hoc exercitio: cogitare enim debes, quot per totum mundum religioſi & religioſæ, pueri & puellæ, ſacerdotes & ſæculares, eodem tempore tecum inſiſtunt huic ſancto exercitio, quorum aliqui intima ſuſpiria ducunt, aliqui flagellationes vſque ad ſanguinem iungunt.

Octauò. Conſiſtit præparatio in ſui ipſius accuſatione veniæque petitione, ſiue hoc fiat ſolo corde, admiſcendo examen conſcientiæ, ſiue per generalem confeſſionem & Pſalmi alicuius Pœnitentialis ſubiunctionem. Et hæc eſt illa calceamentorum extractio ad intradum terram ſanctam, & veſtimentorum ablutio ad ingrediendum in ſancta ſanctorum. Hanc præparationem natura docet, ut priùs euellantur inutilia quam plantentur fructifera: conuerſatio humana confirmat, vt priùs petam veniam ab amico offenſo, quàm noua beneficia.

Nonò. In propriæ indignitatis confeſſione & DEI bonitatis prædicatione: debet enim iudicare ſe indignum eſſe omnibus quæ DEUS fecit: ſeque acceſſiſſe ad hoc ſanctum exercitium, magis vt gratias agat de præteritis beneficijs quam vt alia accipiat: vnde promptus eſſe debet ad ſuſcipiendum, quidquid occurrat, ſiue conſolationes, ſiue deſolationes, aridiтates & ſiccitates: neque enim propriæ vtilitatis cauſa inſtar ſui amatorum accedere debet ad ſanctam meditationem, ſed implendæ diuinæ voluntatis, & ſui officij gratiâ.

Decimò. Præparatio conſiſtit in conſideratione diuinæ maieſtatis in cuius conſpectu ſtamus. Et quidem audit verba noſtra, & videt deuotionem, tanquam teſtis & iudex. Ea vero eſt maieſtas, vt comparatione eius totus mundus ſit tanquam formica, imò minus formicâ. & vt verbis Sapientis vtamur Sapien, 11. tanquam momentum ſtateræ & gutta roris antelucani. Ante hanc diuinam maieſtatem, ita multa millia Angelorum ſtant vt contremiſcant: ipſe filius DEI in oratione, quam ad Patrem fundebat, in terram proiecit ſe: quid me qui pulvis & cinis ſum (vt ille Patriarcha ait) facere par eſt? Ex hac conſideratione, magna reuerentia naſcetur in Deum, magna humilitas, attentio, timor & tremor: vide hanc materiam in Granatenſi de deuotione Cap. ſeptimo & parte ſecunda Memorialis Lib. 4. & multis alijs locis.

Vndecimò. Præparatio conſiſtit in conſideratione qualitatis negotij, nimirum quid acturi ſimus: nam in cōſpectum DEI venturi, DEUM allocuturi, Quid ibi facturi? Rem maximi momenti tractaturi, qualis eſt ſalus noſtra & proximorum. Quid comparaturi & im-

& impetraturi? Magnam eleemosynã, spiritum deuotionis, donorum, virtutũ, gratiarum: arrhabonem vitæ æternæ. Itaque qua deuotione Apostoli expectabant promissum Spiritum sanctum, eadem & tu, affluentiam eiusdem Spiritus sancti.

Duodecimò. In animi fortitudine cōtra tentationes quascunque. Neque enim semel tædium in hoc exercitio experieris: multoties veniet tibi in mentem propositum deserendi tale exercitium, & via laxior, sæpius tibi occurrent alij, huic exercitio non vacantes, nec propterea reprobi vel damnati. Hæ sunt illæ muscæ quas abigebat Abraham à suo sacrificio, quibus etiam vir contemplatiuus ex tota fortitudine resistere debet. vide Granaten. lib. 1. cap. 5.

De ipsa Meditatione.

HÆc debet esse non velox sed grauis & lenta, eodem ferè ordine absoluenda, quo & lectio facta. Non tantùm intellectu cogitando, vt faciunt qui se componunt ad studendum pro concione ad populum habenda: nec tantum memoriâ reuoluendo ea quæ lecta sunt, sed vel maximè curandum est, vt accendatur inflammeturque voluntas, gustet & odoret DEUM: eleuando cor in ipsum per aliquos affectus utiles, qui affectus non sunt magno conatu exprimendi. tunc enim magis deficeret, & memoria fatigaretur, caput debilitaretur, cerebrum læderetur, de hoc vide fusius Granatem. par. 2. Memorialis lib. 6. Et in Floribus eius.

Hæc meditatio habet post se tria.

Gratiarum actionem, Sacrificium spirituale, & petitionem.

De Gratiarum actione.

Pro qua cum præcedentibus continuanda & introducenda, ex rebus quas quis meditatus est, sumatur occasio, vt si de peccato meditatu est; gratias agat Deo, quod illum vel liberauit ab ipso, vel non statim morte subitanea, &c. puniuit. Si de vanitate mundi, gratias agat: quòd Deus ei oculos aperuerit, & sic de alijs. Vnde subiungat oratiunculam: *Agimus tibi gratias omnipotens DEVS pro vniuersis beneficijs &c.*

Huic annectat omnia reliqua beneficia, pro quibus seorsim gratias agat: nimirum creationis, conseruationis, gubernationis, redemptionis, vocationis, iustificationis, glorificationis, & alia infinita tam communia, quàm propria, siue bona collata, siue mala exclusa.

Bona naturæ, fortunæ, gratiæ, præterita, præsentia, futura, cognita, occulta.

Mala verò, culpæ & pœnæ, pericula, insidias, laqueos Diaboli, tentationes, occasiones peccandi, à quibus omnibus nos Deus præseruauit, impediuitque inimicum euntem ad nobis nocendum.

Et quoniam tu solus insufficiens es Deo gratias agere: inuocare debes creaturas, tam cœlestes, quàm terrestres, vt te in hoc officio adiuuent, per illud Canticum: *Benedicite omnia opera.* vel Psal. 101. *Benedic anima mea Domino.* Et alia, secundùm quod Dominus inspirauerit.

De Sacrificio seu oblatione.

Hæc connecti debet cum præcedentibus partibus, hoc modo.

Quid itaque retribuam Domino pro omni-

omnibus beneficijs quæ præstitit mihi subiungat. En me ipsum totum ostero, & omnia mea, & quidquid feci, facio, & faciam; hoc totum in laudem, gloriam & honorem Domini mei dem, gloriam & honorem Domini mei conuerto, sic me totum Deo meo dedo, vt velim esse mancipium vel seruus catenis vinctus, vt abnegem voluntatem propriam, & sim aptus ad faciendam S. Dei voluntatem. Ante omnia verò, offerenda sæpiùs & alleganda sunt merita & labores Christi. vide Granat: in Memoriali, vt supra.

De Petitione.

Hæc sic continuanda est cum præcedentibus: vt digna hostia tua, o Domine efficiar! multa peto à te, quæ non deneges mihi antequam moriar. Suppliciter autem prostratus ante tuam Diuinam maiestatem protestor, non me discessurum hinc: donec benedixeris mihi.

Sunt itaque petenda ea, quæ ad salutem sunt necessaria.

Eorum autem quædam spectant ad Deum, quædam ad alios, quædam ad se.

Ad Deum: vt omnes creaturæ seruiant & laudent eum, quia omni cultu dignus est.

Ad alios: vt omnes gentes cognoscant & seruiant tanto Domino, Pagani, Iudæi, Schismatici Hæretici.

Deinde pro Ecclesia Catholica.

Tertiò, pro cunctis Rectoribus & Prælatis.

Quartò pro parentibus, amicis, cõsanguineis, familiaribus, benefactoribus.

Quintò, pro curæ suæ commissis.

Sextò, pro iustis & peccatoribus.

Septimo, pro defunctis,

Octavò, pro inimicis.

Nonò, pro pauperibus, oppressis.

Decimò, pro infirmis, afflictis, ad mortem condemnatis, seruis, captiuis, bellum contra hostes Ecclesiæ gerentibus, agonizantibus, nauigantibus, peregrinis, grauidis, parturientibus, obstinatis, quacunque necessitate laborantibus, pro regno, ciuitate, seruientibus tibi, pro peste, fame, bello, &c. auertendis, pro fructibus terræ producendis & conseruandis.

Ad se: Pro gratia qua peccata remittantur, vitia eradicentur, virtutes plãtentur, passiones refrænentur, cordis leuitas expellatur, detestatio honoris & voluptatis amorisque sui ac indulgẽtiæ conferatur: inconstantia in bonis propositis auferatur.

Pro fundamentis totius vitæ spiritualis petendum: Quæ sunt, bona compositio hominis interioris, & exterioris. Interior est, in corde Deum præsentem semper circumferre. Exterior, omnia facere tanquam sistares in præsentia Dei iudicis & testis totius vitæ tuæ. De qua re vide Granatensem, in exercitijs prope finem cap. 8. De petitione, fol: 110. omnino legatur.

3. Discretio & solicitudo in omnibus agendis & dicendis, vt omnia rectæ rationi sint consentanea, frænum & custodia linguæ quo licentia eius cohibeatur, aspera, & rigida propriæ carnis tractatio.

4. Illa quoque petenda, in quibus summa perfectio consistit. Hæc autem sunt, Obedientia perfecta, & cum Diuina voluntate conformitas in omnibus, mortificatio propriæ voluntatis, fortitudo in superandis difficultatibus, affe-

affectibus, inclinationibus & aduersitatibus.

5. Altissimæ quoque virtutes, scilicet humilitas interior & exterior, paupertas spiritus & corporis, patientia in aduersis & tribulationibus, puritas intentionis in bonis operibus.

6. Illæ quoque virtutes, quæ sunt principium & finis totis perfectionis. Fides invicta, secura spes, amor Dei, timor iudiciorum Dei, reuerentia illius maiestatis, & perseuerantia in hoc exercitio.

7. Illa quoque quæ statum religionis concernunt, vt castitas corporis, cordis munditia, terrenorum ac voluptatũ contempus, vanæ solicitudinis & curæ fuga, in diuino officio diligentia, exercitiorum religionis sapor.

8. Illa præterea quæ ad emendationẽ vitæ spectãt, vt pœnitentia recta, verus dolor pro peccatis, firmum ac stabile propositum non peccandi.

Pro horum impetratione Litanias de omnibus Sanctis subiungere potest.

ADMONITIONES.

1. In petendis his virtutibus debes paululum quiescere, & circa singulas cor ad Deum eleuare.

2. Non est necessarium semper omnes has partes meditationis obseruare.

3. Non est despondendus animus, si aliquando dulcedinem deuotionis anima non sentit, suo enim tempore recompensabit Deus.

4. Quodsi animus fuerit distractior, recolligendus erit per lectionem alicuius deuoti libri, & orationem vocalem paulò fusiorem.

5. Huic exercitio statuendum est tempus quàm fieri potest longissimum, & præstat semel orare plusculum quàm bis modicum.

6. Optimum consilium Granatensis est: per nullam penitùs occasionẽ prætermittere horam, iam semel ad hoc exercitium delectam: si namque hoc exercitium semel prætermiseris, vix tibi patebunt fores reuertendi ad illud.

Sacræ

Sacræ Artis Pœnitentiariæ
TYROCINIUM
PRIMA PARS
De Pœnitentia.

1. Pœnitentia generaliter significat displicentiam eius, quod antea placebat. Describitur autem sic: Pœnitentia est sacramentum remissionis peccatorum, post Baptismum commissorum.

2. Partes eius duæ: Materia & Forma.

De quibus vide Examen appr: t. 1. q. 9. Et tit. 6. q. 1.

3. Materia proxima, sunt tres actus pœnitentis.

Contritio, Confessio, & Satisfactio. Remota, sunt peccata.

4. *Contritio* consistit in displicentia, seu detestatione peccati. Detestatio autem perfecta separat hominem, tam à peccato præterito, per dolorem: quã à futuro, per propositum cauendi ipsum, eiusque occasiones.

5. Dolor, quem includit vel causat contritio, duplex esse potest. Externus, quando aliquis sensibiliter cruciatur, ita vt & in vultu mæstitia, & in oculis lachrymæ appareant. Sanè bonus vtilis, atq; laudabilis, sed non est de necessitate contritionis.

Alius internus, in sola voluntate existens, neq; se exterius prodens, cùm voluntas auertatur, & respuit peccatũ. Et iste est omnino necessarius ac solus sufficit. Quamuis enim non plores, tamen ante Deum sincerè ita tibi displiceat peccatum, quòd nolles fecisse, quod fecisti.

6. Propositum quoq; emendationis debet esse firmum, efficax, & absolutum, quod significetur per verbum indicatiui modi. Volo Dei auxilio omninò vitam emendare: Nolo ampliùs peccare: Volo omnes occasiones peccatorum vitare, statum malum deserere, conuersationes periculosas rescindere: ablata quoq; restituere.

Non enim sufficit dicere, Vellem, à quo deriuatur apud Theologos, Velleitas, quæ est imperfecta & segnis voluntas.

Viriliter itaq; & fortiter abijciendũ fugiendumque est peccatum.

7. Contritio, posset (facilitatis causa) triplex numerari: scilicet perfecta, imperfecta, & vitiosa.

Perfecta est, qua homo detestatur peccata, non propter suum commodum, vel incommodum, damnum, aut pœnam; sed ex sincero puroq; amore, quo afficitur erga Deum, quẽ omnibus præfert. Seu, merè ex eo quòd offensa Dei, hoc est, Quia Deus, qui bonus, qui nobis benevolus & beneficus est, peccato offenditur, & amicitia eius dissoluitur. Seu quia peccatum Deo, qui summum bonum est, contrariatur; e-

eiusq; voluntati, tanquam summum malum displicet.

8. Attritio, quæ contritio imperfecta nuncupatur, est dolor de peccato conceptus, vel ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex cogitatione ac metu gehennæ, aliarumq; pœnarum à Deo infligendarum, excludens voluntatem peccandi, & includens spē veniæ.

Talis dolor, licet sit imperfectus, non tamen malus, imo secundùm Conc: Trident; *sess:* 4: *c.* 4. Dei donum, impulsus Spiritus sancti moventis, quamvis nondum inhabitantis, & ad Sacramentum Pænitentiæ sufficiens, accedenteq; Sacramento peccatum sic pœnitētis remittitur, quod tamen absq; Sacramento non remitteretur.

9. Hinc colligitur, quod Contritꝰ perfectè, si absq; Confessione in re (quā in voto habet) siue propter defectum Ministri; siue propter insperatam mortem decesserit, saluus erit. Attritus autem non item; sed si absq; huius vel alterius Sacramenti susceptione moreretur, condemnaretur.

10. Vitiosa Contritio (quæ hoc nomine indigna est, ac potiùs dolor vitiosus appellari potest,) est, quæ includit voluntatem peccandi; videlicet, quando aliquis dolet ob peccata commissa, propter pœnas & mala, quæ incurrit; ita quòd si pœnæ non essent peccato impositæ, nec aliquod malum immineret, in eodem permaneret.

Item, si doleret quidem meliori respectu, sed tamen firmum illud propositum non peccandi, aut spem veniæ, aut fideliter confitendi animum, non haberet, verè impænitens esset.

Talis autem prætensa Contritio, nō tantùm in se mala est, verùm etiam Sacramentum inficit & contaminat, ac propterea novum peccatum Sacrilegij addit, ipsumq; reddit inualidum,

Plura vide in Exam: appr: tit: 3. *vbi etiam inuenies, quibus vijs Contritio legitima acquiri possit, & quibus signis cognosci.*

11. *Confessio* sumitur quidem interdum pro laude, pro gratiarum actione, & pro fidei professione: hic verò accipitur pro accusatione peccatorum suorum, in Sacramento Pœnitentiæ.

Describitur autem sic. Confessio Sacramentalis, est legitima accusatio propriorum peccatorum coram idoneo Sacerdote, animo absolutionis percipiendæ.

Includit hæc descriptio quatuor: scilicet, materiam, ministrum, formam, & rectam intentionem pœnitentis.

Materia, sunt peccata propria: Minister, Sacerdos: Forma, absolutio: Intentio seu finis, assecutio absolutionis; vt ex hac vltima particula excludatur abusus, & simulatio Confessionis. Nam aliqui ad committendum securiùs secretum, vel ad pertrahendum alterum in conspirationem, fingunt Confessionem, munientes se signo Crucis, & protestātes se dicere sub sigillo Confessionis, quam nec faciunt, nec intendunt facere. Neque absolutio sequitur, prout nec impendi potest, cùm non fuerit Cōfessio vera.

12. *Conditiones Confessionis* communiter sedecim numerantur: quarum quædam pertinent ad eius vsum, quædam verò ad ipsius actum.

Quoad vsum Confessionis, sunt quatuor: scilicet, quod sit accelerata, frequens, libens, & pura.

Accelerata quidem, vt pœnitens quāprimùm potest admisso peccato confi-

scatur.

teatur. Et quamvis ista conditio non sit de præcepto, seclusa omni necessitate: est tamen de consilio, ad exeundū quàm citiùs ex potestate diaboli, & euadendum periculum moriendi in peccato, siquidem incerta est hora mortis.

Frequens verò, vt pluries ac sæpiùs fiat, monet. Quæ similiter conditio non est de necessitate, sed vtilis valdè: tùm ne peccata obliuiscamur, si Confessionem diutiùs protrahamus: tum ne peccati complacentiã contrahamus: tum vt infirmitatem nostram sæpiùs curemus, & vires ad resistendum tentationibus per Sacramentum acquiramus.

Libens, vt non sit coacta, sed voluntaria. Hæc conditio adeò est necessaria, vt si Confessio procedat ex coactione sola, defectus posset redundare etiam in actum Confessionis. Nam solent tales, aut absq; debita præparatione & dispositione confiteri, aut non fideliter; aut tandem titubanter loqui, quasi volentes, & simul nolentes se aperire.

Pura, hoc est recta intentione fieri debet, ad animæ salutem: propter veniam consequendam, non propter apparentiam.

13. *In ipso actu Confessionis*, hæ sunt conditiones eius.

Secreta, non publica, non per internuntium, aut per literas. Nam si esset publica, facilè oriretur scandalum in audientibus, vel propensio ad simile peccatum faciendum. Deinde, quia est secretum iudicium de occultis conscientiæ; & iugum Domini suaue est, ac propterea, non obligat hominem ad tam magnam confusionem.

Per interpretem quoq; confiteri, obligatur nemo; quamuis possit si velit. Per literas etiam absenti confiteri nō licet, prout determinatum est per Clem: VIII.

Et ita corrigenda est illa antiquata opinio, quæ in aliquibus Doctoribus inuenitur.

Humilis, intus se miserum reputando, & extra omnem modestiam seruando, armis depositis, genibus flexis, capite detecto & inclinato, ad instar illius, qui & reus est, & veniã impetrare conatur.

Lachrymabilis seu *dolens*. Satis autem erit, si in voluntate aderit peccati horror & abominatio, aut displicentia, quæ sunt mentis lacrymæ.

Accusans, quia peccata vt accusata subijciuntur huic Sacramento, suntque eius materia. Quod fortè additur propter abutentes Sacramento, fingentes confiteri, cùm hoc minùs cogitent, sed magis decipere curantes, vt supra dictum est. Item sibi imputando peccata, non cœlo, non dæmoni, mundo, socijs, complexioni, &c. Adhuc accusans ideò dicitur, ne pœnitens aut virtutes suas prædicet, aut per negationes procedat dicendo: *Non occidi &c.*

Simplex, hoc est, non elaborata, non exquisitis verbis compositis. Item simplex non verbosa nimis, cum præambulis, sed solùm ipsum peccatum cum necessarijs circumstantijs explicando: quod inferiùs magis declarabitur. Excusantur tamen fœminæ, & vir scrupulosus, ac idiotæ, non valentes aliter declarare peccatum, quàm longa oratione. Admiscent enim multa impertinentia, sed cum intentione meliùs declarandi peccatum.

Nuda, id est, non vestita, aut involuta verborum obscuritate, quæ grauitatem peccati tegeret, & Confessor non intelli-

ligeret. Hac enim ratione pœnitens se ipsum seduceret, non Confessorem.

Verecunda, vt peccata non proferantur per modum iactantiæ, propter aliquam sæculi vanitatem admixtam, sed inspecta peccati turpitudine, cum aliquo salutari pudore. Non enim desunt, qui sua adulteria, furta, ac homicidia sine fronte quasi actus aliàs licitos, aut non multùm indecentes, recensent.

Fortis, superans verecundiam inordinatam, quæ à confessione fideliter facienda retraheret, & ad omissionem peccati mortalis induceret.

Integra, vt nullum peccatum necessariò manifestandum, (quale est omne mortale) nulla circumstantia, aut numerus omittatur, secundùm doctrinam inferiùs tradendam: integritas enim in his tribus consistit.

Fidelis, id est vera, omni falsitate exclusa, ita quòd neq; certò affirmentur, quæ dubia sunt; sed certa pro certis, dubia pro dubijs: & quorum post diligens examen conscius non est, sibi nō attribuat.

Discreta seu *prudens*, vt maiora cum maiori pondere seu compunctione proferantur, minora non aggrauētur, quod scrupulosi faciunt. Prudens item: vt fiat verbis breuissimis, (salua tamen veritate & claritate) superfluis reiectis ac impertinentibus. Superflua erunt, si multa generalia dicantur, vt si quis confiteatur: Peccaui 7. capitalibus, 5. sensibus; omisi 14. opera misericordiæ; Dominum non dilexi ex toto corde: Decalogum transgressus sum. Hæc enim nullam vtilitatem adferunt, nisi quòd Confessorem fatigant, tempus auferunt, alios impediunt, & plerunq; falsa continent, quæ pœnitens non fecit. Superflua item sunt, quæ sub conditione dicuntur: ut si iuraui, si neglexi, &c. Nam super has conditionales non cadit absolutio. Superflua etiam sunt, si narrentur historiæ. Nam ex multis actibus concurrentibus ad peccatum, solùm principalis est explicandus, & ex toto progressu peccati, substantia eius est exprimenda, non tota series recensenda.

Prudentia etiam ac discretio apparebit, si in carnalibus vtamur honestis verbis absq; veritatis detrimento. Adhuc, prudentiæ erit, non enumerare diuisim, quæ simul explicari possunt: vt, fornicatus sum quinquies.

Prætereа prudentia etiam in hoc elucescet quando cautela adhibebitur, ne aliena peccata manifestentur, quibus proximus diffametur. Deinde, vt in explicatione iudiciosè non scrupulosè procedatur: *de quo inferiùs.*

Obsequens Confessori, in his quæ spectant ad salutem, ad fugienda peccata, eorumq; occasiones, ad faciendas restitutiones, deserendum statum malū, &c.

Versus has conditiones cōplectētes.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,

Atq; frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,

Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,

Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Nota hic, quod istæ conditiones possent ad tres tantum reduci: scilicet ad veritatem, integritatem, ac dolorem: quod fecit, *Henriquez lib. 5. c. 4.* Possent etiam plures numerari, & clariùs explicari, deferentes tamen antiquitati, & praxi, neque verba mutare, neq; conditiones multiplicare voluimus sed potiùs aliquas pluribus clausulis declarare maluimus, seu plures ad unam con-

ditio-

ditionem reducere.

Cætera legantur in Exam. appr: tit: 4.

14 *Satisfactio* (quæ eſt tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ) ſignificat actionem per quam Deo ſatisfacimus pro peccatis. Poteſtq; ſic deſcribi: Satisfactio eſt recompenſatio offenſæ remiſſæ, per aliqua opera pœnalia, ſuſcepta ex iudicio Confeſſoris.

15. *Tres ſunt ordines operum ſatisfactionis.*

Nam quoad Deũ, ſunt illa omnia, quæ concernunt ſubmiſſionem & deuotionem ad eum: vt eſt Oratio, Meditatio, Miſſarum auditio ad Sacramentũ Confeſſionis & Communionis frequentatio.

Quo ad ſe, ſunt illa, quæ carnem affligunt: vt, Ieiunium, Diſciplina, Peregrinatio, Vigilia, Cilicium, &c. *Quo ad proximum* verò illa, quæ ipſum iuuare quoquo modo poſſunt: tam corporaliter, vt Eleemoſyna, & alia auxilia: quã ſpiritualiter; vt Inſtructio, Conſilium, Oratio pro viuo, mortuo, &c.

Hæc autem ſatisfactoria opera, communiter ſolent reduci ad Orationem, Ieiunium & Eleemoſynam. Sed cùm idem ſit ſenſus, parum aut nihil refert, hocnè aut illo modo quis loquatur: niſi quòd clarior videatur eſſe hic præſens modus.

16. Satisfactionis duplices ſunt cõditiones. Et quidem reſpectu Pœnitentis, ſunt quatuor. Ex parte quoq; Pœnitentiarij, totidem. Eſt enim Satisfactio, debita, perſonalis, grata, deuota. Item, impoſita, temperata, accomodata, occulta.

Debet itaq. Pœnitens acceptare ſatisfactionem ſibi impoſitam, imò & implere acceptatam, niſi impotentia excuſet, grauis infirmitas, vel temporis anguſtia, ſi fortè agonizet. Neq; tunc Sacramentum erit imperfectum eſſentialiter: ſiquidem ſatisfactio eſt pars integralis, non eſſentialis. Tenetur autem implere abſq; dilatione; & ſi malè diſtulit aut omiſit, debet implere quã primùm poterit, licet tempus præfixũ iam ſit elapſum. Neq; poteſt propria authoritate redimere alio opere ſatisfactorio, vt puta, ieiunio, eleemoſyna, vel oratione: imò neq; cum licentia Confeſſarij, ſi ratio medicinæ potiùs ieiunium exigat, vt quia eſt impoſitum ad edomandam petulantem carnẽ. De commutatione verò, quæ cauſam requirit, ſequenti numero dicetur.

Perſonalis, quia obligatur ea, ipſemet Pœnitens in perſona, niſi Confeſſarius aliter ob rationabiles cauſas ordinauerit; vt communiter docent omnes & ex D. *Th: 4. d. 20. q. 1. a. 2. colligit Suar: T. 4. diſp: 38. ſect: 9* Et tunc ſatisfactio aliquando habebit quidem vnum effectum, quod ſcilicet erit ſceleris punitiua, ſed non medicatiua, qui eſt alter effectus. Quomodo enim caro ad carnalia procliuis, alterius ieiunio domabitur?

Grata, hoc eſt, vt in ſtatu gratiæ impleatur, ita vt Pœnitens nullius peccati mortalis conſcius ſit (licet pro eo auferendo ad hunc effectum ſufficeret vera & perfecta contritio, & non requireretur noua Confeſſio.) Alias ſatisfactio in peccato mortali impleta, valebit quidem ad implendam obligationem, per Confeſſorem impoſitam, imò & ad integritatem Sacramenti conſeruandam. *Suarez in 3. par. tr. 4. d. 38. ſect: 8.* ſed nihil proderit ad remiſſionẽ pœnæ temporalis relictæ & luendæ, poſt remiſſionem peccati. *D. Thom: 4. d. 15 q*

d. 15. q. 1. a. 3. q. 3. Et *Supp. q. 45. art. 3.* *Satisfactio sic impleta sortitur effectū remoto obice. V. Sent. M. lib. 2. dist. 63.*

Deuota, id est animo religioso facta, ad satisfaciendum Deo pro peccatis.

Imposita, quæ prima conditio est ex parte Confessoris, monens ipsum, vt pro debito sui officij, imponat satisfactionem: alioquin grauiter peccabit, nisi penuria temporis, obliuio, aut alia rationabilis causa excusauerit.

Temperata, monet, vt Confessarius indiscretas pœnitentias non iniungat, sed neq; leuissimas. Illæ enim onerosum faciunt Sacramentum: hæ verò occasionem præbent recidendi, ac leuipendendi grauitatem offensionis diuinæ. Itaq; consideranda est peccatorum grauitas, peccatoris qualitas, cōplexio, status, occupationes: & cùm hæc omnia perpenderit, adhuc condescendat fragilitati humanæ, ac mitiget eam, quam in rigore imponere deberet.

Habeat præcipuè rationem bonæ dispositionis, si pœnitens verè contritus sit, & sincerè firmiterq; vitare peccatum proponat. Expediet quoque insinuare, quod peccata maiorem pœnitentiam exigant. Licitum autem est, Pœnitenti rogare diminutionem, vel auctionem pœnitentiæ.

Accommodata quoq; esse debet, tum curationi, tum præseruationi à peccatis: vt ebrioso assignetur parcitas potûs, luxurioso ieiunium, & aliæ corporis afflictiones: tenaci & auido crebrior & largior eleemosyna: negligenti suæ salutis, frequentatio Sacramentorum.

Occulta. Nam publica pœnitentia etiam pro peccatis publicis non est imponenda, nisi id exigat publici enormisq; scandali ratio, & Pœnitentis simul accesserit consensus. Siquidem scandalum alia via auferri potest; videlicet, per peccatoris manifestam emendationem, aut per iuridicam animaduersionem. Addunt aliqui, has publicas pœnitentias reuelationem Confessionis præseferre; videlicet, si aliqui intelligant eam esse in Confessione, pro tali crimine impositam.

17. Mutare has satisfactiones, seu (vt vulgò vocantur) pœnitentias, extra Confessionem, nemini licitum est, sed tantùm in actu Sacramentali: idq; aliter per Confessorem eas imponentem, & aliter per succedentem. Nam qui imposuit, potest eas mitigare & cōmutare, non repetita Confessione, dummodò meminerit causam seu peccata, propter quæ sunt impositæ, & causa rationabilis ad sit. Alius verò Confessor qui succedit, non nisi iterata confessione: vt docet *Suar. in 3. p. D. T. tom. 4. d. 37. s. 10. n. 4. seq.* licet *Nau. c. 26. n. 22. in Manual.* non requirat iterationem confessionis. Crediderim ego iterandam esse, saltim quoad illa peccata, pro quibus est imposita. Quomodo enim remedium adhibere poterit ignorata causa, aut morbo? Quòd si ob peccata reseruata fuit imposita, ille qui caret facultate absoluendi à reseruatis, etiamsi confessio repeteretur, nō poterit id præstare: nisi necessitas & pia vtilitas id postularet. Tunc enim licet benignè interpretari voluntatem Superioris, aut præcedentis Confessoris, quasi intendentis facere commissionem in casu necessitatis. Casus autem esset, si recursus ad Superiorem, qui pœnitentiam imposuit, sit difficilis, interim vrgente rationabili causâ, quam

si Su-

si Superior sciret, sine dubio facultaté id faciendi concederet.

18. Neq; satis est Confessori, quod ante absolutionem pœnitentiam imposuerit: nam requiruntur etiam interdum alia duo; videlicet, cum proximo reconciliatio, & occasionum euitatio. Siquidem dum peccamus, nobis nocemus, proximum aliquando lædimus, Deum autem semper offendimus. Dei itaq; iniuriam resarcimus, tum dolore cordis, tum voluntaria castigatione nostra, per opera laboriosa, corporis afflictiua, ac sensui repugnantia. Proximum verò læsum tàm deprecatione supplici, quàm restitutione famæ, aut bonorum, placamus. Et sicut nobis peccando obfuimus: ità proposito firmo ampliùs non peccandi, occasionesq; vitandi, damna nostra compensare strictissimè obligamur.

19. *Peccatum* (quæ est materia pœnitentiæ) à D. August. sic describitur: Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum, contra legem æternam.

Et quoniam affirmatio & negatio, reducuntur ad idem genus, ideò cointelligendum est: peccatum quoq; esse, non dictum, quod secundùm Dei legem dici debebat: & non factum, quod fieri oportebat: in corde quoq; omissum, quod desiderari amariq; debebat. *D. Th. 1. 2. q. 71. a. 6. & q. 76. a. 2.* Vtrobiq; enim est deuiatio, à præscripto seu statuto legis diuinæ, quæ ab æterno existit in Deo: estque exemplar & regula agendorum per eos, qui subduntur gubernationi eius.

20. Peccatum duplex: Originale & Actuale. Actuale itidem duplex: Mortale & Veniale. Hæc autem secunda divisio non est sic intelligenda, quasi homo in mortali peccato existés, nunquàm veniam consequatur, in veniali auté consequatur. Sed sic: Quod homo in veniali peccato tantùm existens, adhuc retineat in se gratiam, quæ est principium tàm vitæ spiritualis, quàm veniæ: In mortali verò non ité: Quandoquidem mortale excludit gratiam. Vnde consecutio veniæ pendet ex Deo præveniente, & mouente cor hominis ad pœnitentiam. Propterea D. Thom: peccatum mortale comparauit morti, quæ animam, omnium operationum principium, excludit: Veniale verò ægritudini, quæ retinet eam.

21. Mortale & Veniale in ordine ad Confessionem, per hoc distinguuntur; quòd mortale aliter non dimittatur, nisi per confessionem: ideo dicitur materia confessionis necessaria. Veniale verò etiam sine confessione remittitur: idcircò quamuis peccatum veniale sit sufficiens materia confessionis, & absolutio potest ferri super illud, non tamen necessariò exprimi debet in confessione, potestq; vnum exprimi, & aliud taceri, & quidem licitè, quamvis ex verecundia, & contra suum propositum, quod Pœnitens habuit accedéns ad Confessionem: Vnde dicitur materia libera.

22. Hoc itaq; veniale, mortali nó coniunctum, remitti potést tam per Sacramentum Pœnitentiæ, quàm per alia Sacramenta (dummodò non sit actualis complacentia in peccato) imò etiam seclusо Sacramento per virtuté moralem pœnitentiæ, qua quis detestatur peccatum, explicitè vel implicitè. Explicitè quidé dolendò sé cómmisisse (quavis dolor sit imperfectus, qui attritio tantù dicitur) & proponendò abstinere-

nere à singulis, imò etiam ab omnibus, si infirmitas huius vitæ pateretur. Implicitè verò, cùm aliquis tanto feruore atq; affectu fertur in Deum, & res diuinas; vt quicquid sibi tunc occurreret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiamsi actu de illo tunc non cogitet. Feruor enim charitatis, virtualiter seu implicitè continet detestationem peccati.

Ex tali verò detestatione, nascitur propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda. Alioquin esset periculum deficiendi, si desereretur desiderium proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectûs, quæ sunt peccata venialia: vt docet D. Thom: 3 p q. 87. a. 1. im.

Tertiò etiam remittuntur peccata venialia extra Sacramentum, per ea quæ inclinant, seu excitant animam ad pœnitentiam, vel detestationem peccatorum, aut Dei diuinorumq; reuerentiam.

Ad detestationem quidem, communiter numerantur: Confessio generalis, tunsio pectoris, Oratio dominica: (& hæc apertè inclinant ad peccati dolorem) item quæ implicitè id faciunt, vt oratio in Ecclesia consecrata, aspersio aquæ benedictæ, eleemosyna, Episcopi vel Abbatis consecrati benedictio, sacra Vnctio. Hæc enim dum apertè excitant ad Dei diuinorumq; reuerentiam, inducunt quasi ex consequenti ad abijcienda ea, quæ aliquo modo sunt contra, vel præter reuerentiam.

* *Per Sacram vnctionem hic intellige, quæ est Sacramentalis. Vt est vnctio in Regem. Gab. à S. Vinc. V. Sacramentalia.*

23. Ad cognoscendum peccatum mortale, & discernendum à veniali, nota, quòd duo requiruntur ad mortale. Nam ex parte peccatoris exigitur deliberatio, ac plenus consensus, ne impræmeditatè ac inconsideratè sit patratum. Ex parte verò peccati seu actûs, requiritur grauitas materiæ. Vnde defectu plenæ deliberationis, & in materia leui erit peccatum veniale. Leuitas autem materiæ poterit inueniri etiam in peccatis contra dilectionem, seu reuerentiam Dei: vt si quis recitare Officium obligatus omiserit versum, aut votum exiguum non impleverit: videlicet, si vovit singulis diebus recitare Salutationem Angelicam semel. Similiter in peccatis contra charitatem proximi, potest dari iniuria grauis & leuis. Grauis erit: homicidium, mutilatio, adulterium, furtum notabilis quantitatis. Leuis, percussio modica, subreptio solidi vnius, quod ordinariè veniale peccatum est.

24. Quomodo mortale transeat in veniale, & è contra. *Vide Exam: tit: 2. q 9. & 10* Quomodo autem fieri possit nullum, quod alias etiam mortale esset ex genere suo, hic addendum est. Fit enim hoc propter sex: impotentiam, ignorantiam, defectum iudicij, iustam causam, dispensationem & necessitatem

Impotentia habet locum in restitutionibus, si facultas deest: in recitatione debiti Officij, tempore magnæ infirmitatis, in ieiunijs, quo ad debiles: in auditione Missæ deficiente Sacerdote, vel tempore inundationis, aut pluviæ: & in alijs statutis humanis.

Ignorantia quoq; invincibilis, quæ nullatenus superari potuit, neq; aliquid mouit ad eam excludendam, omninò excusat,

cusat. Idem de inconsideratione naturali.

Defectus iudicij, vt in infantibus & amentibus, dormientibus, vel etiam in ebrijs completè.

Iusta causa habet locum in præceptis statutis, & legibus humanis. Censetur autem esse tunc, quando illa omninò inclinaret legislatorem, si præsens esset, ad declarandum legem suam, in tali casu non ligare. In dubio autem de valore causæ, dispensatio supplebit.

Necessitas in tribus locum habet, 1. In acceptatione & detentione rei alienæ. Nam si quis in extrema necessitate constitutus esset, ita quod vitam conseruare non posset, licitè acciperet alienum; quia in casu tali, omnia sunt communia. Similiter, si incideret in miseriam irremediabilem, aut etiam decideret ab honorato statu suo (cùm sit magnæ reputationis) restituendo alienum, licitè retinebit alienum, durante tali necessitate.

2. In homicidio. Nam si aliter non posset quis vitam propriam defendere vel etiam proximi, aut etiam res suas & proximi, nisi occidendo inuasorem iniuriam inferentem, liber est à peccato,

3. In obseruatione Festorum. Nam si quis aliter non posset victum habere pro se aut suis, nisi laboret die festo; nihil peccabit. Similiter, si Missam audire nequiret sine periculo notabili vitæ, vel damni alicuius. Adhuc; si fruges terræ verè corrumperentur, damnumq; sequeretur, nisi die festo colligantur, &c. *Nauar.* Hæc tamen necessitas in alijs peccatorum generibus locum non habet. Neq; enim licet hæreticum esse, peierare, blasphemare, fidem negare, fornicari, falsum testimonium dicere, quamtumcunque magna necessitas vitæ, famæ, damni euitandi occurrat, aut violentia inferatur.

25. *Modi peccandi* multi esse possunt. Nam potest peccari per commissionē, positiuè agendo illicita. Et per omissionem culpabiliter omittendo actiones debitas.

Item potest peccari per operationē, ipsum scilicet peccatum per se exercendo. Et per cooperationem, alieno peccato communicando, aliquo videlicet ex illis nouem modis, contentis in his duobus versiculis.

Iussio, consiliū, consensus, palpo, recursus,
Participās, mutq, nō obstās non manifestās.

Quorum declarationem *vide in Exam: tit: 8. q. 4.* Adhuc adijci possunt gradus peccatorum: Peccari enim potest, corde, ore, opere. & consuetudine.

26 Corde quodlibet peccatum perpetrari potest, ita, vt etiam sit mortale. Primò. Si quis deliberatè proponat seu statuat, aliquod mortale cōmittere, quamuis propter aliquod impedimentum, aut animi mutationem, ad actum non perueniat. Vt si determinaverit alium occidere, quamuis postea animo mutato id non perfecerit.

Secundò. Si quis similiter deliberatè desideret aliquod mortale patrare, quamvis non fecerit, eò quod ad id nec vires, nec opportunitatem, vel possibilitatem habeat: vt si quis adulterium cum insigni ac excellentissima persona optaret committere, cùm illa sit honestissima, aut ipse vilis conditionis, &c.

Tertiò. Si quis nolens actum peccati, contentus esset delectatione, quā caperet ex cogitatione de illo peccato, Vel si actu non oblectaretur ea cogitatione,

tione, tamen se exponeret periculo cō-sentiendi, & acceptandi illam delecta-tionem prouenientem ex illo peccato mortali cogitato. vt, si quis nolens vindictam seu homicidium actu com-mittere, tamen cogitaret de occisione, si fieret, & delectaretur illa, quatenus apprehenditur in cogitatione. Hæc meliùs declarabuntur inferiùs, cùm de peccato carnali agetur.

Hic duo sunt notanda. Primum est: Quòd valdè errant simplices, non reputantes peccatum, nisi quod est o-pere consummatum: siquidem peccata cordis, oris, & operis, gradus tantùm diuersi sunt, sed omnes naturæ eiusdē. Et quamprimùm vetatur aliquod opus, simul vetitum esse censetur, oblectare se eodem non tantùm opere, sed eti-am cogitatione, locutione, visu, & ta-ctu. Secundò notandum: quod cir-cumstantiæ, quæ in confessione adiun-guntur peccatis actualibus, adiungi eti-am debent in mentalibus. Nam quod aggrauat actuale, aggrauat & mentale, cùm sint eiusdem speciei.

* *V. dicta p. 2. Element. ad Sacras Conf. n. 4.*

27. De Circumstantijs satis dictū est in *Exam: app: tit: 3. q. 3. & seq.*

Et quoniam in elementis ad S. Con-fessiones recensuimus circumstantias 19. rudi quidem, (quod aiunt) Minerua, claritati potiùs, quam proprietati stu-dentes: ideò in gratiam Tyronum hu-ius artis, inseremus hic, quæ ibi di-ximus.

Itaq; illæ circumstantiæ (quamvis non omnes secundùm proprietatem possint ita appellari) continentur in his quatuor versibus:

Quis, quem, quid, quantum, cum quo, meditando,
Cur, quoties, per se vel non, vbi, quo-modo, quando,
Damnificans, precibus grauis, ad mor-tale paratus,
Conscius erroris, contemnens, scandala præbens.

28. Prima circumstantia (*Quis*) monet, vt Pœnitens ignotus Pœniten-tiario declaret suum statum, seu condi-tionem. Quod obseruandum est præ-cipuè in carnalibus, votis, iuramentis, & bonorū temporalium dispositione.

Quoad peccatū carnale: si est con-iugatus, si in maioribus Ordinibus, si Religiosus. Addunt aliqui; quòd si idem & Religiosus, & maioribus Ordi-nibus initiatus sit; vtrumq; explican-dum esse, si vtrumq; Confessori igno-tum sit: quamvis multi doceant, suffi-cere, vnum, scilicet, se aut Sacerdotem esse, aut Religiosum. *Lopez c. 31.*

Quoad vota: Religiosus, si furatus sit fl. 10. debet manifestare se esse Reli-giosum, quia contra votum pauperta-tis fecit: atq; adeò peccatum, non tantum contra iustitiam est, sed etiam contra religionem. Et qui non ieiu-nauit Vigiliam alicuius Sancti, quam etiam ex voto ieiunare debebat, non faceret satis, si confitendo, solius vigi-liæ quam transgressus est, mentionem faceret, & votum non exprimeret. In usu rerum, seu dispositione; Nam vxor contra voluntatem mariti: filius con-tra voluntatem parentis: seruus sine scitu domini: Religiosus contra vo-luntatem sui Superioris, aliquid notabi-le donans, ex bonis mariti, parentis, domini, communicatis; peccat morta-liter,

liter, cum obligatione restituendi. *De quo clariùs infra.*

29. Secunda circumstantia (*Quem*) admonet, vt Pœnitens manifestet conditionem læsæ personæ. Habet autē locum in 4. generibus peccatorum. 1. In blasphemia, si contra Deum vel Sanctos sit. 2 In percussione, si proximum duntaxat, an verò parentes, consanguineos, Clericum, aut etiam Prælatum quis percusserit. 3. In graui odio, notabili diffamatione vel calumnia, insigni iniuria, ignominia vel damno, contra parentes, Prælatos, Episcopos, aut Religiosos, cōmissis, vt suo loco dicetur. 4. Quando offensio afficit plures, vt si quis præiudicium aliquod faceret Præfecto alicuius communitatis, vel honestæ vxori, ingenuo filio, quod cederet & redundaret in ignominiam congregationis, mariti, & patris, &c.

30. Tertia Circumstantia (*Quid*) Hæc non tam circumstantia est, quàm commonitio, vt Pœnitens suum peccatum exprimat in particulari clarè, ita vt Confessor statim intelligat peccati grauitatem. Quod obseruandum est in omnibus, præsertim in blaspemia, ad cognoscendum, vtrum sit hæretica, vel simplex, seu ignominiosa tantùm, (quæ, tunc est, cùm aliquis minùs honestè de Deo aut Sanctis loquitur.) 2. In iactantia: Nam explicandum erit illud mortale, de quo quis gloriatus est, propter nouam complacentiam in peccato, quam habet dum gloriatur. 3. In percussione: An simplex percussio fuerit, aut vulneratio, vel mutilatio. 4. In concursu plurium illicitorum actuum, tendentium ad vnum principalem. Tunc enim satis est explicare principale peccatum, absq; recitatione historiæ cogitationū, voluntatum, & aliarum præparationū. Exemplum. Sufficit dicere: Occidi hominem, omissis alijs præambulis, ensis sumptione, equi cōscensione, cōminationibus, &c. Similiter: Fornicatus sum, neq; necesse est explicare tactus, oscula, & alios illicitos actus. Facile enim intelligere poterit Confessor ipsos præcessisse, & consecutos fuisse tale peccatum, nisi consequentes repetiti, fuerint via ad futurum peccatū, quod non sit secutum: aut completo primo peccato, de nouo velint solis tactibus vacare absque respectu ad præcedentem coitum. Nam cùm illi actus peccaminosi, non sunt cōiuncti cū principali peccato, tunc sunt explicandi seorsum, tanquam peccata distincta & principalia. Similiter quando illa plura illicita concurrunt quidem, sed non ordinantur ad aliquod principale, sicut sunt distincta peccata, ita etiam distinctè in confessione explicanda. Vt cùm quis in vna contentione plura verba iniuriosa profert, appellando quempiam furem, adulterū, proditorem, &c.

* *V. p. 3. Elem. ad S. Conf. §. tertia circumstantia n. 4. ante obseruationem.*

Nota hîc. Quod in turpiloquijs, cogitationibus, delectationib9, veneficijs, sufficit explicare, se habuisse desideriū, aut delectationem, circa liberam, coniugatam, &c. neq; necesse est exprimere ea, quæ cogitabantur. Quæ singularis est consolatio scrupulosorum, qui nimis exquisitè solent historicè explicare suas cogitationes, cum magno suo rubore, & absque necessitate Sacramēti; vt *Granatens.* ait.

31. Quarta Circumstantia (*Quantū*) expli-

explicanda est in furtis, damnis, vsuris, alienorum invasionibus vt tutior opinio docet. Ergo non satis erit dicere, furatus sum; sed addendum est, fl. 10. 20. &c.

32. Quinta Circumstantia (*Qualis*) obseruanda est in percussione, & furto. Nam percussio potest esse leuis & graui. Et quidem Clerici percussio leuis, ab Episcopo absoluitur: Grauis verò Papæ reseruatur

Huc spectat percussio ignominiosa: vt, si quis honoratam personam baculo, aut pulmonibus animalium percuteret. Similiter in furto, si res ablata est profana, vel sacra.

33. Sexta Circumstantia (*Cum quo*) Statum complicis, id est, socij delicti, insinuat: non vt ex nomine manifestetur, (hoc enim nunquam licet nisi secundùm declarationem in Examine approbandorum *tit. 3. q. 4.*) sed ex sua conditione. Vt puta: 1 In carnali peccato, cum persona religiosa, coniugata, &c. 2. In ludo alearum; si fiat cum illis, qui dominium non habent rerum ludo amissarum: quales sunt; Religiosus, filius familias, vxor, &c. quia tunc lucrans tenetur restituere. 3. In choreis; si fiant cum Religioso, vel Clerico in Sacris, aut beneficiario. Cũ enim regulariter peccent tales; consequenter peccant, qui eorum peccato consentiunt. 4. In bello inuasiuo, in quo non licet vti infidelibus contra Christianos: neque hæreticis contra Catholicos. In defensiuo tamen licet.

* *Sylvester V. Choreæ ex C. Clericum. d. 46. &. C. Clericorum de Consecratione dist. 5. censet: Clericus ducens choreas in publico, peccat mortaliter. Tum propter prohibitionem Sacrorum Canonum, Tum propter scandalum. Secus si parum saltaret & in loco secreto.*

34. Septima (*Meditando*) vix alijs præter carnalia deseruit. Si videlicet aliquis, in ipso actu, siue naturali, siue contra naturam, aliam personam apprehendat, cum affectu aut desiderio ad eam: quod etiam in usu matrimonij apud valde lasciuos accidere posset. Tunc enim exprimendus est status personæ cogitatæ: Nam potest esse actualis fornicatio, & mentale adulterium, vel etiam sacrilegium.

35. Octaua (*Cur*) finem peccati & motiuum inculcat. Hæc autem circumstantia adeò est virulenta, vt aliquando ex veniali, vel nullo peccato, aut bono opere, mortale faciat: vt, si quis daret mulieri eleemosynam, ad alliciendum eam ad peccatum. Et adeò potens, vt ex eo, quod alias esset mortale, facit nullum: vt vesci carnibus in Quadragesima, propter infirmitatem grauem.

36. Nona Circumstantia (*Quoties*) Iam dictum est, quod hic circumstantiæ non sumuntur propriè, sed communiter, & extenso vocabulo, ad omnia, quæ peccato quocunq; modo coniunguntur. Quo fit, vt etiam numerum hic adiungeremus, cùm tamen ille in rigore non sit circumstantia, sed peccati multiplicatio & repetitio. Itaq; non est satis in confessione dicere, peccaui aliquoties, multoties, infinities; sed determinatè, decies, tricies, &c. Si certus numerus haberi non possit, tunc sufficiet verisimilis: videlicet, peccaui circiter decies: vel plus, minusuè. Talem autem saltim numerum facilè colligere poteris, si totum spatium, quo peccabas, distinxeris per tempora: scili-

scilicet, in annos, menses, hebdomadas, dies: Adjunxerisq; personas, cum quibus conuersatus es; loca in quibus habitabas, aut quæ visitabas. Tunc enim deprehendere poteris, quod per annum integrum vigesies peccabas, aut ter vel bis in hebdomada, vel circiter: subiungendo in supplementum, vt cuidam placet, toties quoties Deus scit se esse offensum à me. Et hoc modo satisfacies integritati confessionis: Quòdsi post accuratum examen, neq; verisimilis numerus sciri posset, vtpotè, propter diuturnam & longam peccati continuationem, tunc sufficit manifestare tempus, quo perserauit in peccato. Videlicet: Mansi in concubinatu tribus annis, vel in meretricio decem annis; parata consentire cuilibet statui (dummodo grauiora, vt adulteria, sacrilegia, peccata contra naturam, &c. quæ rariùs accidere solent, seorsim, si fieri potest declarentur.) Similiter, vno integro anno preces debitas omisi.

Annotanda sunt hic octo.

1. Si quis post debitum examen, cum tali verisimili numero confessus fuerit, (decies, plus, minusùe) postea resciuerit numerum certum. Tunc si notabiliter excedit numerum verisimilem, vt puta, quinario; in confessione sequenti hanc hallucinationem exprimere debebit. Si non notabiliter; vt puta binario tantùm; quiescat, & nullam ampliùs mentionem faciat.

2. Qui certum numerum post diligens examen ignorans, maiorem proferret, mallens se aggrauare ante Deum quàm de vero aliquid detrahere; non peccaret, præsertim mortaliter.

3. In confessione non sunt numerandæ personæ, cum quibus peccatum est, sed tantùm vices: vt puta, bis fornicatus sum, non adiungendo, cum vna, vel duabus. Similiter, duo adulteria, tres incestus. Ita quòd peccata eiusdem generis, cum diuersis personis eiusdem conditionis, simul explicanda sunt, & non diuisim, nisi in aliquo actu adsit noua deformitas, propter diuersam circumstantiam.

4. Qui in hæresi perseueraret decem annis, retinens, ac legens libros hæreticorum, & sæpiùs blasphemans; vnum tantum peccatū haberet, ex pluribus compositum. Et in rigore satis est, vnum principale manifestare; videlicet, hæresim. Nam cætera facilè intelligi possunt à Confessore, ex tali statu.

* *Hæc doctrina sanè intelligenda. Hoc est: si conditio posita verificatur. Quæ rarissimè verificatur.*

5. Qui vno impetu decies percuteret proximum, vel etiam Clericum; vnum tantum peccatum admittit, & vnam excommunicationem incurrit: sicut & qui in vna contentione, pluries eandem iniuriam repeteret. Secus est, si vno impetu duos percuteret Clericos, duas enim excommunicationes incurreret. Sicut & qui uno amplexu duas mulieres stringeret, seu libidinosè tãgeret: in una rixa duas iniurias proferret. Tot enim erunt peccata, quot conuitia.

* *V. p. 3. Elem. ad S. C. § tertia circumstantia. n. 4.*

6. Qui nihil intenderet, quàm vacare tactibus carnalibus, postea mutatus, adderet etiam propositum fornicandi, duo peccata committeret, & vtrumque explicare deberet.

7. Qui tota nocte captaret occasionem,

nem peccandi carnaliter: aut etiam toto anno insequeretur aliquam mulierẽ, vt ea potiretur: vnum tantùm peccatum admittit, tantò grauius, quantò diuturnius. Si tamen malam voluntatem aliquando intermisit per pœnitudinem, tot erunt peccata, quot erant interruptiones & renouationes mali propositi.

8. Maledicens Patrifamilias, & toti familiæ in communi; duo peccata committit. Nam suæ maledictionis duas tantùm partes fecit, licet in familia sint 10. aut 30. personæ.

37. Decima Circumstantia (*Per se, vel alium*) quærit de auxilio seu socio peccati: videlicet, an solus peccauerit, an verò alium quoq; ad peccandum induxerit, vel vsus fuerit, siue tanquam socio. (Vt in mollitie, quæ cùm sit in se grauis, grauior tamen redditur, si fiat alterius ope) siue tanquam mediatore. Quod & in alijs peccatorum generibus accidere potest.

38. Vndecima (*Vbi*) quærit, de loco peccati, si fortè sit patratum in loco sacro. Nomine autem loci sacri, templum & cæmeterium intelligitur, non tectũ tẽpli, neq; hospitale, neq; monasterium vniversaliter; nisi in quibusdã casibus, vt statim declarabitur.

Hæc circumstantia locum habet in homicidio, furto, extractione, actu carnali, & cantilenis. Nam interfectio hominis, imò & enormis iniuriosaq; effusio sanguinis, in Ecclesia aut cæmeterio, grauius est peccatum, & violatur sacer locus, vt reconciliatione sit opus.

Quodsi effusio sanguinis fuerit in cryptis subterraneis Ecclesiæ, vel in tecto extra Ecclesiam: non violatur. *Lopez c. 33.* Similiter furtum ibidem factum non est simplex, sed sacrilegium, etiamsi res ablata profana fuerit, dummodo spectet ad custodiam Ecclesiæ, & ministrorum eius, ut sunt res accõmodatæ & depositæ. *Lopez c. 33.*

Tertiò in extractione à templo eorum, qui confugerunt ad illud, sed tunc tantùm, quando confugientibus suffragatur immunitas Ecclesiastica, iuxta terminos Constitutionis Greg: XIV. Extenditur autem hæc immunitas, & ad Hospitalia, & priuata Oratoria, Episcopi authoritate fundata, & ad palatia Episcoporum, & Religiosorum Monasteria. *Silu: V. immunitas 3.* Quartò, in actibus carnalibus. Nam si fuerit ibi copula etiam maritalis, aut qualiscunque emissio seminis, in vigilia (ut excipiatur illa quæ fit in somnis) violaretur Ecclesia, quamprimũ hoc innotuerit. Imò etiam tactus & oscula libidinosa in Ecclesia, vel cæmeterio; sunt grauiora peccata, quàm si alibi fiant. Quod si extra Ecclesiam, vt supra tectum prædicta fierent, non aggrauarent, neq; violarent. Similiter aspectus & delectationes morosæ, sunt quidem peccata mortalia, sed non exigunt huius circumstantiæ explicationem. Item, si supradicta fiant in cameris extra Ecclesiam, quamvis contiguis eidem, non pollueretur Ecclesia. Quintò, in cantilenis lasciuis, siue uoce, siue instrumentis Musicis fiant, etiamsi textus ex S. Scriptura sit suppositus: erit sine dubio peccatum mortale.

Exciperem ego (saluo meliori iudicio) illas cantilenas, quæ in aliquã regionem sunt introductæ, simul cum textu spirituali, nec unquam auditæ sunt cum textu profano, nec adsunt, qui in-

qui id sciant, aut scandalizentur.

Comedere, bibere, & dormire in templo, quia non sunt notabiliter contra reuerentiam templi: sunt peccata venialia, secluso, tamen scandalo.

39. Duodecima (*Quomodo*) Modus aliquando est explicandus.

Primò. In furto, si occultè, vel per vim: tunc enim rapina erit.

Secundò. In sacrilegio, si effractis foribus, vel muro; quia tunc esset excommunicatio.

Tertiò. In ludo, si candidè aut fraudulenter. Vbi enim dolus interuenerit, præter peccatum mortale; est etiam obligatio restituendi.

Quartò. In carnali actu: nam etiam in Matrimonio modus naturalis seruandus est.

40. Tredecima (*Quanto*) monet, vt confitens exprimat tempus, quo in peccato perseuerauit: vt, in odio, rancore appetitu vindictæ, inimicitijs, in consuetudine iurandi absq; consideratione, an verum aut falsum sit. In carnali peccato, quo & quanto tempore mansit irretitus illo; In hæresi, & in alijs multis,

41. Quartadecima (*Damnificans*) hoc est, si peccatum fuit cum notabili damnó proximi, siue animæ, siue corporis, siue bonorum. Habet locum hæc circumstantia. 1. In ebrietate, Si quis aliàs est expertus & solitus magnam turbationem domi facere, aut alios inquietare, &c.

2. In ludo. Si ludens solet perdere cum notabili detrimento domesticorum, aut cum admixtione aliorum peccatorum: scilicet, blasphemiæ, exe-crationis, &c.

3. In homicidio. Si occisus in peccatis occubuit, aut cum inopia derelictæ vxoris ac filiorum, qui absque occiso vitam sustentare non possunt. Tunc enim satisfactione opus erit.

4. In ablatione rei, quæ videtur parui momenti. Vt si quis auferret à sartore acum vnam, qua sibi victum comparabat, neque aliam eius loco habere posset; tunc & mortaliter peccaret, & damnum resarcire teneretur. Similiter, Si nobilis habens in horto, excellentissimi generis arborem cum aliquot pomis, quibus summoperè delectatur, & propter surreptionem vehementer anxiaretur: tunc qui auferret, peccaret mortaliter, propter hāc turbationem notabilem.

42. Quintadecima (*Precibus gravis*) id est, magnis & importunis precibus, aliquem inducere ad faciendum aliquid contra suam voluntatem. Locum habet, præsertim in ludo. Vt si quis prouocaret aliquem cum molestia & instantia ad ludendum, ipse verò quasi coactus ad vitandam ignominiam, quæ inde ipsi prouenirer, acceptaret conditionem: tunc prouocans tenebitur restituere, si quid lucratus fuerit. Item, in peccato carnali (quamuis hoc ipsū peccatum scandali sit) vt, si quis grauis esset in alliciendo & pertrahendo aliquam, aliàs honestam, & peccato valde repugnantem ad turpitudinem, crebris munusculis, ac beneuolentiæ signis, deinde verbis vrgentibus, &c. vnde & numerum talium solicitationum dicere tenebitur.

43. Decima sexta (*Ad mortale paratus*) hoc est: si quis adeò afficeretur alicui rei aut operi, quòd etiamsi esset mortale, illud aggrederetur.

44. Decima septima (*Conscius erroris*)

ris) id est quando aliquis facit, quod nõ est mortale, nihilominùs ipse credit esse mortale, habens conscientiam erroneam, peccat mortaliter: quia iam paratum habet animum committendi mortale. Ergo in talibus, scrupulosi debent erroneam conscientiam deponere, vel ex se, vel ex aliorum consilio, & ita facere liberè, quod faciunt alij.

45. Decima octaua (*Contemnens*) hoc est, quando aliquis ex contemptu aliquid facit. Ex contemptu autem facere censetur, qui non propterea transgreditur aliquid, quod leue & paruum esse iudicat, neq; ex passione, &c. sed quia non vult obedire, aut subesse legi, præcepto, regulæ, legislatori præcipienti, Prælato &c. ac proinde ex eo, quod paruipendit legislatorem & legem. Qui hoc melius intelligere cupit, legat *D. Th. 22 q. 186 a. 9 ad 3m: Sanchez moral: præcept: lib: 1. c. 5. n. 8. Lessi ibi allegatum. Suarez de legibus, lib: 3. C. 28. Pignon: de Cura minimor. c 7.*

46. Vltima Circumstantia scandali. Sciendum, quod scandalum potest esse & circumstantia peccati, & ipsum peccatum principale. Circumstantia quidem quando aliquis in præsentia aliorum mortaliter peccat: vt puta, adulterio, aut concubinatu publico, vnde alijs præbetur malum exemplum, siue idem faciendi, siue graues tentationes patiendi; quamuis eius intentio non sit, suo facto corrumpere alios. Similiter apud Religiosos, euidenter paupertatis votum nõ obseruare, silentia frangere, cæteras obseruantias prætermittere, absq; animo peruertendi alios. Nam cæteri videntes tam praua antecessorum exempla, facilè imitabuntur & amplectentur abusus.

Peccatum verò principale potest esse dupliciter. Primò: Quando quis dicit, aut facit aliquid, vt alter peccet: quod Theologi vocant scandalum per se, hoc est, ex intentione. Intenditur enim ruina spiritualis proximi: vt, si quis induceret alium, & persuaderet homicidium, peccatum carnale, periurium, hæresim, &c.

Nec tantùm dicto id fieri potest, verùmetiam facto: vt, cùm aliquis ad explorandam constantiam alicuius in castitate; introducit vel immittit in alicuius cubiculum mulierem. Idem videtur censendum de eo, qui ad experiendum alicuius fidelitatem, astutè in aliquo loco non solito (patenti tamen) ponit aureum, vt videat, an illã transiturus, sit eum accepturus, sibiq; usurpaturus, nec non: quamuis liceat non impedire, neq; subtrahere pueris & famulis occasionem furandi, relinquendo pecuniam in loco solito, vt faciliùs deprehendantur, conuincantur, & emendentur: hoc enim non est positiuè cooperari peccato, sicut prius; sed negatiuè se habere.

Secundò, potest esse peccatum scandali per accidens: hoc est, non ex intentione vt alter peccet, sed quia fit aut dicitur aliquid, quod speciem seu apparentiam habet mali: vnde alijs præbetur occasio obloquendi, temerariè iudicandi, aut in alia crimina ruendi: vt, si iuuenis teneat domi mulierem, & inde creatur inter homines suspicio, vel infamia: quamuis ipse ne cogitatione quidem peccet. *Nau: c. 14. n. 31.*

Similiter, quando mulier ornata præsentat se conspectui eius, quem credit exarsurum in eius concupiscentiam; pecca-

peccat, quamuis non habeat animum inducendi eum ad peccatum. Nam etsi non habeat expressam & directam intentionem ruinæ alterius; habet tamen tacitam & indirectam, si aduertit suum dictum, vel factum esse cum periculo ruinæ alterius.

47. Verùm circa hoc vltimum scandalum, præter intentionem, notanda sunt aliqua. 1. Talia, quæ ex natura sua non sunt peccata, potest aliquis facere, aut ex necessitate, vel etiam vtilitate: aut absq; causa necessaria vel vtili. *Nau: cap: 14 n. 31.* 2. Acceptio scandali potest oriri, aut ex malitia, quod vocatur Pharisaicum: aut ex animi infirmitate, vel ignorantia, quod vocatur scandalum pusillorum vel infirmorum. Itaque propter illud, quod ex prauitate animorum procedit, neq; bona spiritualia, neq; temporalia sunt omittenda.

Propter scandalum pusillorum, non sunt omittenda bona, quæ sunt de necessitate salutis: quæ prætermitti non possunt sine peccatò mortali, aut etiam veniali. *D. Thom: 2. 2. q. 43. a. 6.*

Quæ autem non sunt de necessitate salutis, sunt occultanda, aut differenda, si periculum scandali imminet, donec informatione facta scandalum cesset: quòd si ea præmissa non cessaret, iam ex malitia procederet. Porro temporalia, quorum domini sumus, propter pusillorum scandalum, aut sunt totaliter dimittenda (sicut & Ecclesia abstinet à decimis exigendis in terris, in quibus non est consuetum decimas soluere: vt D. Thom: ait, *2. 2. q. 43. a. 8. ad 5m.* Imò & ipse Christus, ad vitandum aliorum scandalum, soluit tributum, quod soluere minimè tenebatur) aut per admonitionem, aliumuè modum, scandalum est sedandum. Debemus enim aliqualem iacturam bonorum temporalium sustinere, ad impediendum infirmorum scandalum; quamuis iacturam omnium, aut pene omnium fortunarum pati, ob paucorũ scandalum, nimis durum esset. *Vide D. Thom: & Gregorium de Val: copiosè differentem.*

48. Pro complemento circumstantiarum nota quinque. 1. Quod circumstantia temporis, non est necessariò explicanda in confessione, nisi peccatum sit commissum, in contemptũ festi, seu animo violandi ipsum. Sicut nec loci, præter casus expressos.

2. Relapsus quoq; seu recidiuatio regulariter non est explicanda, nisi sit indicium non verè pœnitentis. 3. Quando plures circumstantiæ concurrunt ad peccatum, omnes sunt explicandæ, vt fractio ieiunij Vigiliæ S. Matthiæ Apostoli, & 4. Temporum, vno die concurrentium. Et omissio Missæ die Dominico, in quo festum celebratur: & cùm vterque fornicator est coniugatus, &c.

* *V. 3 p. Elem. ad 8. Conf. circa finem. Circumstantia tamen utriusque coniugati est necessariò explicanda.*

Qui confitetur peccatum mortale, & circumstantiæ non meminit propter obliuionem, post debitum examen, satisfaceret secundùm quosdam, si in sequenti confessione solam circumstantiã manifestaret: vt, qui in prima dixerit, se fornicatum fuisse; in secunda satis erit dicere, se oblitum fuisse apponere ad quoddam peccatum mortale, quod contra votum suum illud admiserit. Sed alij censent oppositum: videlicet,

delicet, manifestandum esse, tam peccatum, quàm circumstantiam illius, in secunda confessione. Ego crederé, in rigore priorem opinionem veram esse: secundam verò in casu, quo circumstantia non posset conuenienter explicari absque manifestatione peccati, aut grauitatis eius.

5. Circumstantiæ alleuiantes (vt quod inductus magnis precibus consenserit peccato, vel tentatione vehementi victus peccauerit) sicut possunt omitti: ita etiam absque omni peccato possunt manifestari.

§, *De forma Sacramenti Pænitentiæ, quæ est Absolutio.*

49. Præter ea, quæ in Exam. app: de absolutione dicta sunt, hic nonnulla subijcientur. Cùm itaq; forma essentialis in paucis verbis existat; videlicet, *Ego absoluo te.* 1. Sciendum est, quòd inuocatio SS. Trinitatis, non est de necessitate formæ, sed valida est absolutio sine illius expressione.

Extensio quoq; manûs Confessoris, supra pœnitentem, aut tactus capitis, necessarius non est: imò in Confessione mulierum, omninò cauendus.

2. Audita Confessione alicuius, nullo impedimento existente; peccatum mortale est, & grauissima iniuria, non absoluere benè dispositum. Imò Cōfessariùs omni conatu curare debet, vt nunquam Pœnitentem absq; absolutione dimittat, quantum permittit facultas eius, & dispositio confitentis.

3. Si Pœnitens nullum peccatum exprimit in Confessione, non potest absolui: quia proijceretur forma, vbi non est materia, ac proinde iniuria esset Sacramento.

Benedicendus itaq; talis esset (prudenter tamen) vt illuminetur ad cognoscendos suos defectus, aut in innocentia conseruetur, non absoluendus. Nisi hoc proueniret ex negligenti discussione conscientiæ, aut magna simplicitate, tunc enim iuuandus esset pœnitens. Porro suadere pœnitenti, vt de præterita confessione aliquod peccatum manifestet, regulariter non expedit. Quia nec DEus, neq; Ecclesia exigit, vt quis confiteatur bis peccatū ritè confessum: ipse tamen pœnitens licite hoc facere poterit, si voluerit.

4. Potest Cōfessarius diuidere absolutionem, à confessione, ob aliquam causam necessariam, vt puta, in fauorem pœnitentis, vt interim melius examinet; aut præparet se. Neq; necessarium erit meminisse peccatorum, tempore absolutionis.

Non excluditur hîc confusa memoria status pœnitentis. Quæ est necessaria

5. Absolutio in spem ratihabitionis, regulariter non est licita, sicut neq; sub conditione de futuro: vt, si restitues, Absoluo te. Licita tamen est sub conditione; de præterito, vel præsenti; vt, si dubites, an sit materia sufficiens absolutionis, dicere poteris, si vera peccata sunt; ego absoluo te.

6. Sacrilegum est, repetere formam absolutionis supra unam eandemq; confessionem. Si tamen fuerint diuersæ confessiones, licèt sint eadem peccata, nullum piaculum est. Vnde, si vellem hesternam confessionem ritè factam hodie repetere, non ex diffidentia, sed ex humilitate, ad delendam aliquam partem pœnæ; licitè Sacerdos me absoluet.

7. Potest quoq; & debet proferri abso-

absolutio super aliquod peccatum, in praeterita confessione oblitum, quando illud clauibus Ecclesiae subijcitur, & in confessione manifestatur, vt directè remittatur,

8. Si quis tempore Iubilei oblitus est peccatum reseruatum confiteri, eo transacto poterit absolui per quemcunque Confessorem, si illa Confessio fuit ritè facta.

Idem intelligendum est de peccatis, quomodocunq; & ubicunq; reseruatis. Nam si aliquando confessio facta est, durante facultate supra Casus reseruatos, vel coram eo, qui habebat authoritatem super eos: iam sublata est reseruatio, etiam ab illo peccato, quod propter solam obliuionem, post sufficiens Examen, erat omissum.

9. Si quis tempore Iubilei, habens peccata reseruata, manifestaret ea omnia in confessione, celaret verò alia mortalia ex industria, ac proinde inualidè absolueretur: is postea non posset ab illis reseruatis absolui. *Vide in Exam: App: tit: 13 q. 13. n. 12.*

10. Cùm Praelatus in religione dat facultatem absoluendi à reseruatis, eo ipso aufert reseruationem à praeteritis peccatis, ita, quòd subditus poterit, non tantùm tunc, sed etiam postea absolui à quocunque: quia iam reseruationem amiserunt, nisi obstet limitatio aliqua facta per Praelatum. Sicut si diceret: Authoritas durabit vsq; ad finem officij. Nam his verbis videtur insinuare, quòd peccata, quae iam cessauerant esse reseruata, transacto termino sint reassumptura reseruationem,

11. In absolutione, cauendi sunt quidam duo errores. 1. Malè intelligentium, quae in elementis tradita sunt: videlicet, occurrente reseruato casu, Sacerdos suadeat poenitenti, vt aliquā confraternitatem amplectatur. Hinc aliqui crediderunt, ingressum confraternitatis habere semper tale priuilegium, quod falsum est. Sed sensus est, quod eam confraternitatem quaerat, quae talem gratiam vigore facultatum Apostolicarum habeat, siue in ipso ingressu, siue post ingressum, certis temporibus. Neq; absoluat, nisi tunc, cùm facultas durat, neq. ab omnibus reseruatis, sed ab eis duntaxat, à quibus conceditur. Non enim tanta solet concedi facultas, quanta in Iubileo; sed plures excipiuntur.

2 Error sacrilegè in hoc negotio progredientium, qui praesumunt absoluere à non reseruatis, & cum reseruato consulunt expectare tempus, quo conceditur facultas supra reseruatos: interim autem illi confitentur, & absoluūtur inualidè, & cōmunicant indignè.

Itaque occurrente casu reseruato, omninò Confessor debet subsistere, & poenitentem ad Superiorem, vel eum, qui potest absoluere, remittere, aut ipsemet facultatem quaerere. Caeterùm, absoluere à non reseruatis solis, ordinariè non licet ei, nisi in casibus vrgentissimae necessitatis; videlicet, vbi Superioris copia non est: interim autem scandalum aut infamia oriretur, si qui confitetur, non communicaret: tūc enim liceret quidem, sed cum obligatione reconfitendi illud, quando opportunitas adfuerit. Neq. excusare potest metus inordinatus suspicionis, quae in Praelato hinc suboriri posset: nam Praelatus, & sub secreto Sacramentalis sigilli confessionis hoc audit, & ad exteriorem gubernationem, nullatenus dedu-

deducere poteſt.

12. Aliquando Sacerdos tenetur denegare abſolutionem: nimirum quando confitens impœnitens eſt, non habens contritionem, aut propoſitum non peccandi, vel occaſiones vitandi, iniurias & odia remittendi, officia mala deſerendi, vel animum reſtituendi. *Vide Exam: tit: 6,*

Quanquam ſi deſiderat ex corde cauere peccatum, eiuſque occaſiones; tamen conſcius propriæ fragilitatis, quã expertus eſt; credit ſe relapſurum, eſt abſoluendus.

13. Imminente periculo mortis, non expectet Confeſſor enumeration᷒ omnium peccatorum, ſi periculum eſt in mora; ſed audito vno, vel duobus peccatis, abſoluat. Quamuis poſt abſolutionem, pœnitens debeât proſequi eam Confeſſionem, & iterum ab his poſterius explicatis abſolui directè, à quibus antea fuit indirectè abſolutus.

14. Notanda quoq; eſt illa doctrina ex Rituali Romano, Pauli V. iuſſu edita. Quòd ſi, inquit, inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & ſignis conetur Confeſſor, quoad eius fieri poterit peccata pœnitẽtis cognoſcere, quibus vtcunque vel in ſpecie cognitis: vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt.

15. In reconciliationibus, hoc eſt, in confeſſionibus frequentioribus & breuioribus; *vide formam abſolutionis in Exam: tit: 6, q. 12.*

Vrgente verò aliqua graui neceſſitate in periculo mortis, breuiter dicere poterit: Ego te abſoluo ab omnibus cenſuris & peccatis; In nomine Patris, &c. vt in Rituali Rom: Pauli V. habetur.

SECVNDA PARS.

De Pœnitente.

Diviſa in ſex Capita.

1. *Quomodo pœnitens ſe iuvare poſſit ad contritionem.*
2. *Quomodo ſe parare ad Confeſſionem debeat.*
3. *Quod ſpeculum inſpicere.*
4. *Quomodo ſe in actu Confeſſionis gerere.*
5. *Quid peracta Confeſſione facere.*
6. *Quomodo circa ſumptionem Eucharistiæ ſe habere.*

CAPVT I.

Quomodo pœnitens ſe iuuare poſſit ad contritionem.

CONtritio, quia donum Dei eſt, idcircò per feruentes orationes, & alia pia opera à Deo poſtulanda. Et quia eſt actus humanus, ideò cum Dei auxilio concurrere debent aliquæ conſiderationes, cor emollientes, atq; diſpo-

sponentes. Istæ autem considerationes desumi possunt ex diuersis circumstantijs: nimirum perpendendo; quis, quid, contra quem, & cum quanta iactura, peccauerit. Quis? Qui nihil erat, & non fuisse poterat, & nūc tot donis Dei insignitus; tum naturalibus, (quia ad Dei imaginem ex nihilo creatus) tum supernaturalibus, quia ad æternam beatitudinem ordinatus.

Hic inquam, DEUM offendit, amicitiam eius spreuit, proditor eius factus, ad hostem illius dæmonem confugit, malens eius mancipium esse, quam Dei seruus & amicus: de quo S. Bern: *Ser: 14. in Cant:* Cogita (inquit) in Deo tuo, hæc quatuor concurrere, quod scilicet sit Creator, quod sit Benefactor, quod sit Pater & Dominus. Ad omnia reus es, plange per singula. Ad primum & ultimum respondeat timor tuus; ad duo media, pudor.

Adhuc autem multa mala contra proximos fecit. Nam alios inique bonis temporalibus spoliauit; alios malo exemplo ad peccatum pertraxit, aut etiam efficaciter induxit; vnde illæ animæ vitam perdiderunt: alijs detraxit, multisq. eos iniurijs affecit. Sed & ipse peccator, maximam iacturam ob id perpessus est: nam gratia & charitate exspoliatus, cælestem hæreditatem amisit, perpetuò infernali carceri se obstrinxit, ac proinde mortem primam & secundam incurrit.

Si itaq; tantùm est malum quod perpetraui, quid faciam, vt illud dissoluam? quomodo Creatorem meum placabo: quomodo amico tam benefico reconciliabor? quomodo proximorum damna resarciam? quomodo pœnas inferni æternas euadam? Nullum restat remedium, quàm ad anchoram pœnitentiæ confugere, peccata plangere, atq, detestari. Qui fuerit verè compunctus (manu Dei tactus) plures considerationes ex pluribus circumstātijs exaggerationibusq, acceptas, adinuenire poterit.

CAPVT II.

Quomodo se præparare ad Confessionem debeat?

COnuenienter se ad Confessionem parabit, si quatuor obseruabit.

1. Recurrat ad DEUM per orationē aliquam, saltim breuissimam, siue uocalem, siue mentalem, emisso ad ipsum ex imo pectore suspirio: vt sibi adiutor esse velit ad reminiscendum, detestandum, & confitendum ritè peccata sua,

2. Recolligat se aliquo tempore sufficiente, ad examinandum diligenter conscientiam suam, & rememorandum omnia peccata: reuocandum in memoriam, tum confessiones præteritas, si in eis aliquod peccatum omissum fuerit, aut de necessarijs aliquid defuerit: tum loca, in quibus versatus est, & quid in singulis fecit: tum personas, cum quibus hactenus conuersatus est: tum propensiones, & fragilitatē suam, conditionem, statum, officium, occupationes seu negotia sua: tum discurrendo, ordine, per præcepta Dei, Ecclesiæ, peccata capitalia, sensus corporis, cogitationes, verba, opera, tum etiam tempora diuidendo, in menses, dies, horas, &c. Hac enim ratione faciliùs poterit in memoriam sibi reducere omnia peccata.

Hic notandum.

Quòd in recogitatione peccatorum carnalium, odij, & iræ, non multùm immorari oportet, ne ex insidijs diaboli, aut infirmitate carnis, noua exoriatur tentatio.

3. Postquam inuestigauerit & collegerit peccata sua, compungatur, & statuat ea omnia, cum debita displicentia, manifestare in confessione. Nec tantùm integrè, verùmetiam bona intentione, pro salute animæ suæ, non pro consuetudine tantùm, non pro iactantia, neque ex aliqua coactione.

4. Eligat sibi peritum Confessorem, qui sciat conscientiæ suæ difficultates resoluere, infirmitates curare, in Dei gratiam reducere, regulam benè viuendi docere. Sæpè enim imperitus Cōfessor mortificat & non viuificat, inducit in desperationem, & ex peccato non educit: multaq; alia mala pœnitenti adfert.

Hîc etiam sciendum.

Quòd istud vltimum non omnibus conuenire potest: siquidem pauci sunt, qui possent talem electionem facere; neq; omnes ita intricatos casus habent: & paucissimi inueniuntur, qui quærant peritos Confessores, quin potiùs hos subterfugiunt, & malunt eos, qui nesciunt, aut non curant omnes angulos conscientiæ scrutari. Semper tamen tutius est coram docto & pio confiteri, quàm aliter.

CAPVT III.

In quo speculum Pœnitentis proponitur.

ET ad contritionem acquirendam, & ad confessionem integrè perficiendam, iuuabit vel maximè enumerare vsitatiora peccata, quæ contra Decalogum, præcepta Ecclesiæ, &c. sunt. Hæc autem enumeratio, meritò speculum appellari poterit, eò quod intuentes illud, se suasq; imperfectiones deprehendent ac cognoscent.

Dicamus itaq;, quod tale speculum duplex est, commune omnibus pœnitentibus: & particulare, singulis statibus, seu hominum cōditionibus, Vtrūque autem proponetur.

§. I. *De Peccatis, contra virtutes Theologicas.*

1. Inprimis contra fidem.

An fuerit hæreticus. Vel in fide dubitauerit deliberatè.

Si hæreticis in pertinentibus ad hæresim fauit, aut errori eorum aliquo modo consensit, vel fidem non est confessus, vbi & quando oportebat. In quo Parasiti, adulatores, & politici sæpiùs peccant. Auriga tamen vehens suum patronum ad conuenticulum Hæreticorum, pro suo munere, & causa cuitandi dura verba, aut etiam verbera, & non affectu cooperationis, nihil peccat.

Si libros hæreticorum, aut aliàs prohibitos legerit, retinuerit, vendiderit, & multò magis impresserit. Simplices: si articulos fidei in lege noua ab omnibus sciendos, ignorent.

2. *Contra spem.* Si non sperauit Dei beneficio, se consecuturum æternam beatitudinem, atq; media ad eam necessaria, quæ sunt Dei auxilium, gratia, peccatorum remissio, vitæ emendatio: hæc enim desperatio esset. Si verba desperationis protulit: vt Deus oblitus est mei, non miserebitur

mei.

mei. Quodsi eadem verba, quæ proferuntur, crederentur; non tantùm blasphemia, sed etiam hæresis esset.

3. *Contra charitatem.* Si proximum in graui necessitate constitutum non iuuit, eleemosynam denegauit, aut vltrò non obtulit. Si propter commoditates huius vitæ, deliberatè mauult hìc viuere semper, quàm post mortem cũ Domino, summo bono uniri, & in cœlo delicijs spiritualibus frui. Signum enim esset defectus amoris Dei. Quodsi vitam præsentem futuræ præponeret, propter dubitationem aliquam de vita ventura; iam ad hæresim pertineret. Parati semper esse debemus, vt vocanti Domino, hilariter & promptè occurramus, nihil de eius benignitate hæsitantes.

§. II. De Peccatis contra Decalogum.

1. *In primo Præcepto* prohibentur incantationes, veneficia, diuinationes, aliæq; superstitiones, tàm in exercendo, quàm in cooperando, consilium dando, aut accipiendo, & quouis alio modo consentiendo.

Hìc notandum,

Quòd simplices, quando per ignorantiam tale quid faciunt, non peccãt præsertim mortaliter. At postquam admoniti fuerint de vanitate, peccabũt mortaliter, iam enim incipiet esse voluntaria inuocatio dæmonum, saltim tacita.

2. *In secundo* vetantur periuria, quæ quis admittit tunc, cum sciens esse falsum aliquid, affirmat tamen vel negat & cùm rem iniquam se facturum cum iuramento promittit; & cùm rem iustam sub iuramento promissam, non implet: & cùm ex praua consuetudine iurat, non curando, neq́, considerando, verumnè an falsum sit, quod iuramento confirmatur: & qui alium ad peierandum inducit; (quod benè aduertant Actores causarum, qui absque vlla necessitate aut vtilitate exigunt iuramentum ab eo, quem sciunt falsò iuraturum.)

Hìc etiam sciendum est.

Quòd iuramentum duplex est. Assertorium; quando aliquid cum iuramento, esse vel non esse astruitur. Execratorium: quando execratio, seu mali imprecatio, exprimitur: vt, Deus me priuet gratia vel gloria, vel puniat; si ita non est vt dico, vel si non fecero hoc, vel illud.

Deinde sciendum est: Periurium regulariter mortale esse peccatum, nisi indeliberatio sola excuset. Nam paruitas materiæ adeò non excusat, vt etiam augeat peccatum in periurio.

Tertiò. Si quis absq; necessitate iuret verum, non peccat mortaliter, sed venialiter.

3. Ad hoc idem præceptum reducuntur blasphemiæ, & vota. Blasphemia, est dictum, scriptum, aut cogitatum, contra Deum, aut Sanctos. Potest autem esse duplex: Hæretica, & contumeliosa. Hæretica: vt dicere Deum esse iniustum, hominis immemorem, &c. Aut maledicere Deum & Sanctos. Contumeliosa: quando ignominiosum & turpe aliquid cogitatur de Deo, & Sanctis.

Hùc spectant turpes aut lasciuæ cantilenæ, si diuino cultui admisceantur, etiamsi solo instrumento musico absq; textu fiant. Similiter abusus Sacræ

Scripturæ, & Cæremoniarum Ecclesiæ. Omnia ista sunt mortalia, si sint scienter & deliberatè facta, atq; cum notabili irreuerentia Dei.

Hic notandum est; Discrimen inter hæresim & blasphemiam, quòd hæresis consistit in credendo: blasphemia verò etiam hæreticalis, in dicendo tantum verbo, aut mente.

4. Voti natura inprimis est penetranda. Tria ad votum ex necessitate requiruntur: Deliberatio, propositum, & promissio D. Th: 2. 2 q. 88. a. 1.

Non itaq; solum propositum faciendi aliquid, constituit votum: neq; credendum est, qualemcunq; promissionem sufficere ad votum, (si enim dixeris amico: promitto tibi, &c. promissio hæc non erit votum) sed promissio, quæ fit Deo explicitè vel implicitè (vt cùm fit Sanctis vel Prælatis) facit votum.

Deinde Res promissa non debet esse vana, aut indifferens, sed Deo accepta, & ad salutem necessaria: ac proinde de actu virtutis, & quod sit maius bonum, quàm illius oppositum, D. Thom:

Item sciendum est; quod votum ita factum non implere, aut absq; causa rationabili in longum differre, peccatum mortale est, & obligatio implendi durat.

5. *In tertio præcepto,* festorum obseruatio sancitur. Hæc autem in duobus consistit: in Missæ auditione, & à seruili opere cessatione.

Et quidem nomine auditionis, intelligitur, interesse Missæ, animo vacandi Deo. Per opera vero servilia, intelliguntur mechanica: vt arare, fodere, suere, &c.

Qui itaq; die festo Missam prætermisit: aut laborauit, vel laborari iussit aut permisit per tempus notabile: peccauit mortaliter.

6. *In quarto præcepto,* honor parentū præcipitur. Hic autem honor in tribus consistit. In corde: vt diligantur, & non odio habeantur, neq; eis mors, vel aliquod malum optetur. In ore: vt reuerenter ac modestè cum eis, in loquendo, procedatur, & non acerbè, aut duriusculè. In opere: vt casu necessitatis eis subueniatur.

7. *In quinto,* homicidium prohibetur. Mutilatio autem, vulneratio, & percussio, huc reducuntur.

Expedit autem scire discrimen inter homicidium voluntarium in se: hoc est, directè intentum, (quòd est, quando aliquid ideò facio, vt occidam) Et homicidium voluntarium in causa: vt cùm aliquid aliud faciens, interficio aliquem, etiam ob prætermissam diligentiam, vt deijciens tegulas ex tecto, & non præmonens transeuntes, neque aspiciens, an aliquis transeat, si occidat, erit homicida, non tanquam directè intendens, sed tanquam culpabiliter negligens ac proinde in causa, peccabitque mortaliter. Qui autem casu, adhibita ordinariâ diligentia occiderit, nihil peccabit: vt qui feram interficere volens, adhibito clamore, aut alia custodia, seu omni circumspectione, hominem ibi latitantem, percusserit.

Hæc distinctio plurimùm proderit, ad cognoscendum. An sit casus reseruatus, vel non: an sit irregularitas, vel non: dispensabilis per Prælatos, aut non. Similiter ad iudicandum de abortu, quomodo fuerit voluntarius, ex intentione, vel negligentia. Idem erit iudicium de suffocatione infantis detenti

tenti

tenti in eodem lecto. Quod quia periculosum est; ideò in quibusdam Dioecesibus interdicitur talis detentio, & casus reseruatur Episcopo.

8. *In sexto*, adulterium prohibetur, cogitatu, aspectu, & tactu, libidinosis, hoc est, cum concupiscentia carnali: multo verò magis ipsum adulterium actuale. Vbi si proles intercesserit, tenetur pater verus ei de alimentis prouidere, & curare ne particeps sit hæreditatis patris putati: nisi paupertas, vel periculum mortis, aut infamiæ excuset. Si tamen aliqua ratione citra tale periculum, damnum hoc resarciri posset, fieri debet, vt donando aliquid, clam vel palam, augendo hæreditatem, &c.

9. *In septimo*, furtum vetatur, tam occultum quàm manifestum, quod rapina dicitur; cum obligatione restituendi domino, aut hæredi. Huc reducuntur. Damnum notabile inferentes: ab assecutione alicuius boni quempiam impedientes; si habuit aliquod ius ad illud, saltim imperfectum, vt per promissionem, electionem: Iusta tributa & vectigalia defraudantes: Indignos ad aliquod munus promouentes, cum damno aliquo temporalium. Legata pia detinentes, aut reddi impedientes, (cum ipsa quàm citissimè reddi debeant.) Furto ablata ementes, acceptantes, qui tenentur restituere, etiam non restituto sibi pretio. Inuenta non restituentes aut pretium inuentionis exigentes: quamuis vltrò datũ, quid modicum accipere possint.

* *Circa defraudantes vectigalia uide p. 8. Elem. ad S. Conf. §. Septimum præceptum.*

10. *In octauo*, falsum testimonium interdicitur. Hoc potest esse in iudicio, & extra iudicium.

In iudicio quidem, quando testis falsum vel dubium asserit pro vero, aut non fatetur verum: aut per amphibologiam, seu ambiguum sermonem respondet, semper est peccatum mortale: tum quia testes non admittuntur, nisi iurati, vel præmisso præcepto formali: tum quia est contra iustitiam, quæ adimitur proximo; vnde ipsum pati damnum necesse est.

Extra iudicium, dicitur mendacium, quod est verbum falsum, cum intentione fallendi: *ex D. Aug. relato, 2, 2. q. 2. C. Beatus.*

Porro triplex est mendacium. Perniciosum, quod alicui nocet, aut quod est contra honorem Dei (vt, prædicare falsa) vel cum damno proximi notabili: & tale semper est peccatum mortale. Officiosum, quod nulli nocet, imò cedit in quandam vtilitatem propriam, vel alterius. Iocosum, quod causâ ioci vel oblectationis suæ, vel alienæ dicitur. Quæ duo mendacia venialia sunt. Eò enim quod ad aliquod bonum, siue delectabile, siue vtile, vel alicuius mali auersionem, absq; alicuius iniuria ordinantur, non magnam inordinationem habent. *Less.*

11. *In nono præcepto*, prohibetur cõcupiscentia vxoris alienæ, ad concubitum, & alios actus venereos, seu libidinosos: quæ si est deliberata, proculdubio est peccatum mortale.

12. *In decimo*, vetatur concupiscẽtia rei alienæ ad possessionem. Hæc si fiat contra iustitiam, & cum damno notabili proximi, est mortalis. Hinc alterius famulum allicere, absq; vrgenti necessitate. & cum magno alterius damno, est mortale.

Pos.

Possent huc multa peccata ad singula præcepta reduci & dilucidari, sed ad vitandam paragraphorum prolixitatem, & confusionem, seorsim ponentur, & explicabuntur.

§. III. De Peccatis contra præcepta Ecclesiæ.

1. Principalia & antiquissima præcepta Ecclesiæ, sunt quinque.

De Missa audienda die festo.
De ieiunando certis diebus.
De solvendis decimis.
De confitendo semel in anno.
De communicando in Paschate.

2. Præceptis Ecclesiæ tenentur omnes cuiuscunq; ætatis, sexus, aut conditionis, quamprimùm ad vsum rationis pervenerint, quod communiter septennio completo accidere solet. Excipitur tamen lex de communione, & de ieiunio in parte ; vt infra dicetur.

Nihilominus pueri ob transgressionem præceptorum Ecclesiæ, non incurrerent pœnas Ecclesiasticas, latas aut ferendas in transgressores; vt est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ, & aliæ censuræ, donec ita perfectum assequantur vsum rationis, vt ad communionem obligentur. *Sanch: de præc: lib: 1. C. 12. n. 7.*

* *P. Gobat tr. 4. Theol. Experimentalis n. 118. docet ex Ancharano & S. Antonino : perfectus vsus rationis necessarius ad peccandum mortaliter non inest plerisque ante annum octauum.*

Incurrerent tamen pueri etiam septennales doli capaces, ob percussionem Clerici, essentq; irregulares, si occidant, & comprehenderentur interdicto lato in populum.

Doli autem capaces vocantur illi, qui post septennium non sunt stupidi, aut nimium hebetes, sed potiùs sagaces.

3. *Porrò Missa* integra audienda est, ita vt non omittatur eius notabilis pars. Notabilis autem omitteretur, si ad eam audiendam post Epistolam accederetur. Neque satisfaceret, qui suppleret omissa per se recitando, aut legentem audiendo. *S. Anton: Syl: Azor.*

4. Satis autem est vnam audire, etiam die Nativitatis Domini, (sicut & semel celebrare) & quidem in quocunque loco.

5. Hæc autem vna & tota Missa, debet ab vno eodemq; Sacrificante audiri, & non à pluribus per partes, nisi propter aliquam rationabilem causam, aliquis à dimidia Missa recedens, reuertatur ad reliquam dimidiam alterius Sacerdotis. Simul tamen vtramque dimidiam audiens, (videlicet sub vno, vsq; ad Offertorium, & sub alio infra idem tempus Missam prosequente, ab Offertorio vsque ad finem) non satisfaceret.

6 Nomen verò audiendi non ita propriè sumitur, vt idem significet, quòd aure corporis percipere, alioquin surdus non satisfaceret, neq; sanus, si Sacerdos submissè dicat : imò etiamsi sublata voce, in magna populi frequentia: nam tunc valdè distantes non audirent. Vnde omnes Doctores passim docent, neminem ex præcepto teneri sic audire, & minùs intelligere verba Sacerdotis. *Nauar: C. 21. n. 8. Caiet: Sum: & alij.*

Sumitur itaq; hîc auditio moraliter; quòd scilicet, se gerat instar audientis, decenter, piè, ac religiosè intersit, surgend o,

gendo, genua flectendo, cruce se signãdo, &c. Et exoptando; vt Sacerdos pro omnibus orans, exaudiatur: aut cogitando de Deo, cui Sacrificium offertur: vel Dei beneficijs quæ per Sacrificium conferuntur: nec impedimentum aliquod tali deuotioni repugnans, præstetur, colloquendo, pingendo, scribendo, dormiendo, mentem à Missa ad alia deuotioni non accomodata, notabiliter distrahendo, &c.

7. Admonent Doctores, ne Missam audientes suis priuatis orationibus, sibilo, suspirijs, clamore, & sono impediant: aut Sacerdotis deuotionem, aut aliorum meliorem orationem; vt S. Bonau: ait, Ne autem hoc temerè docere videar, aliquos ex Doctoribus id docentibus in medium proferam. *Nau: de Orat: & hor. Can: Cap: 16. n. 2. sic ait:* Vitare debemus casus, non solùm nosmetipsos, sed etiam proximos impedientes. Vnde adducit testimonium *Ioan: Cass:* de Monachis Ægyptiacis; qui cum essent innumeræ multitudinis, quando ad orationem conueniebant, tamen silentium eorum tantum erat, vt præter canentes, nullus adesse videretur: non sputum emittebatur; non tussis intersonabat; non oscitatio somnolenta diffusis labijs & hiantibus trahebatur, nulli gemitus, nulla suspiria adstantes impeditura promebantur.

Illum verò qui cum clamore supplicat, dupliciter peccare pronunciabant. 1. quòd orationem negligenter offerat Deo. 2. quòd indisciplinato strepitu, alterius quoque, qui forsan ardentiùs orare potuit, intercepit sensum.

Idem, sed breuiùs docet, *Lud: à Pont: Tom: 4. de perf: tract: 2.* Qui, inquit, Missæ intersunt, debent orare mẽte, aut voce, ita tamen: vt, si voce, orent, id faciant submissè, ne Sacerdotem ipsum, aut quos propè se habent, impediant. Nam (vt S. Bonaut ait) minùs cauta & imprudens est oratio, quæ cùm sit vna, multas impedit: & cùm sit ipsa tepida, feruentes retardat. Vnde orans (docente *D. Th. 2. 2. q. 83. a. 12. ad 3m.*) nihil novum facere debet quod aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus expandendo.

Prosequitur *Nauar.* Peccant ij, qui saltim tempore diuini officij, deferunt ad Ecclesias canes, accipitres, & infantes, qui plorant, vel vociferantur: & fatuos, qui tumultus excitant: quoniam sunt causa suæ vel alienæ distractionis. Quod etiam monuit Statutum Ecclesiæ Gallicanum, & Conc: Lugd. *Idem censet de mendicantibus in ipsa Ecclesia.*

Præstat itaq; sub tempus Missæ cogitare, illam esse repræsentationem vltimæ Cœnæ, Passionis, & mortis Christi. Deinde desiderare, vt exaudiatur Sacerdos pro omnibus orans, & sacrificans. Tertiò, attendere ad ea, quæ Sacerdos dicit & facit: surgere, stare, genua flectere, cum alijs, pro occasione, licet aliquando non audiantur, neque intelligantur verba, offerendo tamen ea Deo, secundùm sensum, quẽ in Ecclesia literati intelligunt. Quartò, habere animum seruiendi Deo, aut præcepto Ecclesiæ satisfaciendi. Quintò, possent infra idem tempus adhiberi meditationes variæ; de quibus alibi.

8. Quoad alia officia diuina, Vesperas, Conciones, &c. nullum præceptum extat Ecclesiæ, quod interesse ipsis mandet, quamuis monitio

eius non desit, & utilitas magna alliciat.

9. Ab hoc præcepto excipiuntur aliqui. Inprimis, qui sunt impediti graui ac iusto negotio, quod in aliud tempus differri non potest: quales sunt publici ministri, qui ratione sui officij, non possunt deserere suas vigilias, custodias, domos, castra, portas murorum. Deinde, infirmis inseruientes, quos sine periculo relinquere non possunt. Matres quoq; & nutrices, quæ parvulos tutò domi relinquere non possunt. Adhæc, propter pestis periculum: similiter propter magnam distantiam cum àëris intemperie; vt, pluuia diuturna & magna, niue, turbine, &c. Præterea, valetudinarij, quibus surgere & egredi noceret, ac proinde consilio medici, commodè id facere nequeunt. Adhæc famuli, qui iussu domini coguntur aliquid magni momenti facere. Quòd si sint leuia quæ præcipiuntur, domini quidem peccant, eò quod salutem eorum negligũt, serui tamen, tunc tantùm excusantur, quando obtemperant ad euadendum rixas, vel obiurgationes duras.

Excusantur quoq; pastores ab hoc præcepto, qui socijs carent; cum quibus ita negotium diuiderent, vt vno redeunte alter iret.

Possent etiam alia ratione excusari, si sint adeò rudes (vtpotè, inter pecora enutriti, ac semper versati) vt tale ius, quod alioquin omnibus Christianis debet esse notissimum, bona fide ignorent. Qui adeò pauper est, vt non habeat vestes, aut commodè pro conditione, domo egredi non audeat, excusatur.

Viduæ item, quæ propter obitum mariti, ex consuetudine ad certum tempus, domi exire non solent, modo ad alia non egrediantur: Sicut & alibi puellæ nubiles, per nullam occasionem è domo prodeuntes, eodem modo excusantur, & qui, vel quæ pro earum custodia remanent.

10. Qui infra Missam confitentur, vt præcepto Ecclesiæ satisfaciant, non valentes commodè in aliud tempus debitam confessionem differre, excusantur. Secus de his, qui ex deuotione id facerent; vel alio tempore id facere possent.

* *Aliqui absolutè docent. Qui infra Missam confitetur, satisfacit præcepto Ecclesiæ de audienda Missa. Modò habeat intentionem audiendi.*

§. *Secundum Præceptum de Ieiunio.*

1. Ieiunium duplex inuenitur: Perfectum, ac imperfectum. Imperfectũ, vbi vel sola abstinentia à carnalibus obseruatur, lacticiniorum autem vsus cõceditur, siue semel. (vt in Italia in quibusdam Vigilijs extra Quadragesimam) siue bis, (vt in Polonia Feria 4. & Sabbato) Vel etiam lacticinia subtrahuntur, sed bina refectio permittitur; vt in Dominicis Quadragesimæ.

Perfectum verò, ac plenum ieiunium, tria requirit; abstinentiam non solùm à carnibus, sed etiam originem ab eis habentibus; vt sunt oua, lac, butyrum. Vnicam comestionem. Et horam meridianam, vel circa.

2 Mortale peccatum est absq; legitima causa ieiunium statutum frangere, etiam citra ullum scandalum, ac contemptum.

3. Sex sunt, quæ non ieiunantes à peccato excusant: Ætas, infirmitas, officium, labor, necessitas, paupertas, charitas, & facultas.

4. Ætas quidem; nam pueri ante septennium, licitè vesci possunt cibis vetitis omnibus. Post septennium verò minimè: nihilominùs verò ad vnicam comestionem non adstringuntur, vsq; ad vigesimum primum annum completum: quia indigent frequenti cibo, & non multo simul sumpto, propter augmentum commodiùs perficiendum. D. Th. Et tamen debent assuescere ieiunare, plus, aut minus, pro maiori vel minori eorum ætate, & complexionis qualitate, quamuis absq; obligatione. *D. Th. 2. 2. q 147. a. 4.*

Ætas quoq; senilis à ieiunio eximit: nam senes non possunt alimentum pro ieiunio sufficiens digerere ac tolerare, sed potiùs propter debilitatem, frequenti modicoque alimento indigent. *Caiet. 2. 2.*

Senectus autem secundùm communem opinionem in 70. anno obuenire solet; quem qui excedit semper fere non solùm imbecilli corpore & viribus esse solet, sed valetitudinem habere incommodam. Verùm sciendū est, quod hæc ætas secundùm aliquos ex se sola non excipit, si non adsit aliqua senilis ætatis imbecillitas. Hinc senes robusti corporis, & bonæ complexionis, ieiunium seruare debent. *Azor.*

* *Probabile est post annum sexagesimum non obligare præceptum ieiunii.*

5. Ægritudo & mala valetudo, seu continua debilitas excusat. Vnde qui dolores capitis, vel stomachi, aut oculorum vertiginem patiuntur, sunt excepti. Quod si dubium sit de infirmitate, an tanta sit, quæ à ieiunando excipiat, medicus consulatur, aut ad superiorem recurratur, vt dicetur.

6. Officium debitum idem facit, quod est quadruplex: Coniugum, si aliter quis non posset reddere coniugale debitum, nisi corroboratus alterà refectione. Prægnantis, & nutrientis, seu lactantis. Siquidem hæ indigent cibo pro se, & fœtu, vel infante: nisi sint adeo robustæ, quod cum ieiunio possent facere satis huic officio. Communiter tamen mulieres non sunt tam validæ complexionis: vnde ratione nocumenti peccarent ieiunantes. *Caiet.* Neque semper requiritur licentia. vt paulò post dicetur. Quartum officium est actu docentium, Concionatorum & Lectorum, atque Cantorum, non quòd hæc officia eis dent libertatem ieiunandi, & non ieiunandi: sed quòd si non possunt suum vtile munus commodè exercere, seruando ieiunium, eo tempore duntaxat, dum illud obeunt; licitè bis refici possunt, & non ordinariè: idque quantum sufficit ad resumendum vires, & auertendum indispositiones.

7. Labor quoque grauis, à ieiunio excipit. Talis autem est fabrorum, tam ferrariorum, quàm lignariorum, cultorum agri, sculptorum, sutorum, figulorum, argentariorum, aurificum, textorum, pellionum, fullonum, lanionum, cæmentariorum, muratorū, pistorum, & qui furnariam artem exercent. Non autem sartorum, pictorum, barbitonsorum. Et multominus scriptorum, notariorum, aduocatorum, scholasticorum, *Vide Azor. t. 1. lib. 7. Cap. 17.*

Cursores equestres, videant, an ci-

tra incommodum possint seruare suum ieiunium. Porro iter pedibus agentes, an sponte vel necessitate suscipiant iter, ita vt in alium diem commodè differre non possint, considerent: si enim iter prorogari non possit, atq; ob prolixitatem sensibiliter debilitet, profectò bis refici possunt. Perpendant hoc benè, qui curru aut equo vehuntur, & quidem cum omni commoditate, interdum autem solius recreationis causa; & iudicent, an legitimam causam habeant soluendi ieiunium. Reuera enim non habent, si iter necessarium sit, prolixum, vel incitatum, seu vehemens, quod non compatiatur ieiunium: si conferatur cum complexione itinerantis.

8. Necessitas verò est, quando die ieiunij alius cibus, præter carnes, non suppetit, & absque cibo citra periculũ aliquod, vel commodè illum diem transigere non esset tutum: tunc enim ieiunium non ligat. Neq; enim vult Ecclesia, vt quis, propter suum præceptum, tale discrimen incurrat. Similiter, qui apud Hæreticos aut infideles se proderent Catholicos aut Christianos, cum periculo carceris, tormentorum, mortis, amissionis bonorum: cùm non teneantur tunc; non ligantur ieiunio cum tanto periculo, dummodo absit scandalum, & in hac obligatione cibi vetiti non sit exploratio religionis authoritate publica.

9. Paupertas non omnium, sed eorum, qui ostiatim victum quærentes, vna portione satiari non possunt. His enim licet protrahere suam refectionem, donec saturentur. Vel etiam similium pauperum, hoc est, qui non possunt habere simul, quod eis ad victum sufficiat. *D. Thom. 2. 2. q. 147. a. 4. ad 4m.*

10. Charitas aut pietas, interdũ causam iustam soluendi ieiunium præbet, non tamen regulariter. Vt puta, si quis bona fide, nec in fraudem bis reficeretur cum infirmo, qui non aliter cibum sumeret, nisi alter simul ederet. *Azor: t. 1 lib: 7 c. 18.* Hospitalitas rarissimè excusaret, nisi peregrinus diuertens valde esset lassus, & corporis refectione valde indigens, neque bis se reficere auderet, nisi ipse hospes idem faceret.

Hûc quoque possunt reduci Confessarij, assiduè pœnitentium confessiones audientes, Lectores, & Concionatores, quotidie legentes aut prædicantes, nequeuntes commodè officium suum facere, & simul ieiunare.

Ad charitatem quoq; pertinet, ieiunium non obseruare, ad vitandum domesticam discordiam, vt si vir alicuius vxoris esset durus, seuerus imperiosus, aut etiam hæreticus, permittens tamen eam Catholicè viuere; talis, inquam, vir si resciuerit vxorem ieiunantem, indignaretur, malè tractaret, rixas excitaret, odium contraheret, alienaretur ab ea: hæreticus autem non faceret hoc ex contemptu & iniuria Catholicismi, sed quia asserit ieiunia esse cum detrimento, & incommodo suo & familiæ; tunc vxor vt vitet talem perturbationem, debet abstinere à ieiunio.

11. Facultas quoq; à Superiore impetrata, liberat à ieiunio. Vbi sciendũ, quod à ieiunio Ecclesiæ solus Papa eximere potest, etiamsi nulla existat iusta causa.

Quan-

Quando autem causa est certa & euidens, licitè potest quilibet ieiunium præterire, præsertim consuetudine interueniente, vel in difficili recursu ad Superiorem. *D. Thom.*

Euidens causa censetur, quæ à medico vel aliquo prudenti viro talis iudicatur, quamuis ieiunanti dubia videatur. Tales sunt prægnantes, lactantes, & notabiliter debiles.

Quòd si fuerit causa dubia & incerta, potest Episcopus de iure dispensare; Parochus autem ex consuetudine. Quia solet in tali euentu recursus fieri ad Parochum, quamuis præsens sit Episcopus, & ad eum facilis pateat aditus. *Azor t. 1 lib. 7. C. 18.*

Eadem ratione possunt Prælati Religionum, aut locorum Superiores & in absentia eorum vices gerentes, dispensare alios, imò & seipsos (ne alijs deterioris conditionis sint) tam in qualitate ciborum, quam in numero refectionum. Vnde *Caiet. in 2 2* addit.

Minùs ergo sapiunt Prælati, qui petentes subditos in causa dubia, dispensationem cœnandi, in Ecclesiæ ieiunijs; aut præueniendi horam, remittunt ad suam conscientiam. Debent enim cōpati infirmis, & ad cautelam ieiunium commutare, in septem Psalmos, vel aliquid huiusmodi. Nam qui hoc bona fide facit, nulli periculo se exponit, siquidem potestate sua vtitur. *Idem Azor Graff*

Refertur in Comp. Priuil. Ord. Mēdicant. V. Ieiunium, quòd (concedente Eugenio 4) licentiam, quam dat Prior, vel in eius absentia Vicarius, alijs Fratribus; possit etiam Priori ac Vicario concedere eorum Confessor.

12. Cui datur facultas comedendi procreata ex carnibus, puta oua, & lact vel præueniendi horam consuetam, non potest vesci carnibus; sed debet esse contentus eo, quòd conceditur tantùm, in reliquis autem debet ieiunium obseruare: quia talis non in totum liber censetur à lege ieiunij. Cui verò permittitur vesci carnibus, videtur esse solutus in totum, ita vt & pluries comedere possit, & meridiem præuenire. Habens quoq; licentiam comedendi oua, tutò potest vti caseo, lacte, & butyro, imò & piscibus simul. *Azor.*

Qui tamen haberet facultatem vtendi butyro pro condimento, propterea quòd non possit vti aliquo oleo, non statim potest vesci ovis, & alijs: sed intentio concedentis exploranda esset, aut forma concessionis.

13. Tempus comedendi die ieiunij, est hora meridiana, vel paulò ante. Nam qui longè ante meridiem absq; legitima causa reficeretur mortaliter peccaret: vt puta per duas horas, aut etiam fortè per sesquialteram. & tamē tenebitur abstinere à secunda refectione: quod si denuo comederet, iterum peccaret. Quamuis, qui tertio & quarto, die ieiunij comedit, non ampliùs transgrediatur legem ieiunij, in secunda comestione finaliter violatam.

* *Probabilis Sententia Toleti. & aliorum. Qui sine necessitate, die ieiunii, horam prandii anteuertit, non peccat mortaliter. L. 1. Sent. M. d. 19.*

Porrò iusta causa præueniendi horam debitam, est iter necessarium, aduentus hospitum expectare non valentium, negotium imminens lectionis aut doctrinæ

14. Paterfamilias tenetur ministrare familiæ alimenta commoda, conuenien-

nientiaq; tempore ieiunij, ita ut ſuſtentari & ſufferre ieiunium poſſint: Non tamen obligatur familiam per vim compellere ad ieiunandum ſed ſufficit charitatiuè monere & curare, vt ieiunet. Quod ſi aliqui tranſgrediantur, non turbetur: præſertim, ſi hinc ei immineret magnum incommodum: vt puta, quia nullum famulum ſibi neceſſarium inuenire poſſet, ſi tempore ieiunij non propinaret cœnam, vel ſi ipſi grauius eſſent offenſuri Deum, murmurando, conuitiando, maledicendo, cœnâ negatâ.

15. Famulus tempore ieiunij, parans domino ſuo cœnam, menſam inſtruens, ac miniſtrans, non peccat, quia hic officium ſuum præſtat. Idem de ancilla Domini hæretici, coquente carnes die ieiunij: quia hoc non poteſt abſque notabili ſuo incommodo detrectare.

16. Diebus ieiuniorum exponere cibos vetitos ad emendum, illicitum eſt, propter multorum occaſiones peccatorum. Priuatim verò ac occultè vendere propter indigentes liceret, ſi non animaduerteretur, emptorem abuſurum. Fundamentum peccati mortalis eſt, Quia qui ieiunare tenentur, haberent occaſionem tranſgrediendi, quod venditor nihil curare videretur.

17. Inuitans ad cœnandum, etiam vrbanitatis, amicitiæ cauſa, alias ieiunaturum; peccat mortaliter, ſi inuitatus cœnat, niſi inuitans credat inuitatum non conſenſurum, aut ſi conſenſerit, exiſtimet, non eſſe obligatum ad ieiunandum, vel ſaltim dubitet.

Quod ſi inuitatus paratus erat ad cœnandum, nihilominùs inuitans peccat, quia inducit eum ad exequendum ſuum malum propoſitum: niſi ei conſtaret, inuitatum decreuiſſe cum alio, vel alibi cœnare. Vnde non peccant cauponarij inuitantes viatores, vt domi ſuæ potiùs quàm alibi cœnent. Ex hoc tamen non deducas, propinantes potum ad ebrietatem, non peccare; eo quod potatores decreuerunt alibi inebriari: quia ebrietas eſt contra ius naturale; ſolutio vero ieiunij contra legem poſitiuam, ac proinde minoris vinculi.

18. Viatores non habentes domicilium, horreum, tabernam, officinam, vel quamcunq; poſſeſſionem alicubi, neq; moram ibi facientes, ſed tranſeuntes, aut confeſtim tanquam itinerantes diſceſſuri, non tenentur quidem lege ieiunij loci illius, nihilominùs ad vitandum ſcandalum, debent ſe conformare in cibo habitatoribus illius loci, quamuis in ſecreto licitè non ieiunarent. In fauorabilibus tamen, tales peregrini poterunt ſe conformare, & vti conſuetudine, comedendo carnes, quamuis in patria ieiunetur.

19. Aduenienti hæretico, tempore ieiunij, nullatenùs licet Catholico propinare cibos vetitos, aut cœnam apponere, quamuis ſi id exigit, nec fieri poteſt aliter abſq; notabili incommodo hoſpitis Catholici, liceret. Eſſet autem notabile incommodum, ſi propter hoc murmurationes & maledictiones ſequerentur, & traduceretur perſona excellens, tanquam tenax, inhumana, &c. Tunc autem conſultũ erit apponere carnes & piſces quemq; ſuæ conſcientiæ relinquendo.

Quòd ſi non exigit, ſed contentus erit qualicunq; alimento; neq; incõmoda ſperantur, aut non adeo magna

non est hæretico condescendendum. Et multò minùs hoc liceret, propter minorem sumptum, qui fit in cibo carnium. *Lege Lessium de Iust. lib. 4. c. 4. d. 4.*

20. Tabernarij specialiter, & alij vendentes, aut ministrantes cibos in die ieiunij, ad ientaculum matutinū, aut pomeridianum, cœnamue, facilè excusari possunt à peccato: tum quia non tenentur discutere, an causa adsit non ieiunandi, neq; id commodè possunt: tum quia possunt præsumere de proximo benè; tum quia absque suo damno id facere nequeunt, omittendo vendere suas res, & viatores à se auertendo; tum quia tabernarij sunt paruæ conditionis, aduenientes plerunq; effrenatæ linguæ, & ita iniurijs & cōtumelijs afficerentur; ac proinde sine damno, & incommodo non possent ista denegare; & ideò excusantur, tanquam deseruientes naturæ, non vitio. *Vide Sanch. l. 1. Op. Mor. c. 7. n. 34.*

21. De vespertina refectiuncula (quæ collatio dici solet) dicendum est aliquid. Hæc itaq; tali ordine & occasione est introducta. Olim quando ieiunantes, omisso prandio, cœnabant ad nonam, (hoc est tribus horis post meridiem) nullam habebant occasionem sumendi iterum comestiunculam aliquam. Postquam verò tempus cœnæ mutatum est, & à nona ad sextam, hoc est, ad meridiem retroactum, exorta est occasio collationum, nimirum propter somnum capiendum. Nam aliqui, vt dormire possent, potu indigebant; potus autem, præsertim vini, sine cibo sumptus, obest stomacho, propterea adiungebatur potui modicus cibus, non propter nutritionem, sed propter medicinam, ne potus noceret. Vnde excusabantur tunc ieiunantes, à fractione ieiunij, tum ratione paruitatis, tum præassertæ necessitatis; scilicet, ad medendum naturæ. Tandem consuetudine receptum est, vt etiam seclusa tali indigentia, collatio sumeretur: neque in hoc scrupulus aliquis esse potest. Nam manifestè videmus in ieiunijs, magnam vim habere consuetudinem, cuius vi ieiunia antiqua sunt sublata: aliqua ex toto; vt ieiunium Quinquagesimæ, quoad Clericos: aliqua ex parte; vt quædam ieiunia, quoad abstinentiam vini. Lex humana nisi vsu recipiatur, nullam vim & authoritatem acquirit. Et rursus, ita consuetudine abrogatur, vt vim acquisitam amittat.

22. Materia verò collationis tunc, soli fructus erant. Verùm cùm & isti soli sumentibus nocerent, adhiberi cœpit modicum panis. Nūnc autem sumat quilibet, quod vult, nihil refert: dummodò paruitas apud pios recepta non excedatur, & comedatur id, quod non ad nutriendum potius valet; vt valent legumina, & pisces (quāuis etiam hæc in modica quantitate non obstarent ieiunio,) ne collatio in cœnam transeat.

23. Hæc autem quantitas non est taxata, sed arbitrio bonæ conscientiæ relicta attentis circumstantijs, locorum temporum, personarum, occupationum. Communiter autem quibusdam, conceduntur tres vel quatuor vnciæ panis.

Quòdsi adhibeantur alia: vt nux, pomum, pyrum, exigua pars piscis; ista simul collecta, non debent excede-

re præ-

re præfatam quantitatem. Hinc etiam iusculum accipi poteſt ſeruatâ paruitate. *Azor.* Qui excuſat inſignes ac delicatos nobiles, ſi paulò maiori refectiuncula veſperi vtantur, ſtante tali conſuetudine, ſi eſt; & quia tales ſolent eſſe debilioris valetudinis, aſſueti delicatioribus & pluribus epulis. Tamen & hi benè conſiderent, ne fallantur, & hac doctrina abutantur. Nō enim conceditur eis niſi parum quid, comparatione tamen ad ſuam complexionem.

24. Hanc veſpertinam refectiunculam transferre in tempus prandij, dilato prandio in tempus nocturnum, cum iuſta cauſa ſubeſt, vt eſt negotiorum multitudo ac magnitudo, & Superioris facultas accedit, licet: nulla autē ſubſiſtente cauſa, non licet; vt *Caiet:* probabiliùs & veriùs docet. *Azor t. 8.*

§ *De Decimis.*

1. Decimas fideliter ſoluere, ſecundùm conſuetudinèm legitimam, non vi extortam, obligantur qui agros poſſident, ſub mortali eoq; ſacrilego peccato: neq; abſolui poſſunt niſi reſtituant. Additum eſt autem ſecundum legitimam conſuetudinem; quia alicubi non eſt conſuetum ſoluere decimam, quoad quotam; vt in Italia, Græcia. *Azor t. 1. lib: 7. c. 26.* & in aliquibus partibus Poloniæ: quamuis ſoluatur quoad ſubſtantiam; hoc eſt, congruam ſuſtentationem Sacerdotis. Nam datur certa pars fructuum, aut taxatur deputaturque certa ſumma ſufficiens, ad miniſtros Eccleſiæ alendos ac ſuſtentandos, & ad ſoluendum operarijs Eccleſiaſticis debitum ſtipendium. *Omnia hæc in ſequentibus meliùs dilucidabuntur.*

2. Decima, conſtituta eſt ob multas cauſas. 1. Ad recognoſcendum & profitendum, Deum eſſe ſupremum Dominum omnium rerum, cui propterea iſta offerimus. 2. Vt miniſtri Eccleſiæ commodè alantur, ſeu ſtipendium eis debitum reddatur ob Eccleſiaſticum miniſterium. 3. Vt ex his, quæ eis ſuperſunt, fabrica Eccleſiæ, aut reparatio, vel etiam alia neceſſaria fieri poſſint. 4. Vt peregrini, aduenæ, pauperes, & quomodocunq; egentes, ſubſidium habeant. Non deſunt & aliæ cauſæ, ſed hæ ſunt celebriores.

3. Nec tantùm Catholici tenentur ſoluere decimas, verùm & Hæretici, imò & Iudæi, atq; Pagani, ſi prædia decimis affecta, quomodocunque poſſideant. Quia res cum onere ſuo in quemcunq; poſſeſſorem tranſmittitur. Nec tantùm dominus agri, verùmetiam & conductor.

4. Si dominus conditionē rei mutet, ita vt ex agro faciat vineam, pomarium, domos, &c. aut viceverſa ex vinea, domoué, agros; ad decimam nihilominùs ſoluendam obligatur, quæ ante ſolui ſolebat, imò aliquando ad maiorem, ſi nunc vberiores fructus res mutata profert, quamvis ante minores aut nullos faceret: atque adeò ex domo quoq; conſtructa in area ſic obligata, quando locaretur, decima ſolui debet. *Azor. t. 1. lib: 7. c. 24*

5. Quando detentor decimarum vendit alteri agrum, certiſſimum eſt poſſe emptorem conueniri, vt ſoluat omnes decimas detentas, cùm res (vt dictum eſt) cum ſuo onere tranſeat ad emptorem; & res, non perſona, ſit obligata. Aſſerunt tamen aliqui, vtrumq; poſſe conueniri, tam emptorem ſ. quā venditorem.

6. Deci-

6. Decima soluenda est ex omnibus terræ fructibus, (quamuis alicubi ex minutis non soluatur, vt ex herbis, oleribus, leguminibus: sicut & personalis, quæ est ex lucrifactis per industriam, & artificio, in desuetudinē abijt.) Eodem modo decimæ ex molendinis, apibus, aucupio, piscatione, ex animalibus, magna ex parte cessarunt. Itaque consuetudo vbiq; seruanda, quando vsu ipso legitimè præscribente est recepta, & pacificè absq; Parochorum querela obseruata seu continuata.

7. Hæc decima, prædialis dicta, debetur Parocho, in cuius parochia illud prædium est situm, etiamsi dominus prædij, alibi audiat diuina, & in alia parochia Sacramenta percipiat: quamuis aliquando ob donationem, vel dispositionem Episcopi, aut Summi Pontificis, ius decimarum à Parochis ad alios transferatur.

8. A solutione decimæ, non excusat opulentia Parochi, neq; eius improbitas, vel malus vsus. Quia non ratione personæ datur, sed ratione diuini ministerij, & officij Ecclesiastici, quod præstat Parochus.

9. Possunt decimæ laico locari & vendi, authoritate & facultate Episcopi expressa, vel tacita, iusta de causa, & ad breue tempus: vt ad triennium. Requiritur tamen, vt contractum facientes, sciant rerum pretia, & omninò liberè contrahant, absque fraudis & coactionis admixtione. *Lessius lib: 2. c. 21. d. 4. 37.*

Hinc in periculo versantur illi, qui à Clericis extorquent decimarum venditionem, ita ut ipsi coacti importunitate, vel authoritate, aut etiam minis vendant. Et multò magis, si celant quantitatem terræ fructuum, ita quod emens scit quid emat, sed vendens nescit quid vendit: cum vterq; scire debeat valorem, seu iustum pretium rei. Vnde emens decipit Clericum, non integram soluens decimam: & seipsum; quia peccat mortaliter, & semper restituere tenetur, nisi tacita donatio interueniat. Sincerè itaq; procedendum est, cùm & coram Deo, hoc modo; Parochianus dicat verè numerum manipulorum, &c. vt Parochus possit intelligere, quid vendat, & pretium iustū arbitrari. Et si ante messem fiat venditio, dicat quantitatem fructuum in confuso: hoc est, enumerando plures annos à decem annis: quòd tali anno talis fructus fuit, altero tantus; & sic deinceps.

10. Remissio decimæ facta ab eo cui debetur, sufficit, vt quis tam à peccato, quàm à pœna iuris, sit liber. *Azor & Less.* Nam qui habet proprium ius decimarum, potest alteri donare, elocare, & vendere *Vide etiam Sylu:* V. Decimæ, q. 5. Et *Graff: part. 2. lib: 2. C. 27. n. 18.*

11. Multis modis decimarum solutio tolli potest: Consuetudine, præscriptione, compensatione, transactione, exemptione, seu priuilegio.

12. Nam vbi consuetudo viget, est que legitimè præscripta, non debetur solutio, tametsi à Clericis petatur. Quia talis consuetudo, vim legis obtinet, dummodo aliquid Deo offeratur, ad recognoscendum supremum eius dominium in omnes res: & aliunde Clericis suppetant bona, ex quibus commodè sustententur. Vnde & illa consuetudo valida est, non deferendi decimam in horrea Clericorum, sed sol-

uendi in area, agro, domo: Debet tamen Collector, seu cui decimæ debentur, certior reddi. Est autem legitimè præscripta, quando longissimo tempore, cuius initij non extat memoria, seu (quod idem) quando tempore excedente hominum memoriam, consueuit non solui. Quamuis *Less: lib: 2. c. 59 dub: 5. n 26.* doceat, sufficere cõsuetudinem quadraginta annorum, neq; ad eam requiri titulum.

13. Eadem ferè ratio est de præscriptione: nam in hoc æqualis conditionis est cum consuetudine. Differunt autem, quod per consuetudinem acquiritur ius communitati, & non priuato alicui. per præscriptionem verò etiam priuatis ius & dominium acquiritur. Porro ad præscribendum sine titulo requiritur, vt ab immemorabili tempore, non consueueris soluere. Cũ titulo verò, scilicet donationis, pacti alicuius, &c. sufficiunt 40. anni, sed cum bona fide.

14. Inter compositionem & transactionem, hoc interest, quòd compositio propriè est gratis & liberaliter facta: Transactio verò præter hoc quod est de re dubia, & lite incerta, præfinitur aliquo dato vel retento. Interdũ tamen vnum pro alio ponitur.

Itaq; compositio, qua laicis decima, vel ex toto, vel ex parte in perpetuũ remittitur; non potest fieri sola authoritate Episcopi, sed requiritur Summi Pontificis facultas.

15. Romanus Pontifex, potest aliquos eximere à solutione decimæ; dummodò Ecclesiastici habeant aliunde, quæ ad congruam eorum sustentationem requiruntur: & dummodò aliquid Deo offeratur, in recognitionem eius supremi dominij. *Azor.*

16. De noualibus, hoc est, de terra alias inculta, nuper verò ad culturam redacta, debentur decimæ illi Ecclesiæ, in cuius Parochia sita est. Si verò non sit in certa Parochia, debentur Episcopo Diœcesano; qui potest sibi retinere, vel alteri concedere, etiam sine consensu Capituli. *Graff: p: 2. lib. 2. c. 27. n. 37.*

17. Multa bona consequuntur decimarum fidelem solutionem: pluuiæ opportunæ: benedictionis effusio vsque ad abundantiam: auersio locustarum, & aliorum corrumpentium fructus terræ sterilitatis vineæ euitatio. *Malach. 3* Addit *Glos. in 6. de Decimis, cap: 1.* corporis sanitas, fructuum vbertas, remissio peccatorum, & cœleste præmium.

Mala verò, quæ sequuntur denegationem solutionis, sunt expressa, *Malach. 3.* Quod tales configunt Deum, maledicti sunt in penuria, sterilitate, & alijs plagis. *Aug: lib: 56. hom: 48.* Maiores, inquit, nostri, ideo omnibus copijs abundabant, quia Deo decimas dabant, & Cæsari censum reddebant: Modò autem, quia discessit deuotio Dei, accessit indictio fisci. Noluimus cum Deo partiri, decimas, modò autem totum tollitur. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus.

18. Poloni decimas non soluentes, sub prætextu compositionis inter statu s futuræ, sunt in statu damnationis: tum quia in præsenti sacrilegè detinent, id quod est Ecclesiæ: tum quia omne ius decimarum, ad iudicem spectat Ecclesiasticum, & non Politicum. Neq; talis compositio attentari, aut valida esse posset, absq; authoritate Summi Põtificis, sine qua totum irritũ & inane est.

§ De

§ *De Confessione annuali.*

1. Iure quidem diuino, omnes quicunq; peruenerunt ad vsum rationis (quod plerumq; contingit ad finem septennij) & peccauerunt mortaliter, obligati sunt confiteri. præsertim tempore necessitatis: sed præcepto Ecclesiæ semel in anno. Quod præceptum consuetudine alligatur tempori, videlicet circa festum Paschatis.

2. Tenentur autem confiteri coram proprio Sacerdote, vel coram alio de eius facultate. Qui proprius Sacerdos triplex est; scilicet, Parochus in sua Parœcia; Episcopus in sua Diœcesi; & Papa in toto orbe.

3. Cæteri confessiones excipiunt ex commissione, vel privilegio Sedis Apostolicæ. Et quia ius commune permittit confiteri, coram habentibus à supradictis tribus facultatem: ideò cōfitens coram Religioso ab Ordinario approbato, satisfacit præcepto Ecclesiæ, nec requiritur ad hoc licentia Parochi, imò eo renitente & contradicente, potest suo munere fungi. *Confer: tit: 17. c. 5.* & ferè omnes.

Cauere debent Religiosi, & omnes alij, ne in Ecclesijs Parochorum, aut alienis contra earum Rectorum voluntatem excipiant confessiones: sed in hoc deferant assensum petendo, tum ciuilitatis causa, tum ad subtrahendam occasionem discordiæ, odij, fouendam charitatem, & scandalum euitandum.

4. Quamuis pueri septennio elapso, sint obligati confiteri semel in anno, tamen si non confiterentur, non propterea incurrerent pœnas Ecclesiasticas, vnde nec priuarentur sepultura vsq; ad 12. annum in fœmina, & 14. in masculo.

* *S. Antoninus relatus à P. Gobat tr. 4. Theologiæ Experimentalis n. 123. docet non esse asserendum pueros statim post septennim obligari ad confessionem faciendam.*

§ *De Communione Paschali.*

1. Paschalis communio dicebatur, quia ipso die Paschatis perficiebatur; sed postea crescente populo Christiano, hæc obligatio extensa est ad octo dies, ante & post: ita quod à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis, hæc eadem obligatio durat; ac propterea nomen etiam Paschalis communionis, toti illi tempori attribuitur.

2. Hæc Communio impleri debet in propria Parochia, secundùm ius cōmune. Ex speciali verò licentia Episcopi, aut Parochi, potest alibi.

3. Priuilegium Nic: 5. confirmatū à Sixto, & tandem à Leone X. concessum Regularibus, ministrare hoc Sacramentum omni tempore, præterquā in die Resurrectionis Domini videtur esse reuocatum, per declarationem Cōgregationis Conc: 23. Ianuar. 1586. *Vide decis: Rotæ Rom: Sess: 13. c. 9. §. in Paschate.*

Præterea eadē congregatio 29. Maii. 1601. censuit, non satisfacere præcepto Ecclesiæ, qui Sacramentum Eucharistiæ suscipit, ante & post diem Paschatis, non de manu Parochi, sed Regularium habentium à Sede Apostolica priuilegium de administrando hoc Sacramento, præterquam in die Paschatis. Hoc autem adeò verum est, vt etiam laici inseruientes in Monasterijs Regularium, debeant Eucharistiam sumere in propria Parochia. *Decis: Rot: vt supra.*

* *Gabriel à S. Vinc: Romæ sub approbatione*

tione Magistri Palatii 1668, impreßus, hæc habet. Poßunt Regulares ministrare Eucharistiam ad satisfaciendum præcepto, etiam in die Pascha vagis, advenis, & peregrinis, item seruis & domesticis, qui intra Conuentū degunt. His enim etiam viaticum, & extremam vnctionem ministrant. Et sic decisio Rotæ hic insinuata vel non est authentica, vel non in vsu. V. 2. Sent. M. d. 36.

4. Pueri quoq; hoc præcepto obligantur, non quidem tunc, quando sunt doli capaces, & confiteri tenentur; sed tunc, cùm illud piè, reuerenter, religiosè, ac deuotè suscipere possūt. Quod quamuis accidere soleat, cùm primùm perueniunt ad annum 10. vel 11. tamē in eis, non tantùm consideranda est ætas, verùmetiam industria; ingeniū, communis consuetudo, ac iudicium parentum, consanguineorum, confessariorum, ac virorum discretorum. Deinde vitanda est aliorum offensio, si valde paruulis, quamuis sagacibus, publicè conferatur.

Exploratores verò eorum, debent duo in eis considerare, scientiam & affectum; videlicet, an ipsi cognoscant, quid hoc Sacramento continetur, & discernant à profano pane. Deinde, an in affectu, ante sumptionem vehemens desiderium habeant, in usu vero aliquam suauitatem spiritualem, vel gaudium sentiant.

§. IV. *Circa Sacramenta animaduersiones.*

1. Sacramenta septem conuenientissimè sunt instituta: Quia (vt D. Tho: art. *p. 3. q. 61. a. 1.*) ordinantur ad perficiendum hominem, in his, quæ pertinent ad cultum Dei, secundùm religionem vitæ Christianæ, seu spiritualis, quæ habet conformitatem ad vitam corporalem. In vita autem corporali homo, primò nascitur. 2. Crescit & roboratur in viribus. 3. Nutritur, ne vita extinguatur. 4. Si quando ægrotet, curatur. 5: Post infirmitatem, reliquiæ morbi: videlicet, debilitas, ineptitudo, &c. auferuntur per dietam, deambulationes, recreationes, corroboratiuas confectiones, rotulas, &c. 6. Ad certam ætatem perueniens, potest esse multitudinis per generationem pater. 7. Quoniam multitudo ordinata esse debet, indiget rectoribus, iuxta illud *Prou: 11.* Vbi non est gubernator, populus corruet.

Simili modo in vita spirituali, homo regeneratur per Baptismum: perficitur & corroboratur per Confirmationem: nutritur per Eucharistiam, ne à calore concupiscentiæ, seu inclinationis amoris proprij absumatur vita spiritualis, amissâ gratia. Per Sacramentum Pœnitentiæ, spiritualis ægritudo sanatur, dum peccata remittuntur; per extremam Vnctionem conualescentia corroboratur, & vires spirituales reparantur, dum reliquiæ peccatorum remouentur. Per Sacramentum Matrimonij, propagatio honesta efficitur. Per Sacramentum Ordinis, potestas regendi multitudinem in vita spirituali conceditur.

2. In necessitate potest baptizare quilibet homo, non tantùm obstetrix, & parentes absq; amissione iuris petendi debitum (si sint matrimonio legitimè iuncti) verumetiam non baptizatus, Paganus, aut Iudæus, dummodo intendant facere, quod alij baptizantes.

3. Ma-

3. Materia est, simplex tantùm aqua naturalis, non artificialis, siue sit calida, siue frigida, dulcis, amara, turbida, clara, benedicta, non benedicta, fœtida aut non. Debet tamen tanta adhiberi, quanta exigitur ad iudicandum moraliter, quòd sit ablutio, quamuis modica, imò & gutta vna sufficiet. Nihilominùs admonendus esse censeo illos, qui vix humectatis extremitatibus digitorum, leuiter tangunt verticem.

4. Forma est. Ego te baptizo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Inuocatio autem Trinitatis, per expressionem distinctam trium personarum, est de necessitate Sacramenti, ita quodsi omitteretur, non esset validum: quia sub tali forma à Christo institutum. *D. Th.* 3. p. q. 66 a. 6.

5. Concursus quoq; formæ cum materia fieri debet: hoc est infusio aquæ, durante prolatione formæ: hoc enim tutius est. Contactus tamen baptizantis & baptizati non exigitur.

6. In difficultate partus obstetrix baptizet absolutè absq; conditione, si exierit caput, nec postea infans, si superuixerit, iterum erit baptizandus. Quodsi alia pars prodierit, quæ tamen vitam infantis præferat, debet baptizari tunc, quando in periculo puer versatur, Et tamen si natus vixerit, sub conditione erit baptizandus, sic: Si nō es baptizatus. Ego te baptizo, In nomine Patris, &c. In vtero tamen matris clausus nemo baptizari debet. *Ritual: Rom: Pauli V.* Quamuis non desint authores, qui etiam tunc baptizandum censeant cùm infans est totus in vtero; sub conditione tamen, Si capax es baptismi. ego baptizo te, In nomine Patris, &c. dummodò obstetrix possit commodè aquam manu intrò deferre.

7. Peccant, qui baptismum differunt. Baptizandus est puer eodem die; tum quia Deus & Angeli maiorem curam baptizati habent; tum quia tamdiu permittere infantem esse in manu diaboli, imprudentiæ est; tum quia posset insperatè superuenire mors. Si tamen nullum sit periculum, non crederem esse mortale peccatum.

8. Peccant mortaliter (vtpotè vim inferentes iuri naturali) qui infideliū pueros, inuitis parentibus baptizant; nisi alter parentum conuertatur ad fidem; tunc enim conuersi, vel conuersæ voluntas sufficit, & nisi puer vel puella sit annorum septem, qui baptizari velit.

9. Obstetrix nesciens ritum baptismi; hoc est, nesciens proferre verba, & applicare aquam, peccat mortaliter. Peccat quoq; , si extra necessitatem baptizat; si tamen baptizaret, debet de hoc certiorem facere Sacerdotem, ne ipse rebaptizet, cùm ille baptismus fuerit validus, & non restaret aliud facere, nisi cæremonias superaddere.

10. Peccant mortaliter, qui statim ac moritur prægnans, non extrahunt infantem, scisso cautè vtero mortuæ.

11. Adultus ante suum baptismū, debet verè dolere de præteritis peccatis, & efficaciter proponere vitæ emendationem. Iniuriam autem faceret Sacramento, si peccata ante baptismū commissa, confiteretur. In actu baptismi per seipsum talis debet respondere, non per procuratorem.

12. Patrinus vnus vel vna sufficit, & in necessitate, aut defectu alicuius baptizati, omittendus est. Neq;

enim non baptizatus potest esse patrinus.

13. Abbas & alij Religiosi, non debent esse patrini.

14. Hæreticus benè baptizatus si conuertatur, non est cogendus ad susceptionem solennitatum, si nolit.

15. Confirmatio, non est quidem omninò ad salutem necessaria, cùm multi absq; ea saluentur: est tamen valdè vtilis. Per eam enim homo corroboratur ad spiritualem pugnam, fortiusq; resistit diaboli insidijs, baptizatus & confirmatus, quàm baptizatus tantùm. *D. Thom.*

16. Post septennium potest conferri confirmatio: vltra duodecim verò annos differre, culpabilis negligentia est. Ex contemptu non suscipere, mortale peccatum est. Contemptus autem tunc esse censetur, cùm quis habens occasionem commodam suscipiendi, omittit, eò, quia paruifacit.

17. Infanti morituro conferre Sacramentum Confirmationis, esset in magnum eius fauorem: tum propter duplicem animæ characterem: tum propter maiorem proinde gratiam ac gloriam.

18. Confirmandus debet præmittere, aut confessionem, aut saltim veram contritionem, hoc est, detestationem peccatorum, merè propter Dei amorem.

19. De Eucharistia dictum est, cùm de communione Paschali agebatur, & adhuc dicetur inferiùs. De Pœnitentia quoq; iam actum est.

20. De extrema Vnctione suscipienda, nullum est affirmatiuum præceptum, vt testatur *D. Th. 4. d. 23. a. 1. q. 3. m*, quamuis sit Sacramentum vtilissimum, & interdum necessarium; vt dicetur: Erit tamen in duobus tantùm casibus mortale peccatum, huius Sacramenti omissio; videlicet, ratione scandali, & contemptûs.

21. Extrema Vnctio, pueris, & perpetuò amentibus, dari non potest, sed his, qui peruenerunt ad vsum rationis, atq; adeo etiam pueris post septennium; solis tamen infirmis, qui sunt in periculo vitæ constituti. Porrò confecti senio, absq; alia ægritudine, morientes ex ipsius naturæ defectu, censentur infirmi, quoad indigentiam huius Sacramenti, dummodo signa mortis vicinæ appareant. Quod si in eis, status mortis proximæ discerni non possit, subueniatur eis alijs modis, per orationes, confessiones, Eucharistiam, & Sacrificia.

Cauendum etiam est, ne expectetur tempus, in quo iam constet, infirmum non posse naturaliter uiuere, aut careat sensu & cognitione: sed debet ministrari tunc quando adhuc sui compos est, & cognoscere potest, quid circa eum agatur, vt per Sacramentum ad deuotionem & fiduciam valeat excitari: quamuis si neglectū sit, etiam tunc debeat ministrari, etiamsi loquela & sensu sit priuatus.

22. In prolixa infirmitate potest pluries conferri hoc Sacramentum, toties, quoties videbitur mortis periculum. Attamen si nulla est in morbo varietas, sed continuum periculum, sufficit semel. Nam efficacitas huius Sacramenti est tanta, vt illius effectus toto periculi tempore, iuuare possit.

23. Vtilitas huius Sacramenti magna est: Nam infirmum ad bonam mor-

mortem obeundam, iuuat, & ad introitum gloriæ proximè præparat. Qua ratione? Hac. Nam cùm infirmus sit fractis seu debilitatis viribus corporis, iudicio etiam aliquo modo obfuscato, propter infirmitatem & dolores: ex altera verò parte occurrunt ei in articulo mortis multæ difficultates: valde tunc indiget speciali Dei auxilio, tum ad recreandum animum molestijs ægritudinis oppressum, quatenus infirmus morbi incommoda, dolores, tristitias, debilitates, anxietates, tædia, & labores leuiùs ferat, hisque à feruore deuotionis, (in articulo mortis maximè necessariæ) non impediatur, neq; retardetur, & ad mentis hilaritatem (quæ etiam tunc valde vtilis est) prouocetur: tum ad delendum peccata, non tantùm venialia, sed etiam mortalia; si fortasse casu aliquo accideret, mortale non esse remissum: vt si post vltimam confessionem infirmus incidisset in mortale, & post attritionem de illo, loquelam amisit, aut oblitus est statim; tunc enim quamuis ad perfectam contritionem non peruenerit, suscepto hoc Sacramento, iustificabitur, & saluus erit, absq; eo verò condemnaretur: tum ad remittendum reatum pœnæ temporalis, ex peccatis remissis relictum, (ingressum gloriæ retardantem iuxta valorem dispositionis & deuotionis infirmi. Qui quidem reatus pœnæ, inter peccati reliquias numerari potest: tum ad superaddendum vires, contra alias peccatorum reliquias tam originalis, (qui est fomes) quàm actualium, qui sunt praui habitus, seu assuefactiones, ex quibus prouenit pronitas ad malū, & torpor, difficultasque, aut etiam debilitas ad benè operandum: tum ad excitandam in ægro magnam misericordiæ diuinæ fiduciam: tum ad superandum grauissimas & horrendissimas diaboli tentationes, quæ occurrunt in mortis articulo: tum ad constanter perseuerandum in Dei gratia, fide, spe, ac charitate, vsq; ad mortem. Hæc omnia præstat hoc Sacramentum extremæ Vnctionis.

Hinc admiranda, benignissimaque diuina prouidentia commendatur, circa humanam salutem; nam quia ab illo momentò æternitas pendet, & damnum circa salutem: nunquam reparabile, ideò huic Sacramento, extremo remedio tantam virtutem tribuit, vt dictum est, ad subueniendum homini, in tanto periculo constituto.

Cæterum disputare de primario & secundario effectu huius Sacramenti, excedit limites propositi nostri. Satis sit scire nunc primarium eius effectum esse, iuuare ægrotum contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis.

24. De Ordinis Sacramento, in hoc Tyrocinio, nihil occurrit dicendum, præter monitionem, ne ante Sacramentum Confirmationis, ante ætatem legitimam, absq; eruditione competenti, absque prouisione, (quoad Maiores Ordines) post morbum caducum, vel semel habitum: ante vitæ emendationem, (quoad criminosos) suscipiatur: & quod in susceptione, omnia in quibus inprimitur character, tangātur: post susceptionem Subdiaconatus, statim Officium Ecclesiasticum sub mortali recitetur, (imò etiam in minoribus Ordinibus constituti, si sint Beneficiarij, recitare tenentur. Pensionarij verò ad Officium B. V. M. obligantur.

Nau. c. 25. n. 108. Man, otia vitentur, & studijs incumbatur. Porrò ætas pro tribus minoribus Ordinibus est post septennium completum: pro Acolytatu 12 anni requiruntur: pro Subdiaconatu 22. inchoatus: pro Diaconatu 23. inchoatus: pro Sacerdotio 25. similiter inchoatus.

25. De Matrimonio, paulò plura dicentur. Inprimisque dicendum est, quòd sit Sacramentum in noua lege: & non simplex, aut ciuilis contractus. Confert autem gratiam iustificantem, ad certum quendam effectum efficiendum; videlicet, ad iuuandum coniuges, vt conuenienter viuant in matrimonio, conseruando concordiam, & supportando inuicem, decenter vtantur eo, moderando carnis concupiscentiam, fortiter sustineant onera matrimonij, familiam prudenter gubernando, prolem Christianè educando, & res domesticas diligenter curando, disponendoque, & fideliter dispensando.

26. Sponsalia regulariter debent celebrari, vel contrahi, per verba de futuro, s. promitto me te accepturum in meum, vel meam, &c. Alias per verba de præsenti transibant sponsalia in matrimonium; modo verò non, Et nisi adsit Parochus cum testibus adminùs duobus, facerent matrimonium clandestinum, ac proinde irritum seu inualidum, adeò vt nec sponsalium vim haberent. *Sanch: de Mat.* Quomodo autem dissoluantur; *vide Nau: Man: c. 22. n. 25. Sanch: de Matr: fusissimè, & omnes alios.*

27. Sciendum est, quòd religionis ingressum, sponsalia etiam iurata non impediant, nec requiritur consensus partis; imò neque matrimonium ratum ante consummationem: Vnde in receptione ad religionem, non interrogatur recipiendus, an alicui promiserit, sed an sit coniugatus, hoc est in statu coniugij consummati sit. *Vide Sanch lib: 1: d. 43.*

28 Effectus Sponsalium est duplex: 1. Obligatio, matrimonium contrahendi sub mortali, nisi adsit legitimũ impedimentum, vnde qui temerè retrocedit, amittit munera: constans verò non. 2. Inhabilitas contrahendi cũ consanguineis in primo gradu tantùm; iam enim intercederet impedimentum dirimens contractum, quod appellatur impedimentum publicæ honestatis, Conc: Tr: *Sess: 24. de Matr: c. 3.*

29. Impedimenta quoq;, tam impedientia tantùm matrimonium, quã etiam dirimentia, legi possunt apud alios authores, quosdam quidem compendiosè, quosdam verò copiosè tractantes. Hic dicentur, quæ magis necessaria sunt, & frequentiùs occurrere solent.

Inprimis scire debent parentes, quòd non possint cogere filios ad matrimonium, neq; ad tales nuptias, cùm ipsi habeant plenam libertatem ad eligendum statum, & tale matrimonium; Vnde parentes neq; tollere, neq; minuere hanc libertatem possunt, neque filius ob hoc exhæreditari potest. Possunt tamen parentes medijs suauibus, imò & increpatione paterna absq; vi & metu, quando est iusta causa (vt quia minùs decens est tale matrimonium) impedire tale matrimonium, vel inducere ad aliud.

30. Tenentur filij sub peccato mortali consilium parentum circa matrimonium petere, non tamen illud sequi, & ita

& ita possunt licitè ipsis inuitis, (priùs tamen consultis,) inire matrimonium quod volunt : nisi multùm intersit parentibus, vt filius tale matrimonium ineat, vtpotè, ad componendas graves inimicitias inter parentes, & alios consanguineos; tunc enim sub mortali teneretur obedire præcipienti, si nubere voluerit, & non habeat iustam causam resistendi. *Sanch.*

31. Domini temporales, magistratus, & alij, iurisdictionem in foro exteriori habentes, excommunicantur, si iniustè impediant matrimonia, Conc: Tr: *Sess: 24. c. 9. de Matrim.*

32. Clandestinum matrimonium nunc est irritum per Conc: Trid. Ad validum enim matrimonium requiruntur duo: scilicet præsentia Parochi, siue sponsi, siue sponsæ, aut alterius Sacerdotis, de licentia Parochi seu Ordinarij, & præsentia ad minùs duorum testium. Deficiente ergo, aut solo Parocho, vt præfertur, aut solis testibus, clandestinum matrimonium est, ac inualidum : sed potest resarciri per iterationem consensûs, secundùm formam Ecclesiæ : hoc est, in præsentia Parochi, & testium.

33. Raptus quoq; sic impedit, vt quamdiu rapta manet in potestate raptoris, tam diu validum matrimoniũ inter eos esse non possit.

34. Adulterium solum, non impedit : sed in tribus casibus tantùm. 1. Si sibi invicem dederunt fidem de matrimonio contrahendo, post mortẽ alterius coniugis. 2. Si defacto adulteri contraxerunt, vivente coniuge innocente, dummodò vterque adulter sciat alterum coniugem superstitem. 3. Si vel vnus adulterorum, procuret mortem coniugis innocentis, siue per se, siue per alium, causa contrahendi matrimoniũ cũ adultero, vel adultera, effectu subsecuto. Nam si occisio sit alio fine facta, non impedit.

35. Homicidium solum absq; adulterio in vno tantùm casu impedit & dirimit : scilicet, quando vterque, tam vir, quàm mulier consentiunt, & conspirant in mortem alterius coniugum. Quodsi vnus tantùm procuret, altero inscio, & adulterium non præcessit, non dirimitur.

36. Quoad infideles. Matrimonium inter fidelem; hoc est, baptizatum (quamuis sit hæreticus, aut etiam Apostata) & infidelem, vt non baptizatum, est omnino irritum. *Sanchez, vbi supra Henriquez,* & omnes alij. Quãdo vero alter coniugum Iudæorum, siue aliorum infidelium, ad fidem conuertitur, non potest cohabitare alteri nolenti ad fidem conuerti : quantumuis possit esse cohabitatio absq; creatoris contumelia & absque ad peccatum pertractione: nisi fortè speraretur breui conuertendum infidelem; propter quod tempore Apostolorum fuit consilium cohabitandi cum infideli. *Sanch: Matr: lib: 7, disp: 73. & 74.* Potestq; talis transire ad alias nuptias, & tunc dissoluetur vinculum prioris matrimonij.

37. Matrimonium personæ Catholicæ cum hæretica, est validum, quamuis sit illicitum, & prohibitum propter periculum fidei, imminens consorti & proli. Est autem peccatum mortale, tale matrimonium inire, etiamsi esset spes certa conuersionis. *Sanch. lib: 7. disp: 72. n: 4.* Qui *n. 5.* excipit quædam loca, & *Azor Tom: 1. lib: 8. c. 11. q. 5.*

38. Quodsi vnus coniugum incidat in hæresim, matrimonij quidem vinculum non dissoluitur, diuortium tamen temporale celebrari potest: imò tenetur coniux Catholicus divertere ab hæretico nolente resipiscere, quod potest facere etiam propriâ authoritate, siquidem iure naturæ obligatur, cauere proprium animæ periculum, quod hic imminet ex tam vicino hoste. Nã ex nimia familiaritate cum quibus frequentes sumus, pessimi mores trahuntur. *Sanch: l. 10. d. 15. Henriq: l. 11. c. 14. n. 6.*

Et quamuis diuortium perpetuum esse non possit, nisi ob fornicationem carnalem; tamen temporale potest esse ob crimen triplex; hæresim, inductionem ad peccandum, & sæuitiam alterius coniugis. *Sanch. ibidem.*

Dato tali casu, ad Sanchez recurrendum esset, atq; ad alios authores; nos enim meminisse debemus Tyrocinij, vt breuitati quàm maximè consulamus.

39. Nonnulla tamen tangentur. 1. Iusta causa est diuertendi vxori à viro, si is esset leno, vel in domum suam admittat procaces, & parùm pudicos, sitq; ita incautus, vt aliquo ex illis relicto exeat, ipsa verò solicitetur ab illo verbis, nutibus, aut tactibus; maritus autem rogatus ab vxore, ne eos admittat, negligeret. Non tamen potest discedere à viro, ministrante ei alimenta ex vsura, furtouè acquisitis. Quia, quando vxor aliunde alimenta non habet, excusatur, istis parcè vtens, iuxta decentiam sui statûs, quamuis maritus efficiatur impotens ad restituenda iniustè parta.

40. Sæuitia quoq; intelligenda est illa, propter quam timetur graue aliquod malum; non verbera leuia. Siquidem licitum est viro vxorem verberare; non quidem passim, ex leviq; causa, nec acriter, (quamuis grauis causa per vxorem sit data) sed rarô vrgenti ex causa, atq; moderatè, quia acris verberatio iudici est relinquenda. Viro autem incumbit punitio vxoris, filiorum, & familiæ, domestica & moderata, quæ potiùs correctionem, quã pœnam spectet, & quæ ingenuis infligi potest.

41. Qualis autem sæuitia ista sit, & qualis cautio in reddendo consorte, requiratur. *Vide Sanch: ibid.* de furore, cum graui periculo.

42. De impedimento cognationis aliquid dicendum est. Cognatio autem triplex est; Carnalis, quæ est cõsanguinitas & affinitas. Spiritualis, quæ est ex baptismo & confirmatione. Legalis, quæ est ex adoptione. Sed hæc vltima rarissimè accidere solet.

43. Consanguinitas est propinquitas personarum ex naturali generatione; & impedit, & dirimit vsque ad quartum gradum inclusiuè. Affinitas autem est cognatio aduentitia, orta ex copula. Hæc autem si sit ex copula licita, eodem modo impedit & dirimit vsq; ad quartum gradum inclusiuè: quæ si superuenerit post sponsalia, matrimonium contrahi non potest, alioquin inualidum erit.

44. Ad intelligendum hos gradus, sciendum 1. Quod maritus & vxor, non sunt inter se affines, aut consanguinei, neq; constituunt aliquem gradum, sed consanguinitatis & affinitatis principium; vocanturque radix, truncus, seu stipes. 2. Quod omnes con-

consanguinei vxoris, sunt affines mariti eius, & vice versa consanguinei mariti, affines vxoris, neq; illi transeunt vltra maritum, neq. hi vltra vxorem; ita quod inter consanguineos viri, & consanguineos vxoris nulla est affinitas. Ideo duo fratres germani, possunt duas sorores germanas in vxores ducere. 3. Quoto gradu consanguinitatis distant ab vno consorte, toto etiã gradu affinitatis appropinquant, aut elõgantur ab altero.

45. Quando inuestigatur in quo gradu sint duo consanguinei; debent numerari seorsim vtriusque parentes, donec veniatur ad vnum communem stipitem, hoc est, ad primum immediatumq; patrem aut matrem, vtriusque genealogiæ: & tunc si æqualiter distãt, à communi stipite, tanto gradu inter se distãt, quãto à stipite. Si verò inæqualiter distant, tunc recurrendũ est ad regulam in iure, quæ est ista. Quoto gradu remotior distat à stipite, toto gradu distant inter se: imò & à quolibet, per aliam lineam descendentium ex eodem.

46. Ad colligendam autem distantiam à stipite, hæc sit doctrina. Numerentur omnes personæ, infima, suprema (hoc est stipes) & intermediæ; tot itaq; gradibùs distabit hæc persona à communi stipite, quot recensebuntur personæ omnes, vna tamen dempta.

Exemplum, Pater & Mater.
Petrus. Anna, *filij*.
Agnes. Paulus, *nepotes*.
Martha, Simon, *pronepotes*.
Thomas, Lucia, *abnepotes*.

Hic itaque quia quinq. personæ sunt, inter Patrem vel Matrem, & Thomã, Luciamq; Seclusa vna, remanebunt 4. Tot itaq; gradibus Thomas distat à communi stipite: & consequenter, non tantum à Lucia, sed etiam a Simone, Paulo, & Anna.

47. Cognatio spiritualis contrahitur tantùm inter baptizantem & baptizatum, parentesque baptizati. Deinde inter patrinos & baptizatum, parentesq; eius. Porro patrinus vnus esse debet, siue vir, siue mulier, aut ad summum vnus & vna: debent autẽ & designari à baptizante, & tangere baptizatum. Si non sit facta designatio, siue oblivione, siue negligentia, omnes tangentes contrahunt cognationem. Si post designationem alij tetigerint, non contrahẽt, Quod si plures fuerint designati, omnes contrahent, si omnes tetigerint. Idem per omnia, de Confirmationis Sacramento per quod similiter contrahitur cognatio spiritualis.

§. V. *De septem peccatis Capitalibus.*

Vocantur Capitalia, eò quod multa alia peccata generant: non autem debent mortalia vniuersaliter dici, quia non omnia ex genere suo sunt talia, sed aliqua sunt venialia.

§ *De Superbia.*

Superbia, inquit Nauar: est multùm vsitata, & parùm nota; vel vt Syluester ait, est vitium benè practicatum, & malè cognitum. Ergò in assecutione cognitionis, aliquo modo desudãdum erit.

1. Inprimis itaq; sciendũ est, quòd vulgus nomen superbiæ, valde impropriè sumit; Nam aliquando inhumanum, seu non affabilem ex complexione naturali aspera; superbum vocat. aliquándo etiam ipsam grauitatem, ap pellat

pellat ſuperbiam. Et quidem videtur eſſe ſimilitudo, quo ad effectum: tales enim graues, aut non affabiles, idem exteriùs præ ſeferunt, quod ſuperbi propriè. Non enim facilè loquuntur, nō facilè audiunt, in ſermone iucundi nō ſunt quia natura eis hanc affabilitatem denegavit: quod ſuperbi ex contemptu faciunt.

2. Secundò ſciendum, quòd ſuperbia ſumpta propriè: videlicet quoad affectum & appetitum excellentiæ, ſemper pro vitio à vulgo reputatur: quamuis ipſe appetitus excellentiæ, poſſit eſſe bonus & licitus; nimirùm quando eſt ſecundùm rectam rationē, hoc eſt, ſeruatis debitis circumſtantiis; vt puta, quando quis affectat excellentiam de re vera & bona, iuxta merita ſua, ob bonum finem.

Exemplum. Eſt aliquis, qui iactat ſe bonum Theologum. Medicum, &c. cum non ſit; quod cederet in præiudicium fidei, aut communitatis: conſurget alius ſolidè eruditus, volens videri multò excellentior eo, in ſcientijs, arte, aut etiam viribus tempore belli, ad honeſtum aliquem finem, ut ei vtilitas accedat, aut Reipubl: commodum.

Quapropter, ſuperbia propriè ſumpta, in quantum vitium eſt, non debet dici appetitus excellentiæ tantùm, ſed appetitus inordinatus; hoc eſt, peruerſus appetitus excellentiæ. Perverſus autem erit, ſi fuerit contra rationis regulā: vt, quia eſt aut de re falſa, aut mala, aut non commenſurata appetenti, aut ob malum finem.

3. Superbia hoc modo ſumpta, cōmune nomen eſt ad 4. vitia: Ad ſuperbiam ſpecialiſſimè ſumptam, ad ambitionem, præſumptionem, & vanam gloriam. Nam talis inordinatus appetitus excellentiæ, ad quatuor poteſt referri: ad perſonam, dignitatem, celſum opus, & claram hominum opinionem. Et quidem ſi ita aliquis appetit excellentiam, vt velit ſuam perſonam temerè eminere, erit ſuperbia proprijſſimè ſumpta, ſecundùm vſum literatorum proprijſſimè loquentium. Si verò apperat propriam excellentiam, in aſſecutione ſublimioris, (id eſt, merita ſua ſuperantis) dignitatis, erit ambitio. Si in aggreſſione celſi operis ſuas vires excedentis, erit præſumptio. Si ad finem inanis laudis, & æſtimationis humanæ, erit vana gloria.

4. Loquamur igitur primò de hac ſuperbia proprijſſimè ſumpta, quam diximus inordinatum appetitum excellentiæ in propria perſona; videlicet, cûm quis vult excellentior eſſe, quàm ſit, in quacunq; materia, ex quacunq; occaſione, abſq; eo, quod deſideret dignitatem. & abſq, eo quod aggrediatur aliquod præclarum opus, vel affectet laudari.

Huius itaq; fundamentum, eſt conſideratio ſuæ perfectionis, aut alicuius excellentiæ, diſſimulatis imperfectionibus, & dependentiâ à Deo, (ſicut & humilitatis fundamentum eſt conſideratio vilitatis ſuæ, ac imperfectionum, non conſideratis perfectionibus.) Hinc naſcitur amor iſtius excellentiæ apprehenſæ, & cogitatæ, quo & ipſa excellentia placet homini, & ipſemet homo complacet ſibi, plùs quàm oportet. Deinde ex his ſequitur æſtimatio ſui, quâ pluris ſe facit, quàm oportet. Amor enim accedens apprehenſioni, facit

cit excellentiam maiorem videri, & pluris æstimari. Atq; hîc apparet primò superbia, sed non sistit: progreditur enim vlteriùs, vt infra dicetur.

5. Hæc superbia proprijssimè sumpta, non semper est peccatum mortale, frequentiùs veniale. Nam nisi ad appetitum inordinatum propriæ in persona excellentiæ, accedat aliquid, quod compleat perfectā rationem superbiæ, nunquā erit mortale. Hoc autē cōplementū prouenit, ex 4. Quæ sunt: Iniuria Dei, præiudicium proximi, peruersa media, materia perniciosa. Ita quod si in tali elatione appareret iniuria Dei, siue ratione contemptus, siue ratione irreuerentiæ notabilis, esset superbia mortalis. Perueniretur autem ad contemptum Dei tunc, quando aliquis nollet se subijcere legi, seu regulæ diuinæ, qua omnibus distribuit prout vult, secundùm mensuram donationis suæ.

6. Mensura autem eius donationis est, vt omnia, quæ habemus, non à nobis esse, sed à Deo dependere & descendere existimemus: quòd non omnia omnibus dat, sed dividit, secundū quod vult: & quidem aliquibus æqualiter, aliquibus cum excessu supra alios, & omnibus merè gratis.

7. Superbus autem completè, hoc est, qui peruenit vsq; ad contemptum Dei, & subiectionis; videns maioris excellentiæ esse, habere quā non habere & habere à se, quā ab alio: habere quoque ex meritis quàm gratis; supra alios, quàm æqualiter cum alijs; eligit appetitq; hanc excellentiam, quasi excutiens & fastidiens diuinam prouidentiam, & quasi non contentus dispositione diuina, mensuraq; singulis præfixa; ac propterea peccat mortaliter hoc peccato superbiæ.

8. Dicet aliquis: quomodo fieri potest, quòd quis talia cogitare possit, & iudicio suo consentire? ℞. Ad hoc peccatum committendum, non est necessarium serio & expressè in animo iudicare se bona habere à seipso, aut meritis suis, non Dei gratia: (nam qui sic iudicaret, non tantùm superbus, sed etiam hæreticus esset) sed satis est illa apprehendere, tanquam sint sua, & à se dependentia, non considerando, quomodo illa acceperit:

Exemplum, Si pauper alienis opibus lautè fruens se efferret, non secus, ac si suæ essent, aut suâ industriâ partæ: & cum opibus domini, seruus ita procederet, tanquam ab alio non dependeret, aut tanquam superiorem non recognosceret: quamuis hoc expresse nō afferat, neq; ita iudicet, neq; neget alienas esse opes: tamen eo ipso quod ita se gerit, acsi non in alieno, sed in suo maneret; censeretur superbus, quasi in actu ipso exercito, quamuis non in actu signato,

9. Talis autem superbia dicitur cōsummata, per se, ac directè superbia, atq; ex natura sua mortalis. Sed rarò accidere potest; nam non nisi in diabolo inuenta erat, & aliquando inueniri potest in hominibus perditissimis & sceleratissimis.

10. Qui autem ad talem Dei cōtemptum, & exclusionem subiectionis eius non peruenit, quantumcunq; se pluris faciat quàm sit, vel quàm oporteat non grauem inordinationem habet: ac proinde nec perfectam superbiam. Quia ex quo non violat subiectionem ad

ad Deum, habet aliquid humilitatis, volens ei esse subiectus.

11. *Irreuerentia* quoq; Dei, adiuncta, aut consequens talem appetitum excellentiæ, constitueret peccatum superbiæ mortale: vt, si quis arrogaret sibi scientiam, & peritiam, ob quod committeretur ei negotium concionandi, tractandi, disputandiq; de fide inter infideles, cum periculo irrisionis, & scandali ob eius imperitiam. Et hæc superbia, sicut & sequentes, à Theologis dicitur mortalis per accidens; hoc est, ratione adiunctæ irreuerentiæ DEI.

12. Præiudicium quoque proximi notabile, ex alicuius elatione consequens, siue sit ratione damni, siue ratione contemptûs illius, facit superbiam mortalem: vt, si quis iactet se medicum expertum, vel causidicum peritum, cùm talis non sit, hoc autem redundaret in graue detrimentum proximi, sanitatis, vel causæ suæ.

13. Si quis efferretur cum notabili contemptu proximi, siue externè, dedignando eum aspicere, alloqui, aut facta eius temerè vituperando: siue internè eum in corde vilipendendo, à sua æstimatione deprimendo, propter miserum abiectum aut etiam sordidũ eius statum,

14. *Quoad medium* Si ad excellentiam acquirendam, tuendam, & conseruandam; esset paratus peccare mortaliter, transgrediendo leges & præcepta sub mortali obligantia: hoc enim esset constituere finem in tali excellentia.

15. Si se exaltaret ob materiam illicitam, hoc est, propter peccatum mortale patratum, vel propter quamcunq; aliam rem, ad finem mortalem ordinatam.

16. Hi tantum modi sunt peccandi mortaliter per superbiam: cæteri veniales quidem sunt, sed vitandi; tum quia superbia proximis est odiosa, tum quia valdè periculosa, præsertim religiosis. Nam superbia etiam venialis, impedit vitam spiritualẽ, & perfectionẽ eius, bona opera ac merita: & tam fortiter imbibitur, vt difficilè eradicetur. Vnde quod spiritualibus vltimò est relinquendum, est hæc superbiola: tum quia in omnibus radix multorũ malorum est, tum quia potest in tãtum augeri, vt pertineat ad contemptum Dei.

17. *Sic enim aliquando progreditur.* Ex eo, quòd quis æstimat se dignum rebus magnis, suamq; mensuram excedentibus, appetit inordinatè dignitates, & alia quæ ad excellentiam pertinent, tanquam sibi congruentia: deinde, vult ab alijs magnifieri, honorari, & laudari. 3. Si videat se non obtinere; indignatur, irascitur, dolet. 4. Conferendo se, cum alijs, se præfert eis, censens se meliorem, doctiorem, potentiorem, nobiliorem, clariorem, magisq; meritum. Hinc alios contemnit, & quæ ab eis fiunt paruipendit: ad suos defectus clausos oculos habet, ad suas perfectiones apertos. *Contrario verò modo se gerit in his, quæ sunt proximi.* 5. Recusat subiicere se superioribus, persuadens sibi, quod sit prudentior illis, valens seipsum meliùs gubernare, quàm ab eis: ac propterea indignum esse, subiacere talibus. 6. Finaliter peruenit ad hoc, vt etiam ipsi Deo nolit esse subiectus, dum eius ordinationi resistit, apprehendens tanquam

tanquã sit contra suam dignitaté, & excellentiæ libertaté. Vnde vult suo arbitratu vivere, quasi Deo opus nõ habeat.

18. *Ambitio*, quæ est inordinat9 appetit9 dignitatis, honoris, aut honorificorũ titulorũ, regulariter est peccatũ veniale.

Est autem mortale in tribus casibus. 1. Ratione materiæ, in qua appetitur honor, vt si ob admissum lethale crimé, aliquis affectaret honorem. 2. Ratione finis, vt, si desideretur dignitas ad habendam occasionem laxè vivendi, vltionem sumendi, &c. 3. Ratione mediorum, vt si propter consequendum honorificum titulum offenderet, aut paratus esset Deũ offendere, quod esset ponere finem vltimum in futili honore.

19. *Præsumptio* est, per quam quis ex falsa, aut nimia virium suarum confidentia, aggredi conatur ea, quæ excedũt suã facultaté: similiter in tribus casibus est mortalis. 1. Quando fit cũ notabili Dei irreuerẽtia; vt, si ignarus auderet prædicare, aut de fide disputare. 2. Cum verisimili sui periculo; vt, si vellet per loca alta deambulare, aut vnus contra decem temerè pugnare, &c. 3. Cum graui præiudicio proximi; vt, si ignarus vellet confessiones excipere eorum, qui habent intricatos seu difficiles casus. Idem de imperitis procuratoribus seu aduocatis, consiliarijs, &c. Alias est veniale.

20. *Vana gloria*, Græcè Cenodoxia, communiter est peccatum veniale, quãuis sit inordinat9 appetitus claræ opinionis & laudis apud alios: & quamuis sit de falsis (dummodo non mortiferis) & transitorijs immoderatè; & quamuis sit de bonis operibus, ieiunio, oratione, eleemosyna, quæ quis facit consultò propter vanam gloriam; ac propterea amittit meritum.

Esset autem mortale in tribus casibus. 1. Si, appetitur vana gloria ex facto, qvod est mortale; vt, de magia, adulterio, duello, homicidio. 2. Si propter eam acquirendam vel retinendam, negligerentur necessaria ad salutem, (vt Concionator ne amittat officium, tacet, quando ex præcepto dicere tenebatur) aut propter eandem opinionem conseruandam, paratus esset quis mortiferè peccare, quod esset in ea finem constituere; vt si mulier, ne infametur, consentiret stupro vel adulterio: quod fecit Lucretia, oppositum verò Susanna. 3 Si desideraretur laus ob finem mortalem, vt, propter habendam occasionem fornicationis. &c.

21. *Germina* superbiæ communis, extendentis se ad supradicta quatuor, sũnt varia vitia: nos frequentiora recensebimus. Hæc autem sunt: Iactãtia, Hypocrisis, Contentio, Discordia, Pertinacia, Novitatum inventio, Curiositas, Inobedientia, Ingratitudo. Omnia ista breuissimè dilucidabuntur.

22. *Iactantia* Qui se collaudat de re vera propter bonum finem nihil peccat. Qui verò id facit de re falsa, aut minore laude digna, quàm sit in re, iactantiæ vitio peccare dicitur. Communiter est peccatum veniale. Mortale verò in quatuor casibus: 1. Si fit de peccato mortali vero, aut conficto. 2. Si fit cum notabili contemptu proximi. 3. Vel cum notabili damno eiusdem proximi. 4. Si se iactat ob aliquem finẽ, qui est mortale peccatũ.

23 *Hypocrisis* est simulatio virtutis aut sãctitatis, quã homo nõ habet, etiãsi id faciat bono fine, ne alios scandalizet, quia reuera est reale mendaciũ. Est autẽ

morta

mortalis in tribus casibus. 1. Quando est coniuncta cum voluntate peccandi mortaliter; vt cùm quis vult fornicari, & simul apparere castus. 2. Si fit ob finem mortalem; sicut cùm quis fingit se castum, vt ei committatur custodia fœminarum. 3. Si fiat propter consecutionem gradûs vel dignitatis, quæ indignis non datur; sicut, si quis fingeret se doctum & sanctum, vt consequatur Episcopatum, vel beneficium.

24. *Contentio*, est sermo contrarius alteri, veritatem impugnans nō animo disputandi, sed animo contradicendi. Hæc semper est peccatum, & frequenter veniale, etiamsi sit cum quadam excandescentia & perturbatione, non seruato modo, pro loco, & persona. Mortale autem efficitur in quatuor casibus. 1. Si illa veritas oppugnata erat in Dei honorem: vt, si impugnarentur res fidei: vel ad proximi notabilem vtilitatem; vt, si virtutes morales, & opera bona, aut aliæ doctrinæ, quæ redundant in proximorum vtilitatem, impugnarentur. 2. Si ex contentione infamaretur proximus. 3. Si in ea admiscentur injuriæ graves. 4. Si modus quoq; ipse scādalum actiuum præbet; vt, si duo Ecclesiastici, ita inter se contenderēt, quod sæculares intelligerent, eos se prosequi odio.

25. *Discordia*, est voluntatum contrarietas circa aliquod vnum, dum vnum alicui placet, alteri verò displicet. Quod si ideo fiat, quia vtrique ratio ita dictat probabiliter; nullum est peccatum. Si animo contradicendi contra Dei honorem, vt in materia fidei, aut in graue proximi detrimentum; erit mortale: alias veniale, etiamsi sit animo contradicendi. D. Thom. 2. 2. q. 37.

26. *Pertinacia*, est persistentia in suo iudicio, & asseueratione, plus quā oportet. Tunc tantùm mortale est, quando id fit in rebus contra Dei honorem, aut in graue detrimentum proximi, quod contingere potest in rebus fidei, morum & circa medicationes.

27. *Inventio nouitatum*, importat excogitationem, atq; exhibitionem inusitatorum admirationem parientium, in sustinendis nouis opinionibus, in vsu insolitæ formæ vestiendi se, aut conuiuandi; sed veniale tantùm peccatum est; nisi accedat aliqua circūstantia, quæ malitiam augeat: videlicet, si propterea, quæ sunt de præcepto, omittantur, aut proximi notabiliter offendantur & scandalizentur, aut damnum patiantur, vel in finem mortalem talis nouitas dirigatur, &c.

28. *Curiositas*, est inordinatum desiderium sciendi, siue per intellectum, siue per sensum, ea quæ ad se non pertinent; vel si pertinent, maior tamen cura adhibetur in illis cognoscendis, quàm par sit. Est autē communiter veniale, modò necessaria non negligantur. Potest tamen esse mortale in sex casibus. 1. Vbi est magna improportio inter inuestigantem, & scientiam inuestigandam; vt, si quis scrutari & examinare velit mysteria fidei suo ingenio, quæ captum hominis superant. 2. Ratione medij illiciti; vt, si scire velit, cōsilio vel auxilio dæmonis. 3. Ratione modi annexi: vt, si cum transgressione legis ad mortale obligantis id at-

tentaret: vt, si vellet scire defectus aliorum cum diffamatione eorum: & multò magis, si inducit alios ad reuelandum, quæ celari debent, siue propter promissionem vel iuramentum de secreto tenendo, siue propter naturam ipsam rei occultæ, atq; ideò celandæ. 4. Ratione finis mortalis, vt, si inquirantur vitia aliorum, animo infamandi eos. 5. Augeretur magis peccatum curiositatis, si interueniret iniuria Sacramenti: vt, si quis vellet scire peccata aliena, per viam confessionis alteri factam. 6. Ratione notabilis damni, sui, vel proximi, siue animæ, siue corporis, honoris; aut fortunarum, aut etiam periculi, cui se exponit: vt legere libros inhonestos, velle videre nudum corpus, aut partes secretiores (vt inferiùs declarabitur) animalia coeuntia, præsertim sciens se esse fragilem, procliuem ad libidinem, atq; ad cogitandum turpia; (quod tamen absque tali periculo esset solùm veniale) semper tamen mortale est, velle nosse relatione aliorum, vel imaginatione propria, quanta sit copulæ carnalis delectatio, quamuis eam experiri non sit voluntas. Multò verò magis si vellet experiri aliqua arte & modo, quanta sit præfata fœda delectatio.

29. *Inobedientia*, est vitium, quo quis renuit facere, quod iubetur. Renuit autem non propter iram, seu indignationem, auaritiam, aut aliam causam, quæ inobedientiam non efficit, sed eò principaliter, quia iubetur. Et talis inobedientia, ex natura sua est peccatum mortale, si sit deliberata, & in materia graui, seu de re, quam exequi, magni refert. Hæc enim inobedientia nascitur ex contemptu præcepti, & præcipientis.

30. Pro maiori declaratione inobedientiæ scienda sunt octo. 1. Nullus obligatur obedire superiori in actibus interioribus puris, & nullo modo coniunctis cum exterioribus; vt, credere hanc vel illam opinionem: cogitare hoc vel illud: nisi etiam ad talem obedientiam se astrinxerit; vt quia in professione promisit se constitutiones seruaturum, in quibus designatur tempus meditationis, ideò ratione huius obligationis, & superior potest meditationem præcipere, & subditus tenebitur parere. 2. Neq; obligatur in his, quæ pertinent ad proprij status electionem; v nubere, aut religionem ingredi. 3. Neq; in his, quæ sunt contra præceptum Dei, Ecclesiæ, Superioris, contra Regulam, aut constitutiones. 4. Neque debet obedire præcipienti aliquod peccatum etiam veniale: quamuis in dubijs possit & debeat. 5. Neque obediendum est præcepto, ex quo sequitur scandalum, vel notabile detrimentum. 6. Neq; aliquis potest obligari ad impertinentia seu indifferentia; vt, aspicere aues volantes. 7. Sed obediendum est ex obligatione, in his tantum, in quibus aliquis est superior.

Sicut Religiosus tenetur in tribus obedire Prælato. 1. In his, quæ in Regula & constitutionibus continentur. 2. In illis, sine quibus contenta in regula commodè impleri non possunt. 3. In pœnis inflictis propter transgressionem prædictorum duorum.

Vnde si superior vellet alia exigere, quæ ad maiorem austeritatem vel perfectionem pertinent; vt, ieiunia, disciplina-

sciplinas, &c quæ non sunt in statutis religionis, non tenetur Religiosus obedire: quia votum non extenditur ad hæc. Potest tamen etiam in his obedire ex perfectione, ad quam tendere tenetur: nihil tamen peccabit, si bonis modis secluso contemptu, scandalo, seu offensione, & strepitu, non parebit.

Ecclesiasticus verò tenetur obedire Episcopo, quoad ea, quæ spectant ad suum statum, Sacramenta, & Ecclesiam.

Seculares Magistratui, quoad civilem conversationem, communem pacem, & debitum ordinem in Rep: conservandum.

Item, seculares spiritualibus obedire tenentur in his, quæ ad divinum cultum, & salutem eorum pertinent.

Filij parentibus, quoad res domesticas, & bonos mores. Vnde in re gravi nolle acquiescere præcepto, mortale est: sicut & in re levi, si accesserit contemptus.

Servi dominis, quoad obsequia, & quod ad bonam dispositionem domus pertinet. Discipuli, magistris, quoad studia, non tantùm literalia, sed etiam pietatis si vtriusque præceptores sint. Vxores maritis, quoad domesticam gubernationem. 8. Leges humanæ etiam civiles dummodo sint iustæ, obligant ad peccatum: Et si sint in materia gravi etiam ad mortale, quamvis non adsit scandalum vel contemptus. Sunt tamen aliquæ leges, quæ ad peccatum non obligant, eò quod legislatores non habuerint obligandi intentionem, licet aliqua levis pœna transgressoribus sit apposita. *Vide exempla in Azor tom: 1. lib. 2. c. 6 q. 4.* Sed perpende in exemplis sylvam communem, flumen commune, pascua communia; in his enim lex non obligat ad peccatum, quamvis quoad sylvam alicui propriam, &c. secus dicendũ sit. Nihilominùs vbi gravis pœna constituitur, vt est pœna capitis, perpetui carceris, confiscationis bonorum, infamia, officij amissio, amputatio membri, &c. procuIdubio mortale incurritur, quamvis id in lege non exprimatur.

31. *Ingratitudo*, peccatum mortale est in his casibus. 1. Quando quis ex contemptu beneficij aut benefactoris, non recognosceret, aut levipenderet insigne beneficium, vel non retribueret vices pro magno beneficio accepto, sed ita se erga benefactorem gereret, ac si nihil accepisset, aut beneficium non esset. 2. Quando id quod benefactori subtrahitur, ex necessitate debetur ei. 3. Quando quis retribuit mala pro bonis, aut beneficium vituperat, & quasi maleficium reputat. Alias veniale tantùm

§ *De Avaritia.*

1. Avaritia est immoderata cupiditas habendi. Tunc autem est mortalis. Quando est contra iustitiam, vel charitatem, nisi levitas materiæ, vel deliberationis excuset. Contra iustitiam vero est, quando cum iniuria proximi quis intendit acquirere, (videlicet modis, vijs, vel contractibus illicitis) aut aliena detinere. Contra charitatem etiam, quando in extrema aut gravi necessitate proximi, detinet propria, & non ei succurrit impartiendo. 2. Si adeo afficitur desideratis, vt sit paratus peccare mortaliter, transgrediendo præceptum divinum, aut Ecclesiasticum: vel etiam in præsenti optet alicui mortem, ali-

udè

uduè infortunium, dummodo potiri velit re, quam desiderat. Quando verò avaritia non est contra iustitiam, & charitatem in graui necessitate, sed est contra solam liberalitatem; veniale tantùm est peccatum.

2. Habet locum vitium hoc in multis. *In negotiationibus*, vbi admiscetur avaritia ex multis partibus: videlicet, si pluris vendatur creditò, quàm si venderetur numerato, propter solam expectationem solutionis: & è contra, si ematur minoris propter anticipatam solutionem, quàm si emeretur expectata. Si materia sit vitiosa, mensura fallax, statera dolosa, pretium iniustum, moneta adulterina seu falsa: si monopolia exerceantur. *In mutuatione* pecuniæ, quando fit propter lucrum *In oppignorationibus*, si fructus pignoris fructiferi percipiantur, salua summa capitali. *In locationibus*, si propter casus occurrentes; v. g. pestis, aut hostis (quando res locata in vsu esse non potuit) pretium locationis non defalcatur. *In ludo*, si fraudulentia adhibeatur. *In acquisitione* rerum, per furtum suum vel alienum, rapinam, vsuram, aliosuè contractus illicitos, per simoniam, periurium, litisue iniquæ attentationem, vectigalium iniustorum exactionem, aut iustorum defraudátionem. *In retentione* piorum legatorum, & debitorum, cùm possis reddere & debeas. *In non restitutione* rerum inuentarum & alienarum. *In dispensatione* bonorum pupilli, aut orphani: & alienorum, si aliqua infidelitas intercesserit.

3. Prodigalitas opposita avaritiæ, tanquam aliud extremum, tunc tantùm est mortalis, quando est contra iustitiã, & in materia notabili, vel cum notabili scandalo. Est autem contra iustitiam, quando per eam quis se reddit impotentem ad solvenda debita; aut suis providendum: aut aliena bona prodigè dissipat, quæ tamen dispensare cum iudicio poterat.

Scandalum quoq; non modicum esset, si Ecclesiasticus prodigè vivendo, non succurreret indigenti in graui necessitate. Hæc succinctè pertractantes, ad alios authores, lectores in hoc Tyrocinio exercitatos remittimus. Hic enim adest occasio discutiendi omnes contractus illicitos, si quos pœnitens ingerit, & modos quibus acquirit, aut etiam retinet res suas aut alienas. In vno autem parvo libello, omnia recensere possibile non est.

4. Germina avaritiæ quàm plurima sunt, nos aliquot enumerabimus, quæ sunt: *Obduratio, Inquietatio, Fraus, Periurium, Violentia, Proditio, Mendacium.*

5. *Obduratio* (supple) cordis ad miserendum, quando, & cui misereri oportet: videlicet, in gravi necessitate constituto, vocaturque immisericordia.

6. *Inquietudo mentis*, seu solicitudo vehemens circa temporalia, quæ semper cum quodam timore est coniunctas communiter veniale peccatũ est, quamvis præ solicitudine non oret, aut non exerceat divina officia attentè, vt decet: nisi quis ita temporalibus sit affectus, vt potius mortaliter peccare malit, sive commissione sive omissione, quàm ipsa, aut affectum nimium dimittere.

7. *Fraus*, est deceptio alterius in aliquo facto. Nam si deceptio fit in verbis, vocatur dolus seu fallacia. Duo autem requiruntur ad mortale pecca-

catum. 1. Vt sit intentio defraudandi vel decipiendi. 2. Quod sit in materia notabili & non levi.

8. *Periurium* etiam in minimo (vt in mendacio iocoso, vel officioso) est mortale. *Violentia* habet locum in capiendo aliena;

9. *Proditio* est manifestatio alicuius occulti, illatiua documenti: regulariterq; est mortalis in materia gravi. Est autem proditio quadruplex: Circa personas quæ produntur: Circa bona stabilia, dum via capiendi civitatē hosti aperitur: Circa mobilia, si pecunia vel res abscondita, latroni manifestetur: Circa secreta commissa, si cum alicuius præiudicio reuelentur. Hûc reducitur apertio literarum, quæ etiam ex se est mortalis, cùm antequā legantur, nescitur an contineant grævem vel levem materiam. Nisi aperiens sit superior, aut amicus faciens in spem ratihabitionis, vel verisimiliter sciatur literas esse conscriptas in damnum communitatis, vel tertij aut etiam cum graui iniuria aperientis.

10. De mendacio dictum est in octauo præcepto. Hic duo adnotantur. 1. Quod ad mendacium perniciosum, spectat omne falsum circa sacram Scripturam: Similiter in prædicacione, si falsæ authoritates, consultò, contra veritatem allegentur, aut falsa miracula, vel indulgentiæ publicentur. Similiter. Si iudex falsum aliquod in functione sua, cum alterius præiudicio protulerit. 2. Quia S. Augustinus docet, veniale mendacium non esse admittendum, etiam propter vitandam mortem suam vel alterius: ex altera verò parte difficultas est propter multa inconvenientia, quæ aliquando intervenirent, si verè & sincerè loqueremur vel responderemus proximo; ideo communis doctrina invexit quandam artem, per quam, nec mendacium dicimus, nec veritatem occultandam propalamus. Ista verò ars dicitur, *Amphibologia*, id est ambiguus sermo; eò quòd non totum voce exprimitur, sed partim ore, partim verò mente, qua residuum intùs suppletur, aut subintelligitur. *Ex: gr.* Est amicus petens mutuum, qui non solet stare promissis huic poteris ore dicere, te non habere pecuniam, & cogitatione retinere: pro te. Similiter, est tyrannus, qui Confessarium interrogat, an iste occiderit: Confessarius non tantùm negare debebit, sed etiam iurare poterit, se nescire quicquam, subintellecto, ad tibi revelandum, vel, se nescire, vt hominem. Imò ipse Christus tali modo vsus est: Ipse enim cùm sit constitutus iudex vivorum & mortuorum, proculdubiò, diem scit sui officij, seu iudicij; Et tamen discipulis dixit, neq; filium hominis id scire (subintellecto hoc) ad revelandum alijs.

Sciendum tamen est. 1. Hac arte non esse licitum regulariter vti, sed tantùm propter rationabilem causam. Siquidem talis modus, humanæ conversationi, & comunioni adversatur, & qui in eò frequentes sunt, odibiles esse solent. 2. Quod etiam in necessitate, tunc tantùm esse licitum, sic loqui, quando non tenemur respondere alicui, iuxta intentionem eius. Verum si obligamur respondere clarè, vt iudici interroganti legitimè, etiam cum periculo vitæ, respondere debet reus absque huiusmodi involucris sub pec-

cato mortali. Similiter cum amicis sincerè loquentibus, illicitum est, ta li modo vti: sicut, & cùm tu ipse provocas alium ad sincerè loquendum.

11. Eleemosynæ denegatio, potest ad auaritiam pertinere, sed de ea, in operibus misericordiæ mentio fiet.

ADDITIO.

Ex manuali Thomistarum R. P. IOANNIS GONET Ord: Præd: de fis de C. 2. § 3. edito Bononiæ 1681. & sic post notitiam sententiarum ab INNOCENTIO XI. damnatarum.

NOn licet vti amphibologiâ, seu æquivocatione formali. benè tamen materiali, cùm illa sit quædam species mendacij, non verò ista. Amphibologia enim seu æquivocatio formalis est quando non adsunt aliquæ circumstantiæ, ex quibus audiens deveni re possit in cognitionem significationis, vel sensûs verborum à loquente intenti. Materialis vero quando adsunt aliquæ circumstantiæ, quæ facilè manifestare possint, in quem sensus vox vel propositio amphibologica vsurpetur à dicente, ita vt vir prudens facilè hoc possit agnoscere, licèt audiens ob negligentiā considerationis circumstantiarum illarum, mentem loquentis non intelligat. Hâc amphibologia seu æquivocatione vsus est Christus, cùm rogantibus consanguineis vt ascenderet in templum, respondit ego non ascendam Ioan: 7. cùm tamen postea ascenderit ex circumstantia enim petitionis eorum, quæ consistebat in hoc, quòd palam ascenderet in templum, vt in eo manifestaret se mundo, poterant, si attendissent sufficienter intelligere, in eodē sensuChristum respondisse, se non ascensurum nempe palam & publicè, sed tantùm in occulto. *hæc P. Gonet.*

Quando ergo Author docet licitam esse amphibologiam seu restrictionē mentis loquitur de materiali, non forformali, vt colligi potest ex textu.

§ *De Luxuria.*

1. Quoniam hoc peccatum magis infestat homines, atq; ideò frequentiùs accidit, & suas difficultates habet, ideò paulo fusius de eo agemus. Et quia materia est turpis, idcircò cautè procedendum erit, ita tamen, vt doctrina necessaria non supprimatur. Sint ergo omnia munda mundis.

2. Peccatum luxuriæ seu libidinis, suaptè natura est mortale peccatum, in quo nulla ignorantia, quempiam excusare potest, cum iuris naturalis adeo clari, vt nullus sanæ mentis dubitare valeat.

3. Habet hoc peccatū multas species & gradus. Species quidem secundùm naturam sunt sex: *Fornicatio, Stuprum, Adulterium, Raptus, Incestus, Sacrilegium.* Contra naturam verò tres: *Mollities, Sodomia,* tam in summo, quā citra, *Bestialitas.* Gradus verò, secundùm cogitationem, locutionem, auditum, visum, tactum, gustum, & actū. Omnia ista dilucidare pernecessarium est.

4. Quamvis fornicatio aliquando sumatur genericè, pro omni illicita copula quomodocunque; tamen hic sumitur specificè & proprijssimè, pro copula soluti cum soluta, diciturque simplex fornicatio.

5. *Stuprum* quoq; aliquando sumitur genericè, pro omni illicita copula: sed hic sumitur pro defloratione seu violatione virginis, per quam aufertur signaculum virginale. Habet autem Stuprum duos modos aut gradus. Nam aliquando fit de consensu, absque vis illatione: aliquando vi illata, quod est multo gravius. Quamvis non desint, qui doceant, quod si id esset de consensu puellæ, & parentum, aut suo tantùm, (si sit sui iuris, & non sub alicuius potestate) non esse plus quàm fornicationem, cum nulli tunc irrogaretur specialis iniuria. Verùm dicerent alij: non iniuriam, sed ruptionē sigilli virginalis efficere stuprum. Oppressio tamen, per quam vis pudicitiæ mulieri infertur, est circumstantia cōmunis in omni specie aggravans.

6. *Adulterium*, quando alter vel vterq; est alterius coniux. Hûc rereducitur conditio sponsi & sponsæ.

7. *Raptus*, propriè dicitur, quando talis vis infertur, ut puella abducatur à domô sua vel parentum, causa libidinis, vel causa matrimonij, contra voluntatem raptæ & non priùs facto tractatu de matrimonio. Imo etiam vidua, coniugata & quævis corrupta, si causa libidinis raperetur, idem peccatum esset. Hæc enim species, rapinam & violentiam supra alias species addit. Quæ violentia aliquando fit ipsi fœminæ, aliquando parenti, aliquando vtriq; simul. Tales autem raptores cum suis complicibus, sunt excommunicati & infames. Conc, Trid: *Sess: 24. c. 6.* Opportet tamen vt ista abductio causâ libidinis, non tantùm sit propter maiorem commoditatē in alio loco exercendæ turpitudinis, sed etiam ad effectum omninò abducendi. *Tolet: lib. 1. c. 42. n. 7.*

* *Si puella non vi rapitur non est verè raptus sed potiùs fuga, licèt hoc fiat inuitù illis sub quorum cura manet, consequenter validè contrahitur matrimonium. Diana & alii: V. Sent. M. l. 2. d. 90. conc: 30.*

8. *Incestus* est peccatum carnale inter cognatos vsq; ad quartum gradum, prout declaratum est in impedimentis matrimonij, supra f. 44.

Hûc reducitur peccatum Confessarij cum filia confessionis. Quamvis non propriè, metaphoricè tamen, incestus dici potest: cum etiam Confessarius pater spiritualis appelletur. *D. Thom: 4. d. 42.*

9. *Sacrilegium* est, quando fit cum persona Deo dicata per votum (etiam simplex. *Azor.*) castitatis, aut religionis: vel copula fit in loco sacro. Hic notandum: quòd si persona Deo dicata cum libera peccet, nihilominùs sacrilegium committit. *Tolet. l. 5 c. 12.* Cum nouitio novitiauè peccare, quàmvis non mutetur species, notabiliter tamen aggravatur; ideò explicandum in confessione. *Lamas.*

Vide dicta p. 3. Element. ad Sacras Conf. §. Sexta circumstantia.

Huc reducitur copula cum Iudæo vel Iudæa, quia talis coniunctio prohibita est ab Ecclesia, in honorem Christianismi. *Les. lib. 4. c. 3. d. 6. n. 45.* Qui reliquias gestās peccat, non est reus sacrilegij. *Azor.*

10. *Mollities*, est pollutio seu emissio seminis, extra vas, procurata à se, vel cooperante tactu alieno, absq; concubitu tamen. Et quamvis vtraq; sit eiusdem speciei. *Lopez. Navar.* gravior tamen est secunda, & in confessione expri-

exprimenda. *Lampas p 3. c. 8. §. 21.* Et præterea, si reservatur, peccatum carnale in secunda persona patratum, caderet talis mollities sub reservationem.

Hic nota 1. Quod quando mollities committeretur tactibus religiosi, vel in maioribus ordinibus constituti: tunc si qui patitur, sæcularis est, non tenetur ampliùs dicere, nisi sic: Passus sum voluntariè pollui tactibus alienis, Si Deo dicatus, satisfaciet dicendo: Tangebam alium impudicè, vsq; ad pollutionem eius: neq; tenetur explicare se esse Deo dicatum per professionem vel ordinationem, nisi ratione scandali, vel nisi etiam illi intervenerit pollutio, siue voluntaria indirectè, videlicet in causa illius commotionis, (quo casu solus Deo dicatus explicare debebit se esse talem) siue directè propter mutuum tactum, quo casu etiam sæcularis addere debebit circumstantiam complicis: quia ibi persona sacra violata est *Lam.* Nec tantum hanc sed & alias circumstantias complicis, vt dicetur de Sodomia. *2 nota,* quod potest variari mollities, sicut & aliæ species, si dum exercetur, acciderit de alio vel alia, cogitatio, desiderium, delectatio morosa, seu imaginatio, ac si cum tali vel tali sit. Cæterùm modi obscæni non necessarij ad explicationem peccati, tacendi sunt: sufficit cognitio distincta peccati.

* *Probabile est in cogitatione morosa (hoc est quæ non intendit opus externum, sed tantùm delectatur circa obiectum) non esse exprimendam circumstantiam fœminæ. An fuerit virgo, uxorata & item an cogitans sit voto obligatus &c. L. 1. Sent. M. d 43.*

11. *Sodomia* nomine paulo latiùs sumptæ, importatur omnis pollutio, extra ordinarium vas, habita, per concubitum siue fœminæ cum fœmina, siue (præcipuè) maris cum mari, in quacunq; parte corporis. Licet in rigore, & quoad pœnas non censeatur Sodomia, nisi sit in vase stercorario, quamvis seminatio extra ob aliquod impedimentum esset. *Lam.* Congressus tamen masculorum, specie distinguitur à congressu contra naturam cum muliere & mulierum inter se.

Hic notandum, quod si talis congressus fuerit, cum persona voto consecrata, erit sacrilegium, & quidem propriè Poterit quoq; esse (sed reductiuè, non propriè) tàm adulterium, quàm incestus, ad secundum gradum duntaxat consanguinitatis, & affinitatis: quia vlteriores gradus solū sunt instituti iure positiua humano ad impediendum matrimonium, *Azor.* Similiter, si abducatur puer à domo paterna ad abusum: vel eo quis abutitur vim inferendo, erit & raptus reductiué & violenta oppressio.

Circūstantia cognationis spiritualis & legalis, non mutat speciem in peccatis contra naturam, *Azor t. 3. lib. 3 c. 18.* Aggrauat tamen meo iudicio vehementer sic peccare cum baptizato à se, aut ex baptismo levato: ideò explicandum in confessione.

12. *Bestialitas* est congressus cum aliena specie quacunq; siquidem speciei & sexus in bestijs varietas non diversificat bestialitatem.

Hùc reducitur coitus cum dæmone. Estque peccatum grauissimum inter peccata luxuriæ: & præterea contra religione,

gionem, tum ratione sacrilegij, tum ratione superstitionis. *Caiet: 2. 2. q. 154. a. 11.*

13. *Quoad gradus.* Hi quoniam incipiunt à corde, & perveniunt ad actũ; ideò à primo inchoantes, quod antea breviter attigimus, dilucidius prosequemur. In cogitationibus itaq; dupliciter quis potest peccare mortaliter. Primò, respectu externi actûs. Secundò, respectu solius actus interni. Et quidem respectu actus externi; si adsit voluntas perueniendi ad opus, altero horum duorum modorum; videlicet, desiderando aut proponendo illud peccatum exteriùs perpetrare. Discrimen autem inter desiderium & propositum est. Quia qui proponit aliquid facere, apprehendit, se posse id exequi. Verum desiderium potest esse etiam in ordine ad rem, quæ moraliter non est possibilis; vt, si rusticus ignauus vellet esse Rex, aut habere filiam Regis in vxorem. Hic enim posset desiderare, sed non proponere propriè. Idem intellige de peccato carnali, imò & de alijs. Posset enim quis proponere, aut desiderare, occidere, vlcisci, furari, &c.

Respectu Verò solius actus intrinseci, quando cogitans non intendit peccatum carnale (seu quodvis aliud) actu perpetrare, sed solùm contentatur illâ voluptate, quæ nascitur ex imaginatione operis venerei, quam consequuntur commotiones libidinosæ in carne. Porro hæ cogitationes, vocantur morosæ delectationes, eò quòd mora in eis contrahitur. Nam, quam primùm ratio animadvertit illam cogitationem, illicò eam excutere debet, & nec per momentum detinere. Quodsi detinet, iam mora censetur, quantumvis brevissima: quia inter animadversionem rationis, & voluntatem detinendi, intervenit tempus, ac proinde mora.

Duobus autem modis peccatur hâc morosâ delectatione; videlicet per expressum consensum, & per implicitum seu interpretativum,

Per expressum quidem; quando cogitans, ex imaginatione rei illicitæ, non tantum apprehendit, & percipit delectationem, sed etiam sensibiliter, actuq; fruitur ipsa: Et ita consentit in venerem non extrinsecam, sed intrinsecam, phantasticam seu imaginariam. Talis est similis ei, qui quamvis non bibat in caupona, oblectatur tamen manere in ea, videreq; potatores bibentes, &c. ita & ipse non curat peccare actu, sed versans in mente actus turpes & ruminans exercitium illorum, complacet sibi in eis.

Per implicitum autem consensum, quando voluntas neque consentit explicitè, neq; dissentit expressè, sed negativè se habet, vel potiùs negligenter, permittens durare talem cogitationem illicitam, & delectationem insurgentem, cùm possit & teneatur eã removere. Potest; quia animadvertit: debet; quia ex retentione periculum ei imminet: neq; subest aliqua rationabilis causa, quæ eam à tali detentione, periculosa alias occasione, excuset: tunc enim ita se gerit, & ita intelligi potest, ac si ex complacentia delectationis, daret ei locum in animo, atq; secum morari permitteret, quod est interpretativè consentire iuxta illud,

qui

qui tacet, consentire videtur. Et præterea cùm talis delectatio sit illicita, & contra castitatem, tenetur expressè dissentire, & conari eam expellere. Quod quia non facit, censetur ex complacentia illam retinere, ac proinde interpretatiuè consentire. Si enim nullam iustam causam eam retinendi habet, quorsum spontè retinet scintillam adeò periculosam, & consentit vt secum moretur? Præsertim cùm fidere viribus suis non sit tutum. Illa enim obscœna delectatio allicit solicitatq; animum, & sæpissimè seducit, ita quod vix vllus sit tam fortis, cui illa, si retineatur non afferat graue periculum consentiendi. Ergo aliter interpretari non possumus nisi quòd propter complacentiam fovetur. Secus autem esset, si aliqua iusta causa adsit insistendi tali cogitationi, quam libidinosa titillatio sequitur. Talis autem causa, est, lectio facienda, consilium dandum, concio habenda, confessio excipienda; tunc enim quamvis delectatio seu commotio in corpore præter intentionem consurgat & sentiatur, dummodò tamen non adsit periculum consentiendi, licitè retinetur. Alias enim si immineat periculum consensûs, etiam sanctissimum opus deserendum est. Itaque absq; tali causa, retentio talis delectationis, erit culpabilis negligentia, quamuis re ipsa non consentiretur, appellabiturq; delectatio morosa cum implicito consensu, vt dictum est.

* *Vide dicta p. 8. Elem. ad S. Conf: § Luxuria.*

14. Sciendum autem est, has morosas delectationes, quoad utrumq; modum, non tantùm tunc esse peccaminosas mortiferè, cùm circà illicitum actum versantur, sed etiam quando consurgunt, ex actu præterito aut futuro licito, quales sunt in viduis, & sponsis. Nam quamvis ille actus prout est in re, hoc est, dum exercetur, licitus sit: & quamvis ipsum præteritum meminisse & approbare, futurum quoq; sperare, & desiderare simplici affectu, licitum sit: tamen eundem coniugalem actum, præteritum aut futurum, in præsenti per imaginationem apprehendere, & inde corporis commotionem seu carnis concupiscentiam sentire, est actu coniugali ficto delectari, occasionato ex cogitatione præteriti aut futuri, quòd nullatenus viduis ac sponsis licet. De coniugatis alia ratio esse videtur. Nam dum ambo sunt præsentes, ac facilè, quod apprehendunt, exequi possunt, licitum est. Qui enim in eo statu est, vt ei opus externum sit permissum, imaginarium quoque vi phantasiæ effingendum, licitum erit, servatis servandis, & omnibus inconuenientibus seclusis. Verum, quando alter eorum absens est, non est tutum, cogitationibus huiusmodi immorari, propter periculum illicitæ pollutionis, quæ interuenire posset; atq; adeò peccatum mortale esset.

* *V. dicta p. 8. Elem. ad S. Conf. §. Viduarum quæ tamen doctrina non extendenda ad delectationem carnalem ex præfatis actibus insurgentem. Hæc enim (si voluntaria) in sponsis & viduis p: mortale est.*

15. *Turpiloquium*, si fiat animo provocandi se, vel alios, ad libidinē, peccatum mortale est. Imò quamvis nō adsit talis intentio, adest tamen periculum excitandi in se, aut in aliis commotiones carnales, vel imaginationes, delectationes, atq; tenationes;

tmor.

mortale quoq; erit. Quamvis seclu∣so scandalo & periculo non esset mortale. Hûc spectat, colloqui cum aliqua persona, etiam honesta, & de honestis, sed cum voluptate libidinosa, est namq; mortale.

* *Scias ex Gab. à S. Vinc. in summa morali V. Luxuria: Qui admittunt parvitatem materiæ in delectatione venerea, non loquuntur de illa delectatione quæ fit per diffusionem spirituum per se tendentium ad resolutionem & seminis emissionem, sed de alia quacunque complacentia remotiùs pertinente ad genus luxuriæ.*

16. *Auditus turpium sermonum*, cum oblectatione, concupiscentia, aut horum periculo, mortale.

Idem censendum *de lectione obscænorũ*. Quoad *gustum*, rarissimè accideret, præsertim apud timoratas conscientias, quòd aliquis comedat & bibat calida, eâ intentione, vt eveniat pollutio, vel se ad libidinem prouocet, extra matrimonium, hoc enim mortale esset; Quando autem quis facit, vt gulæ satisfaciat, & non præfigit sibi illum finem mortiferum, veniale est tantũ.

17. *Aspectus*, si versetur circa partes secretas, aut inhonestas; vel etiã his vicinas, semper est peccatũ mortale: Siquidem talis naturam concitat, libidinẽ excitat, carnalẽ voluptatẽ attrahit. Idem dicendum de aspectu in personam nudam, & in animalia còeuntia.

* *Aspectus pudendi eiusdem sexûs potest excusari à mortali. Non enim tam proximè ad libidinem provocat. Aspectus tamen pudendi alterius sexûs, vel partis vicinæ, licèt non fiat ob malum finem, est de se peccatum mortale: quia multùm incitat ad libidinem, nisi (ut docet Bonacina) fiat brevissimo tempore, ut non sit periculum, commotionis in carne. Videre verò coitum bestiarum vel partes earum turpiter commotas valde probabile non esse peccatum mortale, sine periculo ulterioris delectationis Cùm hic aspectus non videatur adeò incitare ad libidinem. L.1. Sent. M. d. 29.*

18. Aspectus vero qui fertur in partes honestas, vt faciei, manuum, quæ non operiri sed in aperto esse solent, ex se non est peccaminosus, sed ex aliquo adiuncto tantùm. Nam si delectatio visui coniugatur, tunc aut illa delectatio est honesta, nimirùm ex consideratione coloris, proportionis, gratiæ, dispositionis corporis, incessus, gestus, &c. sistendo in illa visus complacentia, quâ delectatur in creatura pulchrè formata, & eleganti gestu, aut sermone prædita: non cogitando vlteriùs, nec transeundo ad actus libidinosos. Et talis aspectus absq; iusta causa; peccatum veniale est curiositatis: quamvis ratione periculi vel scandali posset esse mortale. Ratione quidem periculi, si aspectus sit diuturnus: ex tali enim facilè insurgeret motus carnalis. Ratione verò scandali, si quis, præsertim Ecclesiasticus figeret oculum in pulchram mulierem, animadvertentibus alijs. Quod si illa coniuncta delectatio sit inhonesta, libidinosa, seu venerea, videlicet ex parte aspicientis ordinata ad libidinem, seu concernens concupiscentiam copulæ, tactuum, aut admittens delectationem circa actus luxuriæ, proculdubiò erit mortalis aspectus. Hoc autem ideò est: quia aspectus facit, vt phantasia apprehendat rem visam, non solùm vt delectabilem visui, sed etiam ut delectabilem tactui & carni. Ex tali autem

imaginatione sequitur in affectu carnali complacentia, exæstuatio, & inardescentia, in spiritibus & sanguine commotio, ac subindè in membris rebellio.

19. Animadvertendum est hic *ex D. Th. opusc. 64. §. de flexu libidinis.* Quod quibusdam propter solam præsentiam & allocutionem alicuius personæ, in cuius conspectu habent complacentiã sensualem & vanam, seu ad quam inordinato amore afficiuntur, egreditur humor quidam per membrum secretũ.

Duo itaq; hic sunt declarãda. 1. quãdo hoc sit cum peccato mortali. 2. quid facto talibus opus sit.

Quoad iudicium de peccato mortali, hoc tunc incurritur, quando id prouenit ex tactu aliquo impudico etiam leui, aut ex concupiscentia vel imaginatione forti & morosa de actibus impudicis, aut ex inordinato affectu voluntario ad talem personam. Tunc enim consequuntur calefactiones & commotiones carnis libinosæ, dictusq; humor emittitur. Veniale autem est, si oriatur ex delectatione quidem sensuali, & non ordinata ad obscœna supradicta, & secluso periculo; sed absq; aliqua necessitate. Nullum autem peccatum erit, si occasio vitari aut non potest, aut non debet, & consensus non adest. Similiter, si colloquendo cum tali persona, casu superuenerit tentatio; & delectationi resisteretur.

Consilium verò huiusmodi est: vitare tales occasiones, & relinquere amicitias, ac familiaritates personarum, ad quas affectus inordinatus sentitur: fugiendo allocutiones & aspectus earum, & omnem opportunitatem loci & temporis, maximè, qui sentit in hoc se passionatum, seu ad hoc naturaliter propensum, siue ex vitio mentis, sive ex debilitate naturæ. Qui autem pro posse tales occasiones non euitat, grauiter peccat, & magno peccati mortali periculo se exponit, & multò magis si studiosè id facit. Itaq; quilibet sibi in hoc violentiam faciat, fugiendo personas. Et quamvis ad aliquod tempus cruciatus corporis perferatur, aderit tamen tandem Dominus cum suo auxilio, concedens tranquillitatem, & faciens cum tentatione prouentum.

20. Sciendum quoq; ex eodem D. Th. Quod aliquando talis humor aliquibus vigilantibus, absq; omni occasione, etiã cogitationis immundæ, & sine commotione carnis, & absque delectatione, ac quasi insensibiliter accidit; ita vt multi non advertant, nisi cum pannos sentiunt madefactos. Cuius causam ignorantes, turbantur, & errant, putantes se pollutos esse. Isti bono animo esse debent; siquidem humoris effusio non est pollutio, quæ (vt Medici dicunt) sine libidinosa delectatione, & carnis commotione, in vigilia, esse non potest. Sed naturalis conditio, aut complexionis dispositio, huius rei causa est.

21. *Tactus omnis* causa voluptatis carnalis, est peccatum mortale: etiamsi desit alia intentio, vel lasciva imaginatio, quia accendit libidinem, & proximè disponit ad seminis resolutionem, secundùm conditionem partium, & vicinitatem ad partes verendas. Siquidem magis inflammat contactus partium secretarum, quæ operiri solent, & maximè verendarum: plusq; aggravat, quàm tactus manûs.

22. *Oscula* eodem modo illicita sunt,

sunt, adeò vt neq; sponsis concedi possunt, causa voluptatis, si essent cum periculo irritandæ libidinis, & resoluendi seminis. Nihilominùs si fiant causâ amicitiæ, secundùm consuetudinem patriæ, servatâ honestate, & secluso scandalo, atq; periculo, licita erunt. Non vitaretur autem scandalum, si Ecclesiasticus, præsertim Religiosus, hoc modo vellet testari amicitiam erga fœminas etiam sanguine iunctas.

23. *Osculari* puerum vel puellam in ætate minori, ex se non est mortale, quia hi propter ætatem, non sunt materia libidinosa: tamen ex accessorio potest esse mortale, videlicet, si id fiat cum aliqua delectatione sensuali, cogitando tunc aliqua supplementa obscœna.

24. Fœmina, advertens se tangi, secundùm partes inhonestas, omninò obligatur sub mortali, refugere ac impedire. Nam ista excitant libidinem, tàm in agente, quàm in patiente. Secundùm verò partes honestas, sed affectu libidinoso; si id fiat in priuato, nemine vidente; similiter tenetur proximi peccatum devitare. Verùm si id fiat in publico, nō tenetur impedire lege virtutis temperantiæ: potest enim pati bonâ intentionè, (si absit periculum) prætextu consuetudinis, patriæ, consanguinitatis, vel amicitiæ: sed tamen lege charitatis, ne alter peccet, obligatur, (si tamen commodè potest) impedire. Nam si ex hac detrectatione sequeretur graue incommodum, videlicet, mortis, infamiæ, amissionis bonorum, posset permittere: dummodò ipsi fœminæ, non immineat aliquod periculum delectationis & consensûs in turpia. Tunc enim subeunda essent potiùs omnia incommoda, quā tale periculum peccati. Quod si opprimeretur, quamvis non teneatur ad sui defensionem, oppressorem lædere: tenetur autem turpi facinori non sese accommodare, & clamare, atq; resistere, quantum potest sine periculo vitæ: & tandem nullo modo consentire. Licet tamen occidere inuasorem, pro defensione pudicitiæ.

25. Si tactus non sit causa voluptatis, sed causa medicandi, est licitus, etiamsi interim aliqua delectatio vel motus turpis suboriatur, quia id est involuntarium: nisi etiam ipsi chirurgo adsit periculum consensûs, tūc enim alter sufficiendus esset.

Mulieres tamen, præsertim virgigines, non tenentur medicationes in locis secretioribus à viris admittere: tum propter horrorem, tum propter periculum turpis motus: seclusis tamen periculis, quamvis non teneantur, tamen permittere possunt, si vellent. *Less. lib. 4. cap. 3. dub. 8. n. 60.*

26. *Choreæ* sunt licitæ. Vitiantur autem ex circumstantijs, præsertim modi, si fiant impudicè: vel adiuncti, scilicet, oblectationis carnalis coniunctæ: finis, si animo libidinem excitandi: personarum, si exerceantur à Clericis: Ex iure communi, renovato per Conc. Trid. *Sess. 24. c. 12.*

§. *De Ira.*

1. Ira dupliciter sumi solet: Communiter seu vulgariter, & propriè. Vulgariter pro quadam perturbatione animi, cum actuali impatientia: & nihil aliud. Propriè, pro appetitu vindictæ.

dictæ. Quod vt meliùs intelligatur, notandum est, quod in ira quatuor reperiuntur. 1. Perceptio mali illati vel proximè inferendi. 2. Sanguinis ebullitio, & fervor circa cor: tunc enim congregantur spiritus vitales in corde, ad adiutorium ipsius animalis, contra malum illatum, & sanguis in aduentu spirituum calidorum feruet & ebullit. 3. Postea consequitur alteratio, tàm interior, quàm exterior, scilicet concitatio cordis, tremor in membris, rubor aut pallor in facie, impedimentum in lingua, verborum confusio, clamor impetuosus cum exaggeratione, aliquando taciturnitas, torvus aspectus, &c. 4. Tandem accedit appetitus vindictæ, hoc est voluntas inferendi malum ei, à quo quis passus est iniuriam, ad recompensandam illatam. Et hoc quartum constituit iram propriè dictam. Nam sola apprehensio iniuriæ, excandescentia, &c. absq; appetitu vindictæ, vulgò quidem dicitur ira, non tamen propriè, neque completè: ac propterea neque mortalis est. Provenire autem solet, aut ex naturali complexione iracunda vel melancholica, propter quam etiam mulieres his passionibus subiectæ sunt: aut ex indispositione aliqua corporali, quæ infimos ac senes premere solet; aut ex fervore sanguinis, quo pueri & iuvenes abundant, aut ex accidenti, vt cum occupati rebus serijs, ex improviso distrahuntur. In duobus tamen casibus hæc vulgaris ira posset esse peccatum mortale. 1. Primò propter scandalum, vt si Prælatus, & qui occupantur in convertendis infidelibus, deliberatè talem passionem per signa nimiùm aspera, seu furiosa prodiderint. 2. Si ob perturbationem deliberatã paratus sit aliquid facere, quod sine mortali non esset.

1. Itaque talis ira, quæ ad vindictam pervenit, duplex esse potest: Licita & Illicita. Licita, vocatur ira per zelum: Illicita; ira per vitium.

3. Zelus est appetitus vehemens puniendi malum, secundùm tamen rationis ordinem, & legis dispositionẽ atque intentionem. Nimirùm, vt iustitia servetur, peccator emendetur, mali terrore coerceantur, boni defendantur, pax Reipubl: custodiatur: non verò vt peruersus animus mali irrogatione exsatietur. Hoc fine etiam à Deo expetere vindictam, sub aliqua ratione boni, licet. Pari modo desiderare malum, etiam mortem malis, Turcis, & alijs hostibus Ecclesiæ (etiamsi sciatur eos perpetuò damnandos) ne Ecclesia, aut boni iniquè opprimantur, ne iustitia aut divinus cultus conculcetur, non erit vitium, sed zelus. Hoc enim non est optare malum, vt malum est; sed vt ordinatur ad bonum, ac proinde est optare maius bonum, seu aliquid melius, quam sit vita impiorum. Similiter optare alicui morbum, vel infortunium, vt ad Deum hoc medio convertatur, vel propter vtilitatem Reipub: aut gloriam Dei; licitum est. Neq; est peccatum, lætari de morte alicuius, propter bonum & vtilitatem, quæ mortem eius sequitur: dummodò delectatio non feratur supra mortem ipsam directè, sed super bonum, quod inde oritur, *Sa. V. Charitas. n. 8. Less. lib. 8. c. 2. d. 3. Nau: c. 15.*

4. Ira vitiosa dicitur esse inordinatus appetitus vindictæ: hoc est, odio perso-

personæ, vel eo solo, quod aliquis iniuria nos affecit, atq; adeò, vt animus satietur, & sic conquiescat. Et talis ira ex genere suo est mortalis, quando est ex plena deliberatione, & malũ, quod infertur, est notabile.

5. Hæc inordinatio potest ex 4. partibus oriri. 1. Ex parte agentis, si mali illatio fiat priuatâ authoritate. 2. Ex parte patientis, si sit innocens, aut non tantum commeruit nocumentum. 3. Ex parte modi, si iudex contra iuris ordinem, seu non seruatâ forma iustitiæ, puniat: vel cum gravi excandescentia exteriùs apparente cum scandalo. 4. Ex parte finis, si non bono fine, nec zelo iustitiæ fiat, sed (vt dictum) ad satisfaciendum suo appetitui.

6. Potest autem ira esse peccatũ veniale, aut defectu plenæ deliberationis, vt in primo motu, præveniente iudicium rationis: aut defectu gravis materiæ, vt si quis leviter traheret puerum per capillos, vel aurem.

7. Germina iræ sunt in tres classes distributa. Nam in corde nascitur indignatio, tumor mentis atq; odiũ: quia ira solet crescere in odium, teste *S. Aug*: In ore, *Clamor, maledictio, contumelia, blasphemia, rixæ*. In factu: *pugnæ, seditio, factiones.*

8. *Indignatio est*, qua homo indignum reputat (illum, à quo malum accepit) suâ affabilitate, familiaritate, & colloquio, avertens ab eo faciem, aut oculos suos, nolens de eo audire vllum verbum bonum, ac detestans, quod ei aliquando amicus fuerit, servierit, defenderit, aut benefecerit.

Hæc indignatio, mortalis est in tribus casibus. 1. Si iratus decreverit, paratusuè sit non iuvare offendentẽ, etiam in graui necessitate, quando obligaretur. 2. Si accedat notabilis interior contemptus, quo nihili æstimaretur, tanquam vilis & indignus: ac proinde hic interveniret superbia: quia iratus se extolleret, alterúq; præferret, iuxta superius dicta. Quando ex tali aversione animi, & subtractione signorum amicitiæ ciuilis, notabile scandalum sequeretur. Aliàs erit veniale, aut nullum; si hoc fiat ex iusto rationis iudicio, absq; inordinato affectu; vt puta, propter correctionem, ad tempus non prolixum, secluso scandalo, &c.

* *Scias ex 2. Sent. Mor. d 4. Non exhibendo proximo signa honoris consueta ex more patriæ, si alias fuerunt exhibita, & modò propter inimicitiam omittuntur, committitur peccatum, secundùm M. Bannez, mortale. Secundùm M. Lorcam, veniale. Quia omissio salutationis etiam debitæ, saltem vnâ vel alterâ vice non est p. mortale.*

9. *Tumor mentis*, quo in corde iniuria versatur, ruminatur atq; exaggeratur: cum repetitione causæ, & interiori aspera responsione, excogitatione mediorum ad exercendam vindictam: ac proinde quasi tumescit mẽs, tali amaritudine repleta, vbi facilè est peccatum mortale deprehendere, si propter tales cogitationes accedat consensus in vindictam faciendam: quod ad iram propriè spectat.

10. *Odium est*, quo quis optat alicui malum. Differt autem ab ira, quod iratus non intendit nocere nisi ei qui sibi vel suis nocuit: vt vindicta sit quasi quædam recompensatio. Per odium autem intenditur malum absq; tali respectu, sed absolutè, eò

tantùm

tantùm fine, vt alicui male sit, propterea, quod vel nequam est, vel nobis contrarius, aut infensus: vel quia eius persona est odiosa, nobisq; displicet: aut quia eius dispositio contrariatur affectui nostro. Estq; hoc odium ex genere suo mortale: nisi indeliberatione excusetur, aut parvitate mali.

11. *Clamor*, est confusa, tumultuosa, sub lata voce locutio. Regulariter veniale est ex se, nisi scandalũ, aut præcepti transgressio, in re, vel in animi præparatione accesserit.

12. *Maledictio*, est imprecatio alicuius mali, sibi, vel alteri. Ad hoc, quod maledictio sit peccatum mortale, duo requiruntur. 1. quod sit deliberatũ desiderium, vt illud malum eveniat. 2. quod illud malum sit notabile. Defectu horum erit veniale. 1. Vt si deliberatio nulla præcessit, sed ex lapsu linguæ accidit, seu ex subreptione: videlicet ex ira, aut alia passione, ante rationis considerationem, & citra consensum. 2. Vel si imperfecta deliberatio fuit, vt fieri solet ex prava consuetudine. (*Caiet. Sum. V. Maledictio*) dummodo malus usus displiceat, & deponi curetur. 3. quando illud malum est exiguum; ut si desideretur, amissio solidi, vel grossi, ubi adest pecuniæ sufficientia. 4. Vel quamvis malum sit magnum, non tamen ex corde desideratur, sed ore tantùm; vt communiter solent parentes filijs vel familiæ, & rustici suis iumentis maledicere. Quamuis talis consuetudo (inquit *Sot. lib. 5. de Iust.*) sit pessima, nec ad correctionem aliquid confert, & aliquando mutato animo conuertitur in odium, & in mali verum desiderium. Sciendum enim est, quod aliquando passio iræ posset prævalere, & flectere voluntatem ad consensum. Consensus quoque & deliberatio, possent accidere in momento; neq; exigunt longum tempus. Neq; semper sufficiens signũ est venialis peccati, aut quod non ex intentione sit maledictum; statim transactâ passione, dolere vel pœnitere dicti aut facti; sed solummodò signum est, quod non perseveratur in malo animo.

* *Hoc est quando positâ plena advertentia interrumpitur actus peccaminosus.*

13. *Contumelia, convitium, opprobrium, improperium*, aliquando propriè sumuntur, vide *D. Th. 2. 2. q. 72. a. 1.* Et *Nau. c. 18. a. 10* aliquando confunduntur, & prò eodem vsurpantur, vt hic. Sumitur itaq; hic contumelia pro obiectione alicuius defectûs, in detrimentũ honoris, siue sit defectus culpæ tantùm, vt dicendo aliquẽ furem. &c. siue defectus pœnæ, aut defectus naturæ, vt dicendo fatuum, cœcum. &c. vel exprobrando beneficium tempore necessitatis collatum.

14. Est autem peccatum mortale. 1. Si notabiliter lædit honorem, quamvis non esset intentio dehonorandi aliquem. 2. Si proferatur in gravi impetu iræ, iudicium rationis non omninò auferente, quia quantò maior excandescentia, tantò magis lædit alium prolata contumelia. 3. Si valdè confunditur aut cruciatur is, qui afficitur tali contumeliâ. Vnde etiam illi, qui causâ correctionis aliquid tale proferunt, discretè & moderatè talibus verbis vti debent: quia posset accidere vitium incautè prolatum, quod auferret honorem eius, contra quem profertur: & tunc esset peccatum mortale. *D. Th. 2. 2. q. 72. a. 2.* Similiter quando hæc

verba

verba procedunt ex nimio furore ac cum magna amaritudine proximi talia patientis. Non itaquè debent putare Domini, Parentes, Praelati, Magistri, patres & matres familias, sibi licere efsutire in subiectos quodcunq; voluerint: obiurgationes enim superiorum, metas excedere non debent.

15. De blasphemia dictum est. *Rixa* verò potest esse tàm verbis, quàm *factis*. Et *verbalis* quidem est contentio seu altercatio aliquorum sibi contradicentium cum affectu & clamore. Hæc si fit cum obiectione defectuum, lædentium notabiliter famam aut honorem, aut cum aliorum scandalo, erit mortalis. *Realis* autem rixa (ex Glossa allegata à D. Th. *2.2. q. 41.*) est, quando aliqui ex ira inuicē se percutiunt: & ideo dicitur priuatum bellum, vbi invasor semper peccat, pro gravitate percussionis; invasus verò, si moderatè se defendit, neq; intendit deliberatè graviter offendere inuadentem, non peccat mortaliter, sed aut nil, aut venialiter tantùm, videlicet, quando se immiscet levis motus odij vel vindictæ, aut parùm exceditur moderata defensio.

16. *Seditio & factiones*, sunt ex se peccata mortalia: quia sunt contra iustitiam & bonum commune, quod perturbatur per tales.

ADDITIO *ad n. 3.*

Etiam virtualiter & interpretatiuè (rigorosè hæc sumendo) nequit secundùm Authorem N. delectatio ferri super mortem in dicto casu, hoc enim esset velle mortem directè, quàmvis mediatè. v. Philippum à S. Trinit. *in 1. 2. disp. 7. dub. 3. & 5.* §. Supponendum. *& disp. 8. d. 4.* vbi explicat dictos terminos. Fertur ergo in dicto casu delectatio indirectè in mortem, in quantum mors cum commodo ex morte secuto, hic & nunc coniuncta.

§ *De Gula.*

1. *Gula*, est cibi & potûs appetitus inordinatus: hoc est debito modo, & necessitate carens, aut non observatis debitis circumstantijs.

2. Communiter est peccatum veniale, siue sit propter ciborum multitudinem, siue propter nimiam, avidam, frequentem, acceleratamquè sumptionem.

3. Potest tamen contingere, ut sit mortale, ratione alicuius annexi. 1. Si ita est deditus nimio cibo & potui, vt malit quomodocunque peccare, quàm abstinere. 2. Si ob pretiosum atque lautum victum, reddat se impotentem ad soluendum debita, prouidendum domesticis, & gravi necessitati proximi: 3. Si ob esum ac potum adverteretur secuturum notabile nocumentum in corpore. 4. Si ob nimium potum voluntariumq; incideretur in ebrietatem, quæ sit cum priuatione iudicij. 5. Si ex tali excessu proximus valdè scandalizaretur: quod fieri posset ratione personæ perfectionem profitentis, vt sunt Episcopi & religiosi. 6. Si cibus sit contra naturam, qualis est caro humana, quamvis exigente aliquâ infirmitate, vel gravi necessitate, liceret vesci paratis, & iustè interfectis; tamen ad hunc finem occidere nullatenus liceret. 7. Si propterea aliquis se exponeret periculo peccandi mortaliter, siue per luxuriam, siue per rixas, percussiones,

ones, & alia: dummodò hæc prævide-
rit. 8. Qui diebus ieiunij aliter quàm
concessum sit, vel pluries comedit, aut
etiam alijs ministrat vetita: nisi ne-
cessitas evidens, ciborum licitorum de-
fectus, superiorisuè concessio excuset,
aut etiam id fiat ad vitandum magnum
aliquod incommodum, vt dictum est
supra in §. *de Præceptis Ecclesiæ* § *de Ie-
iunio*. 9. Si ex propinatione aut pro-
uocatione ad nimium potum, aliquis
inebriaretur. Hinc caupones ministrā-
tes potum ei quem credunt inebrian-
dum, peccant mortaliter. Neque pos-
sunt lucrum reportare, aut expectare
ex peccato alterius: nisi ex denegatio-
ne potûs, magnum eis periculum vel
detrimentum immineret. Quod qui-
dem excusaret in aliquibus casibus ve-
ris, non tamen posset trahi in consuetu-
dinem, ad casus, qui fingi vel sperari
possent.

4. Sciendum autem est, quod ebri-
etas est in potando voluntarius exces-
sus, causa voluptatis, cum violenta ra-
tionis priuatione. Huius declaratio-
nem vide in *Lessio lib. 4. cap. 3* Et *Azor
t. 1. lib 7. c. 2. 2. q. 5.*

5. Porrò peccata in ebrietate cul-
pabili commissa, si non fuerunt prævisa,
non sunt noua peccata, sed tantùm ag-
grauant ebrietatem; eò quòd dans o-
peram rei illicitæ incidit in ea. Si au-
tem fuerunt affectata, aut aliquo mo-
do prævisa, vt quia expertus est quis se
in talia incidere ob ebrietatem, non
tantùm aggrauant, sed etiam tanquam
distincta peccata imputantur.

6. Vomitus post superfluum potū
accidens, non efficit ex se mortale, si a-
lias vsus rationis non est amissus.

7. De quinque filiabus gulæ, nihil
speciale occurrit dicendum: Nam qua-
tenus earum notitia ad confessionem est
necessaria, alibi declaratur.

§ *De Inuidia.*

1. *Inuidia*, est dolor conceptus ex a-
liena prosperitate; seu: Est tristitia de
alieno bono, eo quòd impedit aut dimi-
nuit, seu obscurat inuidentis excellen-
tiam.

2. Magni refert naturam inuidiæ
plenè cognoscere, ideò hæc descriptio
accuratè est declaranda.

Sciendum est itaq;, quod inuidia in-
ter eos inuenitur, qui quasi æquales re-
putantur: ideo quotiescunq; æqualis ex-
cedit alterū, & ille alter dolet, eò quòd
inferior videtur, & sua excellentia per
bonum alterius minuitur, tunc invide-
re dicitur.

Secundò sciendum est, quod bona ho-
minis sunt; *Scientia, honor, fama, repu-
tatio, diuitiæ, fauor, veneratio, dignitates, &c.*

3. Tertiò sciendum est, quòd potest
quis tristari de bono alterius propter se-
ptem respectus. Primò, quia sunt bo-
na eius, cui malum optamus. Et hoc
pertinet ad odium: quando enim alicui
desideramus malum, displicet nobis bo-
num eius, cuius priuatio, est ipsius ma-
lum. Secundò, quamuis in se bona sint;
tamē præbent habenti occasionem ma-
li, vt insolentiæ & multorum scelerum:
ideò vellemus illos tali prosperitate ca-
rere, propter eorum bonum spirituale.
Et hoc spectat ad charitatem. Tertiò,
quia bonum alicuius est nociuum alijs,
vtpotè, quia sunt scandalosi, corrupto-
res, oppressores, vt hæresiarchæ, Tyrā-
ni, Turcæ, Tartari: propterea licitum
est eis optare mortem ne alios inficiant,
vel malum inferant, quod est compassi-

onis. Quartò, quia bonum illud ipsi dolenti est formidiosum, speranti ex alicuius officio, dignitate, diuitijs, sibi aliquid iniustè prouenturum; quod pertinet ad timorem. Quintò, quia illo bono est indignus. Et hoc pertinet ad nemesim, quam aliqui quandam indignationem dicunt. Vide *Caiet. Sum. V. Nemesis.* Vbi posset interuenire peccatum mortale, si accesserit Dei tacita quædam reprehensio, quasi malè distribuat: si non; erit veniale. Ex quo enim Deus ita vult; inanis est talis dolor. Quod si dolor sit de iniustitia in distributione per homines violata, nullum peccatum erit, sed ad zelum pertinebit.

Sextò, vel aliquis contristatur de alieno bono, eò quod ipse dolens eo caret: quod ad æmulationem spectat. Sed hic respectus vt intelligatur, sciendum est, quod illa bona, ob quorum absentiam tristamur, aut sunt spiritualia, aut temporalia. Si spiritualia, & ad animæ salutem pertinentia, talis æmulatio est sancta, vt quia video hominem pœnitentem, deuotum, religiosum, tristor ex tali bono, non quia in illo est, sed quia in me non est. Quod si illa bona spiritualia sunt, sed ad salutem non necessaria, aut etiam sunt bona temporalia: tunc si sunt proportionata dolenti, licet tristari & desiderare, vt qui non habet eruditionem, aut congruam sustentationem, videns, æquales in hoc fæliciores, tristatur, quia necessarijs caret, non quia alij habent.

Si verò talia bona sunt improportionata, & personæ dolentis minùs cõuenientia, peccatum est in dolente, sed veniale; vt si mediocris fortunæ homo tristetur, eò quod non sit Rex, Papa, Episcopus: (nisi velit talia habere ad malum lethaliter finem) tunc enim esset mortale, sed si ad finem honestum, nullum erit peccatum.

Septimò, potest quis tristari de bono alterius, quatenus illud bonum proximi, malum dolentis est; hoc est, quia redundat in aliquod eius gloriæ incommodum, vt dictum est. & hæc tristitia propriè est inuidia.

4. Inuidia verò ex se est peccatum mortale, nisi desit vsus rationis, vt in pueris: vel fit de re minima, vt in iunioribus aliquando contingit, qui solēt socijs leuiuscula inuidere: vel primus seu imperfectus motus, seu imperfecta rationis deliberatio excuset. Sæpè enim in parte sensitiua, aut etiam in ipsa voluntate consurgit motus quidam subitus, & ferè naturalis, propter quem homo absque plena animaduersione intellectus, tristatur de bono sui æqualis.

5. Inuidiæ germina sunt; *Odium, susurratio, detractio, lætitia de aduersis proximi, affectio in prosperis,* de odio dictum est iam.

6. *Susurratio,* est seminatio discordiarum inter aliquos, referendo alicui eorū, quæ dicta vel facta sunt, contra eum ab altero. 7. Est peccatum mortale grauissimum ex se, quamvis sit absque intentione lædendi amicitiam: nisi paruitas rei narratæ excuset.

8. *Gaudium* in aduersis proximi, & cruciatus ex prosperitate, si tàm bonū quàm malum sint alicuius momenti, & cùm deliberato consensu fiant, sunt mortalia.

9. *Detractio,* est denigratio, seu violatio alienæ famæ per verba in occulto dicta: hoc est insinuatio alicuius defectûs proximi, qui sit contra bonos mo-

res, seu honestatẽ vitæ, ac proinde contra famam vel honorem eius, in absentia tamen illius. Nam si esset in præsentia, ad contumeliam quoque pertineret.

10. Est autem differentia inter obiectionem defectûs in præsentia, (quod fit per contumeliam) & obiectionem in absentia vel occulto, (quod fit per detractionem.) Nam interdum de absente dicere aliquid leve, vt puta, eum esse mentitum, non est mortale: in faciem autem ei dicere ex furore, *Mentiris*; esset mortale secundùm conditionẽ personæ: quoniam in præsentia dictum, cedit in magnam confusionem eius & turbationem, non vero in occultò.

11. Sciendum autem est, quod nõ tantum detractio est, quando aliquod falsum confingitur, (quod ad calumniam spectat) sed etiam quamuis verum sit, secretum tamen est peccatum: Similiter quando verus defectus exaggeratur & amplificatur, aut alterius factũ sinistrè torquetur: imò etiam (quod est indirectè detrahere) cùm dotes aut rectè facta alicuius negantur vel extenuantur, aut etiam tacentur tunc, quando manifestari deberent, & silentium pro vituperatione intelligeretur: similiter si quis frigidè & simulatè laudaretur, ita vt audientes hæsitent, vel nihil existiment laude dignum in eo inveniri.

12. *Detractio* est peccatum mortale. 1. quando intenditur læsio famæ: tunc enim etiamsi non succederet talis affectus, eò quod non adhibetur ei fides, vel quia vitium omnibus notum est, aut leve, nihilominùs propter intentionem lædendi graviter famam, est mortale. 2. Quando non est quidem animus denigrandi famam (fortasse enim ex levitate aut loquacitate id fit) sed tamẽ ob manifestationem talis criminis, de facto notabile detrimentum famæ aliquis patitur. 3. quando honesta persona valdè confunditur, turbatur, & iniuriâ afficitur propter talem narrationem, nisi illa sit adeò morosa, vt levissimum verbum eam offendat, quod cõmuniter alij non curarent. 4. Si ob id magnum damnum subiret, vel amicum amitteret: Tunc enim etiamsi levis defectus sit narratus, ratione annexi damni notabilis, esset mortale.

Aggravatur autem peccatum detractionis, si sit contra parentes, sacerdotes, superiores, &c. Vnde & in confessione exprimenda est hæc circumstantia, *Burgundus in prax. pœnit.*

13. Excusatur à mortali. 1. qui ex linguæ lapsu, & impræmeditate aliquid graue euulgaret: teneretur tamẽ ad restitutionem, sicut alij. 2. quando illud dictum est leve, nec grauiter famam lædit. Quod idcircò additum est, quoniã potest in se esse leue, sed propter aliquas circumstantias, erit graue, & ideò notabiliter lædet famam. Vt, mentiri iocosè, est in se leue, sed propter circumstantiam frequentationis, potest grauiter lædere famam: vnde dicendo de aliquo, quòd sit mendax, per quod importatur ipsum solitum mentiri, & vitium in habitu seu usu frequenti habere, peccatum est mortale. Similiter propter circumstantiam personæ. Nã si de persona in statu perfectionis existente, quædam leuia narrarentur notabiliter reputationem minuentia, peccatum posset esse mortale: vt de Episcopo, aut Religioso, quod sint commessatores, auari, iracundi, ambitiosi, fœmi-

nas sæpiùs alloquentes, vanitati dediti. 3. Quandoq; peccatum in se est mortale, sed in reputatione peccantis, quasi pro nihilo habetur: & tunc tale peccatum de eo dicere, non erit mortale, vt de milite quod provocaverit ad duellū, aut seduxerit virginem, vel quod habeat concubinam. De iuvene quòd sit mundanus, dans operam amoribus. De aulico, quod habuerit vel habeat morbum Gallicum. Quoniam enim tales non solent curare huiusmodi infamiam, & interdū gloriantur; quamvis non fecerint, ideò hæc narrans non peccat mortaliter. 4. Adhuc (non est mortale) obloquendo dicere generalia peccata, quæ possunt intelligi tam de mortalibus, quàm de venialibus, vt dicere aliquem esse superbum, avarum, iracundum, &c. quia talia potiùs important inclinationem naturalem ad excellentiam, iram, &c quàm peccatum mortale, nisi audientes intelligant superbiam aut iram lethalem: & nisi conditio personæ etiam talium peccatorū generalium nota graviter dehonestetur; vt qui dixerit de principe tam Ecclesiastico quàm sæculari, quod sit pertinax, & sequatur notabilis infamia. 5. Defectus manifestos tam per facti evidentiam, quàm in iudicio notos propalare, non est regulariter mortale. Vnde de convicto, confesso, condemnato, referre delicta, pro quibus puniri debet, & quæ sunt nota toti civitati, vel dimidiæ parti regni, civitatis, viciniæ, non est mortale, sit absit intentio infamandi. *Sayro.* Sed neq; est mortale hoc, per literas viciniæ civitati, ad quam brevi aut facilè talis notitia perveniret, significare. Quòd si locus distans esset, non liceret: præsertim, si emendatio est secuta. *Sayro.* Quæ tamen in vna tantùm domo nota sunt, ea divulgare non licet. *Lessius.*

14. Excusantur quoque ab omni peccato: 1. Qui bono animò denunciat excessus alicuius, iudici, parentibus, magistro, patrifamilias. 2. Qui revelat eosdem alicui ad obviandum eius periculo damno, vel infamiæ, infectioni: quia nemo habet ius conservandi famam suam cum magno damno proximi. Vnde si tu scias (extra tamen Sacramentum pœnitentiæ) aliquem innocentem capite plectendum, debes prodere nocentem, si aliter innocentē nequeas liberare. Similiter, si scias in familia furem, nec prodesset monitio secreta, potes herum certiorem reddere, vt vel cautior sit, vel non acceptet ipsū in famulum. Pari modo, si flagitiosus velit religionem ingredi, Matrimonium contrahere, Ordines suscipere: potest qui scit eius ineptitudinem bonâ conscientia significare. Et in hunc finem tantùm inquirere defectus proximi licet, sicut & propter electionem, officium, &c. *Vide Less. Nauar: Prax: Leonard.* 3. Licet etiam ad consilium capiendum vt evitetur aliquod malum: adhibitâ cautela, ne plus quàm necesse sit manifestetur, & secretum quantum fieri potest, teneatur. 4. Parentes quoq; propterea licitè loquuntur de defectibus liberorum suorum, secluso omni incommodo.

15. Pro maiori dilucidatione & intelligentia detractionis, subijciuntur alij casus: 1. Defectus ad intellectū, vel corpus, aut fortunam, vel originem spectantes propalare, non est mortale si fit abiq; gravi subsannatione, aut ir-

risione,

risione, vt quod sit ignarus, indiscretus, podagricus, castratus, nasutus, strabo, gibbosus, pauper, plebeius, Scytha, Turca, Iudæus baptizatus: nisi hinc aliquod damnum, vel impedimentum incurrat. Sunt tamen inter naturales defectus aliqui propiùs ad infamiam accedentes, vt esse illegitimum: qui si dicantur coram nescientibus, de persona optimæ conversationis ac reputationis, aut etiam suthoritatis, præsertim in quibusdam regionibus, vbi tales cõtemptui habere solent, profectò peccatum mortale esset. Et nihilominùs, quicquid sit de detractione: si tales defectus intellectus, corporis, fortunæ, & originis, in præsentia alicui, obijcerentur ex furore, peccatum mortale esset; maximè qui graviter honorem lædunt, confundunt, nimioque pudore & mæstitia afficiunt; vnde tunc ad cõtumeliam spectant. 2. Dum scientes alicuius defectum grauem, secum de eo tractant; aliquando id licitè faciunt, si ad bonum aliquem finem, talis sermo referatur: aliquando peccant venialiter, si ex leuitate ac curiositate id faciant: aliquando mortaliter, si aut congaudendo proximi malo, aut animo infamandi hoc fiat. 3 Revelare alicui gravi & bono viro in secretis, malum occultum de proximo, omninò est peccatum, & sæpè mortale. Nam quamvis etiam hic vir secretus, nec alteri manifestaturus sit: pluris tamen æstimatur ab aliis, infamari, apud vnum talẽ, quàm ex vulgo apud plures. Idem tenendum est de amicis & coniugibus. Neq; enim licitè vir vxori, & viceversa, narrabit secreta crimina proximi, per quæ læditur fama notabiliter. 4. Non excusat detractionem narratio dubia, vel relatio auditorum ab alijs, vt, si quis addat, se non asserere pro certo, aut se ab alijs audiuisse. Sunt enim quædam nefanda, quorum etiam suspicio cadens in personam honestam, valdè contaminat vitam ipsius, & famam minuit. 5. Diffamatum in vno genere peccati, vt puta, furti, non licet infamare in alio peccato secreto, vt puta homicidij. 6. Mortuis quoque detrahere non licet: tum quia ipsi vivunt in memoria hominum: tum quia posteritas cõfusionem pati solet. Hinc neq; historici sunt immunes à peccato detractionis, si peccata occulta scribãt. Publica tamen licet, bono zelo, ad aliorum exemplum, vtilitatemq; communẽ; non verò ex odio, invidia, vindicta, aut animo infamandi: hoc enim mortale est, etiam in manifestis. 7. *Detractio*, est dicere de aliqua religione, quòd in ea non est obseruantia, vel quod malé vivitur &c. nisi id alias esset manifestum. *Sayro l. 11. c. 6. n. 20. & alij ibidem citati.*

Similiter, si aliquod scelus religiosi manifestaretur, quamvis persona non nominaretur, dummodò exprimatur locus, aut specificetur religio, & in Religionem vel Monasterium redundet infamia. 8. Iniustè diffamatus, licitè obijcere poterit diffamatori crimen occultum verum, non quodvis, sed per cuius manifestationem detraheretur ei fides in dictis, vt, dicendo, ipsum solitum mentiri, esse periurum, calumniatorem, &c. *Less. Azor. Sayro.* 9. Hominem fingentem se Medicum peritũ Theologum doctum, quẽ scio esse ignarum, aut falsum docere, possum & debeo, quando id bono communi necessarium est, detegere. Quando autem hoc nemi-

nemini nocet, vt, si pauper fingeret se sanctum, & ideò eleemosynas compararet quamvis eius occulta peccata sciam, tacere debeo. Et idem de omni alio, qui in Republ. bonum nomen fraude, per falsas fictasq; virtutes, est affectus. 10. Qui vltrò citròq; seipsos infamant, non mortaliter peccant, sed venialiter: quia quilibet est dominus famæ suæ, nisi accedat scandalum, aut redundet infamia in communitatē vel posteritatem.

Qui etiā ob tormenta gravia, se absque periurio infamant mendaciter, venialiter quoq; non mortaliter peccant; quia in tali casu, mēdacium est officiosum, & nemo tenetur tueri vitam cum tot doloribus. Verùm qui ob leves torturas sibi falsa imponunt, peccant mortaliter, & si ob suam falsam confessionem capite plectuntur, sunt sui homicidæ. *Less: lib: 2. c. 11. d. 7.*

16. Restitutio famæ necessaria est ad salutem; quia aliter peccatum non dimittitur. Facienda autem est corā iisdem, qui detractionem audierunt, neq; insinuanda est læso, nisi ipse quoq; resciuerit: tunc enim etiam ab eo venia petenda esset.

Et quoniam diffamatio potest esse de crimine, tàm vero, quàm falso, ideò non vnus modus est restitutionis famæ. Nam si falsum crimen narratum sit, in restitutione fatendum est expressè, falsum se dixisse. Quòd si verùm sit, tunc difficilior & varius est modus restituendi. Mihi talis placet, vt suppresso peccato, per aliquam occasionem, honesta mentio fiat de offenso, & virtutes, si quæ possent verè in eo inveniri, recēseantur, præsertim, quæ aliquo modo infamiam purgent, & bonam reputationem generent. Et sic, quamvis illā parte non possit resarciri fama, saltim ex altera recompensabitur.

Verùm apud simplices, faciliùs restitueretur dicendo: Quamvis dixerim de hoc talia, tamen pessimè feci. Neq; omnibus fides potest adhiberi quæ dicuntur, cùm sæpiùs falsus rumor, etiam contra honestos spargi soleat: Non est ita de eo sentiendum. Cavendum tamen est, ne in solertem incidas, apud quem talia dicere, esset detractionem confirmare.

17. Decem sunt, quæ à restitutione famæ excusant. 1. Læsi condonatio, sive gratis, sive ob acceptum munus, nisi eius infamia in alios redundet. 2. Si ambo se diffamaverint: vnde nolente vno compensare, alter non obligatur, donec & ille quoque idipsū velit. 3. Si fama, alio modo iam est recuperata. 4. Si infamia, creditur verè iam oblivioni esse tradita; 5. Si illud peccatum occultum per aliam viam est divulgatum & publicatum. 6. Si restitutio est impossibilis, vt, quia nescitur, vbi sint illi, coram quibus diffamatio est facta. 7. Si non posset fieri absq; vitæ periculo. Si tamen ex detractione falsa immineret, aut periculum vitæ alicui, aut mala administratio Reipubl; vel aliud grande malum, tenetur detractor cum vitæ periculo reparare. 8. Si non possit fieri sine amissione famæ diffamatoris, qui est longè maioris conditionis, quàm diffamatus: vt si prælatus vel Illustris infamavit hominem vilis conditionis. Tunc enim sufficit vt illum laudet in eo genere virtutis, vbi infamavit: aut remissionem humanitate & muneribus pecuniauè impetret. 9. Si credens

esse verum & publicum, narrauit; neque posset salua sua reputatione aut fama, recompensare. 10. Si nulla est infamia ex narratione secuta; aut quia omnibus vel auditoribus illud crimen erat notum, aut quia diffamatori non est fides adhibita.

18. Audiens detractorem, tunc peccat mortaliter. 1. Quando præbet causam detractori ad infamandum, teneturq; ad restitutionem. 2. Quando laudat detractorem ob diffamationem. 3. Quando consentit detractori, vel delectatur detractione mortali, siue propter odium latens, vel expressum, siue ob curiositatem, aliamuè causam. 4. Qui cùm sit tantæ authoritatis, vt possit detractorem reprimere, contradicendo, aut prohibendo, & nō facit. Nam Superior, herus, paterfamilias; id ex officio & possunt & debēt facere. Cæterùm homo priuatus, tūc obligatur, resistere diffamatori, quando absquè suo magno incommodo id efficere potest.

19. Nihilominùs si diffamator sit perditissimus, qui coercentem aut iniuria afficeret aut peior ex admonitione evaderet, tunc satius est tacere. Eodem modo dicendum est de superiore, aut persona altioris conditionis, quam monere, difficile est subdito, aut famulo, nisi alicuius reputationis sit inferior, & cum magnis obseruationibus faciat.

20. Resistendo verò satis erit modestè monere, ne talia faciat; aut etiam prudenter divertere sermonem ad alia; aut recedere ab eo; aut rugata facie, demonstrare sibi ingratam esse detractionem.

§ *De Acedia.*

1. Per Acediam ego intelligo negligentiam propriæ salutis, seu actionū piarum vel salutarium, ad salutem ordinatarum. Nam Græcè Κῆδος, Latinè labor vel cura dicitur, vnde ἀκηδία quasi absq; cura seu labore. Porrò hæc negligentia importat hic habitum & consuetudinem non adhibendi curam circa salutem & pertinentia ad eam, hoc est circa finem, & media, per quæ obtinetur finis. Vnde tam generalis negligentia ex natura sua est peccatum mortale: quia affert præsentissimum periculum damnationis æternæ.

Et quoniam acediam varij variè (quod etiam obscuritatem parit) explicant, ideò curandum est nobis omnes expositiones ad filias reducere.

2. Septem filiæ accediæ assignantur: *Pigritia seu torpor, Tædium seu fastidium; Evagatio mentis: Pusillanimitas: Aversio à bono divino: Exasperatio contra benè monentes: & Desperatio.*

3. *Pigritia* seu *torpor* est, quando homo negligit & omittit facere, quæ ex præcepto tenetur, vt est, Communio Paschalis, annua Confessio, horarum Ecclesiasticarum recitatio, Missæ in festo auditio. Et quamvis hoc peccatum mortale sit, non tamen inducit circumstantiam necessariò confitendam: Sufficit enim fateri, id, quod est omissum, non addendo: hoc esse factum per acediam.

4. *Tædium* est, propter quod aliquis inchoans bonum opus, nauseat super illo, tanquam insuaui, & deserere proponit. Estq; mortale tunc tantùm, quando ex debito erat perficiendum.

5. *Evagatio mentis* est, quando quis refugiens sancta, diuertit ad impertinentia, quæ in cogitatione sua versat, & deserens attentionem debitam, di-

stracti-

ſtractionem voluntariè admittit. Quæ quidem ſpontanea divagatio in horis, & miſſa, ex præcepto, pro magna parte illius divini officij admiſſa peccatum mortale eſt; & ſic orans præcepto non ſatisfacit,

6. *Puſillanimitas* eſt, qua homo non audet divina conſilia, quæ perfectionis ſunt, aggredi. Sed hæc ex ſe veniale peccatum eſt,

7. *Averſio* a bono divino, quæ à D. Gregorio per Antonomaſiã malitia dicitur, peccatum mortaliſſimum, quod ſecundùm Theologorum declarationem conſtituit ſeptimum peccatum inter capitalia, Acedia, dictum, & nos ad hanc filiam facilitatis cauſa reduximus.

Deſcribitur autem ſic: Quod eſt triſtitia, aggravans hominem propter bonũ ſeu beneficium à Deo nobis exhibitum. Vt, ſi quis in tantum averſus & elongatus eſſet ab amore cæleſtis patris & patriæ, quod audiens vel cogitans, ſtatutum ſibi à Deo, quod ſit futurus civis Sanctorum, & domeſticus Dei, per gratiam & gloriam, triſtaretur ac faſtidiret, quaſi nolens hoc eſſe: Aut diſplicerent ei bona ſpiritualia in ſe, velletq; ea non habuiſſe ac pœniteret eum benè feciſſe, & quod tenebatur impleviſſe: aut contemneret Dei beneficia, deſiderando ſe non fuiſſe natum, non eſſe ad beatitudinem ordinatum, non cognoviſſe Chriſtũ: deteſtaretur quod ſint ei proviſa ad beatitudinem media, vt Sacramenta, præcepta, doctrina fidei, virtutes Theologicæ, &c. Talis inquam completè eſſet averſus à bono divino, & propriè ſecundùm Theologos peccaret graviſſimo peccato acediæ.

8. Raró adeò perditi invenirentur, qui id expreſſe cogitent, & vtinam non inveniantur. Inveniuntur tamen. Hũc ſpectant illi, qui propter nimium affectum ad res temporales, ac mundi huius immundi commoditates & voluptates, amiſſo guſtu ſpiritualium, deſiderãt in mundo perpetui eſſe, non curantes cæleſtem patriam, eiuſq; gaudia iucundiſſima, & interdum corde & ore beatitudini renunciantes, præponentes hæc viſibilia inviſibilibus.

9. Hinc colligi poteſt, vulgum, nec benè nec propriè intelligere hoc peccatum acediæ, pro ſegnitie aut pigritia ad Dei obſequium: aut pro triſtitia de ieiunio, incidente tali tempore, vel concione audienda in tali loco, oratione tali horâ: & alio bono opere, in quantum eſt laborioſum, animo & corpori moleſtum, vel impeditivum delectationum mundanarum; talis enim triſtitia ex repugnantia ſenſualitatis ſuboritur, & regulariter etiam conſenſu rationis accedente, veniale peccatũ eſt. Peccatũ verò acediæ mortaliſſimũ eſt, ut dictũ eſt, contra charitatẽ ſui ipſius, quando ſcilicet aliquis triſtatur de bono divino, non quatenus eſt arduum & difficile, ſed quatenus ad nos pertinet, nobis eſt vtile, & noſtrum beneficium, ducens ad finem, vel conſiſtens in fine excellentiſſimo.

10. *Exaſperatio* in benè monentes, quæ ab alijs *Rancor* dicitur, importat hic quandam animi commotionem contra benè monentes, & ad ſpiritualia inducentes: quales ſunt Concionatores, Confeſſarij, ſuperiores, viri pij, parentes, &c. Eſt autem peccatum hoc veniale, niſi cum odio vel contemptu monentium, aut cum abominatione rerum ſpiritualium coniungatur.

11. *Deſperatio* eſt, qua homo diffidit ſe

dit se salutem æternam consecuturum, & ideò, quasi eam à se respuit. *De hac paulò inferius.*

§ VI.

De peccatis quinq; sensuum exteriorum nihil occurrit dicendum. Siquidem superiùs diversis in locis enucleata sunt, præter peccatum per olfactum, quod ex se veniale est, nisi ordinetur ad finem mortalem.

Itaq; dicendum est aliquid de peccatis contra Spiritum sanctum.

1. Ex peccatis quæ diversis virtutibus adversantur, sunt quædam graviora, quæ nuncupantur peccata contra Spiritum sanctum, eò quòd specialiter militant contra honorem Spiritus sancti: Nam huic appropriatur bonitas, ex qua profluunt dona Dei in nos, & dicuntur effectus Spiritus sancti in nobis. Hæc autem dona Dei retrahunt nos a peccato. Igitur qui abutitur, aut contemnit ea, per quæ retrahi deberet à peccato, iniurius est specialiter Spiritui S. Et eatenùs dicuntur peccata ex certa malitia, & peccata blasphemiæ contra Spiritum sanctum.

2. Talia peccata numerantur sex: *Desperatio*, per quam abîjcitur misericordia Dei, quæ potiùs peccatori speranda erat, & à perseverantia in peccato retrahere debebat.

Præsumptio, per quam reijcitur iustitia Dei, quæ timenda erat, vt potè deterrens hominem à peccato.

Impugnatio agnitæ veritatis per quam spernitur veræ fidei cognitio docens peccatum deserendum vel vt D. Thomas dicit, dum aliquis veritatem fidei agnitam impugnat, vt licentiùs peccet, quod faciunt hæretici.

Invidentia fraternæ gratiæ, per quam oppugnatur communicatio divinæ gratiæ in alijs.

Impœnitentia, per quam nihil æstimatur inordinatio & turpitudo peccati, quæ abominabile reddit peccatum.

Obstinatio, per quam non perpenditur vilitas & brevitas voluptatis, aut commoditatis, in peccato.

3. Perpendamus hæc fusiùs. *Desperatio*, inquam est, quando quis abijcit spē, de sui emendatione, peccatorum remissione, gratiæ & gloriæ consecutione. Estq; peccatum mortale gravissimum nisi indeliberatio sola excuset: nam hic paruitas materiæ non datur. Potest autem aliquando coniungi cum hæresi, aliquando absq; hæresi esse. Nā si quis exprimat saltē corde tale iudicium, quod De⁹ non potest sibi parcere aut nō parcet, si se debito modo disposuerit: aut quod impossibile sit ei in hoc statu consequi gratiam, & postea gloriam, reuera est contra fidem. Siquidem omnibus in Ecclesia per divinam misericordiam est possibile, etiam criminosissimis, obtinere peccatorum remissionem atq; salutem. Absq; hæresi verò, si quis tale & tam falsum iudicium de Dei potentia non faceret, sed secum ita deliberaret. Ego nunquam me disponam, nunquam benè agam, & ideò nunquam mihi Deus parcet, ac proinde condemnabor. Quia ad simplicem absq; hæresi desperationem non est opus hoc iudicio: Deus mihi non potest parcere aut non parcet: si me debitè disposuero; sed satis est illud decretū vt dictum est. *Sanch: lib: 2. Moral: c. 33. n. 6.*

4. *Præsumptio* est quidam inordinatus conatus spei, quâ expectat quis, per virtutem & misericordiam Dei id, quod

quod secundùm legem eius ordinariam non est possibile: vt remissionem peccatorum absq; pœnitentia, adultus gloriam sine meritis proprijs, aut solis viribus suis, absq; Dei gratia. Et potest coniungi cum hæresi, si quis ita crederet: & absque hæresi, si ita quidem non iudicaret, sed ita gereret ac tenderet in æternam beatitudinem, ac si posset sua voluntate absque operibus, aut illis solis seclusa Dei gratia obtineri; estque peccatum mortale.

5. *Impugnatio agnitæ veritatis seu fidei*, tunc est, quando quis post propositos sibi sufficienter fidei articulos, ac intellectos, impugnat eos, volens persuadere illos esse falsos. Tales videntur esse Hæresiarchæ, & prædicatores eorum, seu errores contra conscientiam spargentes falsam doctrinam in fide vel moribus, propter necessaria vitæ corporalis.

6. *Invidentia fraternæ gratiæ*, dum quis tristatur ex hoc, quod gratia Dei crescit in mundo, vel multiplicatur in fratribus. Hinc si quis videns fratrem suum in Dei servitio proficere, peccatores pœnitentiam agere, Evangelij prædicationem dilatari, & numerum fidelium augeri, doleret super hoc: peccaret contra Spiritum sanctum, quasi cõtemnens interioris gratiæ auxilium, & non congaudens de bono progressu illius.

7. *Impœnitentia* hic non significat permanentiam in peccato vsq; ad mortem, sed importat propositum non pœnitendi.

8. *Obstinatio*, verò est firmitas, hoc est firmum propositum, inhærendi peccato, propter aliquam delectationem vel vtilitatem, quamvis brevem levem, seu parvam, impedientem maiora bona spiritualia.

9. Hæc peccata gravissima sunt, sed rara. Dicuntur autem irremissibilia, non quod nullatenus remitti possint, sed quia difficilè, & rarò dimittuntur, eò quòd habeant in se repugnantiam ad remissionem, & Dei dona, quæ contemni videntur.

§ VII.

De peccatis in cælum clamantibus.

1. Cũ quatuor sint peccata in cælũ clamantia, *Homicidium voluntarium*, hoc est directè intentum, *Sodomia*, *Oppressio pauperum*, *ac merces operariorum defraudata*: Et de primis duobus satis dictum sit, nunc de reliquis duobus breuiter dicetur.

2. *Oppressio pauperum*: nomine pauperis intelligitur, non tantum miserabilis persona, vt est advena, vidua, pupillus, subditus, seruus, debitor, sed etiam quicunq; est inferioris conditionis; respectu excellentioris. Nomine verò oppressionis, Intelligi debet afflictio, & quælibet læsio. Videant nobiles & potentes, si huius criminis non sunt rei. Revera enim multi inueniuntur, qui plebeios, rurales nihil habentes, conculcant, percutiunt, vulnerant, interficiunt, spoliant, & multas alias iniurias irrogant. Insuper canes suos pluris faciunt quàm homines inferiores secundum externam faciem: quos tamen ex eadem massa creavit Altissimus, & suo pretiosissimo sanguine redemit: quibus fortasse maius præmium præparavit in cælis, his verò aut minus, aut æternum supplicium.

3. Propter hoc execrandum facinus (inquit Canisius) Civitates & Provin-

cie,

ciæ, in ſūmū ſæpè diſcrimē adducūtur.

4. Porrò *mercedem* operariorum defraudare, eſt eam laboratori, eodem die non reddere, ſed aut denegare, retinere, imminuere, aut falſam monetam, ſupponere,

5. Eſt autem mortale peccatum: ſi merces reddenda, operario eſt valde neceſſaria, vel negata aut dilata cum magno eius incommodo, cùm debitor poſſit abſquè maiori ſuo incommodo ſtatim ſolvere.

§ VIII.

De peccatis contra opera miſericordiæ.

1. Opera miſericordiæ ſunt duplicia, Corporalia & Spiritualia. Vtraq; ſeptem. Corporalia ſunt, *Paſcere eſurientem, potare ſitientem, veſtire nudum, itinerantem recolligere, viſitare infirmum, redimere captiuum, & ſepelire mortuum.* Vnde verſus.

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Spiritualia verò ſunt, *docere ignorantem, conſulere dubitanti, conſolari triſtem, corrigere peccantem, remittere offendenti, ſupportare defectus proximi oneroſos, & pro omnibus orare.* Vnde verſus.

Conſule, carpe, doce, ſolare, remitte, fer, ora.

2. Ad hoc quòd omiſſio actuum miſericordiæ ſit mortalis, duo requiruntur, 1. Facultas ſeu poſſe ex parte facientis. 2. magna neceſſitas ex parte indigentis,

3. Nam conſtat inprimis neminem teneri ad faciendum eleemoſynam, niſi de ſuperfluo, hoc eſt, de eo quod ſuper eſt alicui. Sed tale ſuperfluum poteſt eſſe duplex, naturæ ſeu vitæ; & perſonæ ſeu ſtatûs.

Superfluum naturæ dicitur id, quod aliquis habet ultra neceſſaria ad vitam ſuam, & ſuorum ſuſtentandam. Superfluum ſtatus eſt id, ſine quo perſonæ dignitas ſeu decentia ſtatûs convenienter tranſigi poteſt, habitâ ratione ſui & ſuorum, nec tantùm conditionis præſentis, verùmetiam caſuum futurorum, non qui poſſent accidere, ſed qui veriſimiliter evenient, & rationabiliter timentur, expectanturuè: imò habita ratione propoſitorum ad emendum dominiū & mutādū ſuum ſtatum in alium maiorem, ad quem idoneus eſt.

4. Deinde triplex poteſt eſſe neceſſitas ex parte indigentis, Extrema vel quaſi extrema, Gravis & Communis. Extrema eſt reſpectu eorum, quæ requiruntur ad naturæ ſeu vitæ ſuſtentationem, & tamen deſunt.

Gravis eſt, reſpectu pertinentium ad conſervationem ſtatûs.

Communis neceſſitas eſt, reſpectu aliqualis difficultatis, (non tamen magnæ) in comparando ſibi victum.

Declarantur adhuc hæc meliùs.

Extrema neceſſitas eſt, non tantùm tunc, quando aliquis ob defectum cibi, potûs, veſtitus, aut cuiuscunq; auxilij moritur, aut iam efflat animam (fortè enim tunc nullum iuuabit remedium aut ſubſidium) Sed etiam tunc, quando imminet alicui tale periculum, in quod veriſimiliter incidet, ſi ei non ſubvenietur. Et propterea hoc membrum à Doctoribus dicitur, extrema aut quaſi extrema neceſſitas. Tales autē ſunt, qui nec mendicare valent (forte enim morbo aliquo detinentur in lecto,) nec victum labore ſuo quærere poſſunt (fortè enim nullam induſtriam habent, nec artem calent, aut

viribus debiles sunt) neq, possessiones aliquas, obtinent, sed nec sperant.

Gravis necessitas similiter est, non tantùm tunc, quando aliquis habet quidem vitæ necessaria, at patitur necessitatem eorum, quibus sui & suorum decens conditio conservetur; Verùm etiam quando aliquis excideret miserabiliter ex suo gradu, vel statu, & incurreret in grauem aliquam calamitatem quæ solet homines conficere (vt est captivitas, diuturnus ac horribilis carcer) nisi ei succurratur.

Præterea gravis necessitas est, quando aliquis ita opprimitur debitis, vt non sit solvendo, & propterea versatur in periculo vitæ. Item, si aliquis ob inopiam est in periculo amittendi honorem aut pudorem, revera gravi necessitate premitur, & charitatem S. Nicolai exigit.

Ordinaria seu communis necessitas est, vbi non deest quidem id quo vita sustentari posset, sed cum aliqua difficultate; Talis est pauperum ostiatim mendicantium, vel mendicatò viuentium, qui quamuis indigent cibo, potu, ac vestitu, non tamen propterea de vita periclitantur; neque grauem patiuntur necessitatem, eò quòd non desint pij eleemosynam largientes.

5. Itaq; combinantes superflua habentis, cum necessitate indigentis, dicimus. 1. Indigenti extremè, aut quasi extremè, tenetur quilibet subvenire, non ex necessarijs vitæ suæ aut suorum; sed ex superfluis: ita ut etiam necessaria ad decentiam sui status exponere sit obligatus. 2. Indigenti grauiter, tenetur quilibet ex superfluis status tribuere. Vnde & Medicus & Causidicus & Pharmacopola, & alij tenentur subvenire indigenti taliter, & non habenti, quo solvat. Sufficit tamen præsenti subvenire, nec exigitur, quòd succurratur longè absenti, quamuis de alicuius etiã extrema necessitate constet. 3. In necessitatibus communibus dispensatio superfluorum commissa est arbitrio vniuscuiusq; : videlicet, cui, quando, quantũ iudicaverit, dummodò non prætermittatur ex toto. Peccarent autem divites seu superflua habentes, si nullam vnquam eleemosynam vllis pauperibus tribuant in his ordinarijs necessitatibus. Quamvis enim levis necessitas eorum sit, non tamen est leue, omnem eleemosynam denegare, & nulli subvenire. Quod si non omnibus occurrentibus dant, vel modicam; excusantur à mortali. *D. Th: quodl. 8. q. 6. a. 12. Azor. Val: & alij.*

6. Personæ Ecclesiasticæ habentes beneficia, arctiùs quàm sæculares obligantur ad dandam eleemosynam: tum quia sunt in statu perfectiori, ac proinde magis charitatis vinculo adstricti; tum quia in statu remotiori à tot necessitatibus, siquidem non habent vxores filios aut filias, victus quoq; ac vestitus requirit modestiam secundum Conc: Trid: Tum quia sunt velut pauperum parentes: Tum quia piorum fundatorum talis videtur fuisse intentio, saltem implicita & secundaria. Tum quia per Ecclesiam ista bona Ecclesiastica sunt onerata & obligata, ad erogandum pauperibus, ea quæ supersunt honestæ sustentationi Clerici, & provisioni pro casibus eventuris.

7. Dare eleemosynam, soli illi possunt, qui habent proprium (vnde religiosi

ligiosi non possunt) & rerum liberam dispensationem: Vnde vxor non potest dare de bonis mariti, filius de bonis patris, famulus de bonis heri, nisi habeant aliquid proprium, non subditum illi: vt vxor ex acquisitis suâ industria, operâ & labore, vel donatis ab aliquo: vel de licentia mariti: vel si hic profectus est peregrè: vel si sit amens, aut in bonum eius ad impetrandum ei à Deo auxilium: vel si est valdè tenax & negligens in eleemosynis dandis, cùm sit alias diues. Vnde cōmendatur Abigail, quæ dedit victualia David in necessitate constituto, sine scitu viri sui. Item. Si vxori maritus determinavit certam summam quotannis, potest illâ parciùs vivendo dare eleemosynam ex his quæ supererunt. Potest etiam modicam facere eleemosynam de re communi marito & sibi, propter qualem non incidet in inopiam, scilicet parum panis, vini, olei, salis. Insuper, si mos patriæ habet, quod vxores id faciant: Aut in spem ratihabitionis: Omnis enim pro sua conditione præsumitur indulgere filio minutiores sumptus, & multò magis vxori. Lege *Bannes 2. 2. q 32 a 8.* vbi docet, vxores posse eleemosynas communes facere, in quibus nihil damnificatur familia. Similiter filij, si habeant aliquid divisum à bonis patris, siue per donationem ab aliquo, absque intuitu patris, siue propter aliquod officium, obsequium, industriam, & parsimoniam propriam. Servi quoq; ex eo quod sibi subtrahunt parcè vivendo. Quod si fuerint dispensatores, intentioni domini debent se accommodare, quam ex moribus illius assequi possunt. Raro tamen (absq; expressa commissione) & non nisi modicum quid, pauperibus dare possunt, vt puta, frustulum panis, casei: dummodo hoc ordinariè non faciant.

8. De infirmo & incarcerato visitando, itinerante excipiendo, mortuo sepeliendo, siue per associationem funeris, siue per executionem actûs per aliū, vel in casu perse, nihil aliud occurrit dicere, nisi quod in gravi proximi necessitate ista omittere est mortale: ut puta, si cadaver in publico expositū in periculo esset, ne à bestijs devoretur, aut dilaceretur. Citra talē autem necessitatem, à talibus pijs operibus abstinere, vel abhorrere, videlicet, nullum sine rationabili causa hospitari velle, ad nullum vnquam funus accedere, periculosū crediderim, quamvis non ausim asserere, esse mortale. Deinde illud omnes meminisse debēt, quod S. August: *Ser. 45.* ad fratres in Eremo dicit: *Non memini me legisse, aliquē malè mortuū fuiße, qui viuens opera pietatis benè exercuerit.*

9. Actus quoq; eleemosynæ spiritualis, tunc obligant sub mortali, quando quis potest facere, & proximus valde indiget, vt dictum est. Specialiter tamen *de correctione fraterna*, & de remissione iniuriæ, dicendum est aliquid.

10. Toto cælo errant, qui credunt, correctionem fraternam ad solos prælatos pertinere. Contrarium enim docet *S. Thom: 1 2. q. 33. a. 3.* Ad hanc igitur faciendam omnes tenentur adeò, vt sit de iure naturæ & divino. *Matth. 18.* Et de iure Ecclesiastico, quod *D. Th. allegat in argumento. Sed contr.*

11. Itaque quinq; conditiones requiruntur ad hoc, quod quis teneatur sub mortali corrigere. 1. Ex parte materiæ, quód sit peccatum mortale, aut

aut veniale periculosum, siue peccanti, siue proximo: quod nondum sit emendatum aut relictum, sed in futurum propendens: hoc est quod creditur continuandum. 2. Ex parte corripientis, requiritur certa notitia, neque enim sufficit suspicio vel dubitatio, ne forte proximus temerè confundatur. 3. Ex parte peccantis indigentia, siue propter ignorantiam, aut naturalem inadvertentiam, siue propter propositum iterandi, & non putatur ab aliquo alio corrigendus. 4. Ex parte finis, qui est emendatio fratris quæ si non speraretur, frustra correctio adhiberetur. Ad opus autem vanum, obligatur nemo. Et multò minùs obligaretur qui crederet peccatorem peiorem evasurũ, aut ægre admonitionem laturum. Non tamen facilè debet homo de proximi emendatione sibi malè persuadere, cùm sæpiùs experiamur correctos emendari, de quibus minùs sperabamus. 5. Ex parte opportunitatis, siue temporis, siue loci, siue personarum, vt si tunc peccator excanduit, nihil efficeret monitio: si in aliorum præsentia; magis exarcerbaretur aut confunderetur, tunc enim differenda est monitio: Similiter si expectaretur alia persona magis idonea ad hoc officium, &c.

12. Qui læsit, tenetur prima occasione procurare reconciliationem, quia præcipitur, *Mat: 5. Si offers munus tuum, &c.* Læsus verò tenetur offendentis petitionem admittere, facilem se præbere, iniuriam remittere, pacemq; cum eo componere.

Porrò signa rancoris exterius demonstrare, illicitum est, etiam ante veniæ petitionem, quæ sunt divertere ab obviante, toruo oculo aspicere, non respondere, nunquam loqui velle: sicut & intus propter offensam, odium, appetitumque vindictæ admittere, vel concipere. Præterea signa benevolentiæ communia, quæ cunctis debentur, aut communiter exhiberi solent, tenetur ostendere, vt est serenus & non rugatus vultus, aspectus rectus non torvus, sermo pacificus, non iracundus, &c. quamvis specialis amicitiæ signa exhibere (qualia sunt, familiaritas, beneficiorum collatio, opem vel auxilium aliquod ferre) nonnisi in præparatione animi teneatur, cùm videlicet necessitas expostulaverit. Verùm in communitatibus difficilè est denegare etiam specialia signa absq; aliorum animadversione & peccato. Satisfactionem verò pro iniuria & damno, in rebus aut fama, etiã post veniæ petitionem, ac recõciliationẽ remittere non obligatur.

Quod vt melius penetretur, sciendum est, quòd in offensa tria possunt considerari. 1. Ipsa iniuria illata, quã sequitur dolor, tristitia, ac perturbatio in ipso offenso. 2. Motus insurgentes in animo offensi, inclinantes eum ad animi aversionem, ad odium, vindictã, mali desideriũ, &c. 3. Actus corã iudice de iniuria & damno. Primũ ante petitionẽ nõ tenetur remittere nisi in petitione veniæ. Secũdũ, etiã ante petitionẽ tenetur nõ admittere. Tertiũ neq; post petitionem tenetur remittere, dummodo id faciat absq; odio, & zelo iustitiæ, vt inferius dicetur.

13. Quando duo invicem se læserunt & vtrinq; est æqualis iniuria, ac vtriusq; par conditio, qui priùs offendit, petere veniam debet. Quod si iniuria posteriùs illata sit gravior, secundus offendens prævenire debet alterum,

ter um, quamvis prior occasionem præbuerit: sicut, licet iniuria sit æqualis, tamen ille qui prius læsit & provocavit, est longè maioris conditionis, tenetur secundus, qui inferior est, veniam petere.

14. In occursu, læsus salutatus ab eo qui læsit, tenetur resalutare seu respondere; prævenire tamen non obligatur; nisi ratione scandali, si inde sequeretur: aut ratione conditionis personæ quæ læsit; vt quia est princeps, prælatus, vir primarius, & læsus est inferior, aut solitus salutatione præuenire.

Præterea, si tali præuentione, lædentis animus placaretur, & ad meliorē frugem se reciperet: cùm alias sit obstinatus, & mori in pravo affectu, vel diu perseverare in eo, sit paratus: tunc enim ad lucrandum fratrem (si id absq; gravi tuo incommodo facere potes) obligaris.

15. Secluso scandalo aliorum, & ipsius lædentis (vtpotè prudentis, sentientisq; se graviter excessisse contra proximum) denegare signa amicitiæ specialia, aut etiam ipsam sermocinationem, semel aut bis, non erit mortale; esset autem, si hoc frequenter fieret. *Roder*: c. 17. n. 2.

16. Ea quæ debentur speciali aliquo titulo, scilicet, superioritatis, viciniæ, doctrinæ, senectutis, debent exhiberi, non obstante inimicitia: vt superiori inimico, fratri, conciui, patri, filio, ea officia præstanda quæ communiter talibus solita sunt exhiberi. Fundamentum est: Quia concordia & pax tantoperè à Christo commendata, in quacunq; communitate, est apprimè necessaria, quæ nullatenus consistere posset, si propter quascunq; offensiones, auersio animorum fieret.

17. Quamvis autem parentes, superiores, & magistri, possint propter correctionem filiorũ, aut etiam in pœnam, exemplumq. aliorum, per breve tempus proportionaliter, secundùm exigentiam delicti, subtrahere benevolentiam & sermocinationem suam ab eis, sicut & David fecit, 2. *Reg.* 14. non tamen ad longum tempus, & plus quàm exigit mensura delicti: neq; si hinc oriatur scandalum: videretur enim hoc procedere ab animo nimis irato, & nō ordinato ad filij emendationem. Vnde tales nisi talia deponant, non sunt absolvendi. Superiores quoque non existiment licere sibi odio habere subditos delinquentes, & pænas tantum extendere, quantum eis placuerit, ex magnaque severitate multo spatio temporis eos non alloqui, aut in infirmitate, vel infortunio non visitare, ita vt aliqui facilè intelligant, ipsorum contra subditos odium. Peccant enim sic facientes mortaliter, neq; absolvi possunt, nisi talem affectum mortificent.

18. Si lædens statim post illatam iniuriam veniam petat, tunc læsus nō cogitur statim veniam illi dare. *Azor.* Quia vulnera recentia, non statim sanantur. Et difficilè est, fereq; violentũ statim noxam lædenti remittere, ac durum esset, ad id obligari, cùm nondum sit animi perturbatio sedata: recens quoq; iniuria & vulnus acceptũ pungit. Quinimò, si maiora & plura inde mala probabiliter timeantur oritura, veniam dare non tenetur. Dũmodò nullum in corde rancorem foueat, neq; vindictam expetat quam (vt dictum

dictum est) etiam antequam offensus rogetur, non concipere obligatur. Semper etiam quantum fieri potest, in omni casu, scandali ratio habenda est.

19. Pro quiete piarum mentium, sciendum est, quod in sensualitate remanent quædam reliquiæ, quæ esse possunt semina odij, ita ut conspecto aut memorato inimico, renovetur dolor ob iniuriam illatam, insurgantq; passiones aut tentationes vindictæ; imò & voluntas his passionibus obnubilata, non nihil sentit & sinit se flecti: nihilominùs, si non progreditur ulterius, scilicet ad malum alteri, ea de causa optandum deliberatè & pleno consensu, à mortali excusatur. Imò si secluso omni scandalo, debitæ benevolentiæ denegentur lædenti, ex quadam animi alienatione, non verò ex gravi odio, quo ei optetur aliquod graue malum, non statim iudicandum est, de peccato mortali: sicut neq; odium circa minimum malum est mortale. Nihilominùs talia sunt vitanda, quia sunt periculosa, & scandalosa, saltim ipsi lædenti.

20. Confessarij quoq; non facilè credere debent pœnitentibus, asserentibus se odium non retinere, quamvis talia signa specialia subtrahant: sed debent diligenter examinare & scrutari conscientiam, vt possint cognoscere distinctè statum illorum, & deprehendere odium mortale, aut leue. Sanè in superioribus, & parentibus, faciliùs admitti posset talis asseveratio, in priuatis difficilè.

21. Si notorium sit, quod neuter velit reconciliationem inire; hic eam procurando sincerè, & ex animo dolendo, quod offenderit, alter non remittendo; ab Ecclesiæ Sacramentis, tanquam publici peccatores sunt repellendi. Imò etiamsi id non sit manifestum multis, Confessor tamen eos absolvere non debet; ambo enim contra præceptum Christi faciunt. Ille quidem contra præceptum de petendo. Matth: 5. *Si offers munus tuum ante altare, &c.* Iste verò contra illud. Luc. 17. *Si reversus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi.* Et ambo in peccato mortali perseverant. Neque verè dicere possunt, se nullum intus gerere odium: talis enim dispositio, odij indicium est. Et dato, quod odium actu non habeant, periculo tamen illius se exponunt, dum pravum affectum, qui scintilla seminariumq; illius est fovent, Et præterea res hæc, scandali magni occasio est.

22. Quando inter aliquos ex neutra parte in veritate, est inimicitia, sed quia præcessit odium vel offensa neuter se vult flectere, vt loquatur alteri: Aut alter tantùm recusat alteri loqui: neutri debet negari absolutio, si huic facto aut nihil aliud coniungatur: quia neuter facit contra præceptum charitatis, cùm homo non teneatur ad allocutionem & alia particularia benevolentiæ signa, respectu omnium hominum, nisi secundùm animi præparationem casu necessitatis: Verùm si adsit scandalum, tenentur sub mortali se alloqvi quantum necesse est ad demonstrandum animum ab omni malo affectu liberum.

23. Iniuriarum actionem in iudicio prosequi licet, bona intentione: ob commune bonum, exemplum cæterorum, emendationem proximi, securitatem proximorum. &c. sed non prauo

affectu

affectu, ad exsatiandum animum, vel vlciscendum: alioquin talis non esset absolvendus.

Speculum Particulare, secundùm conditionum diversitatem.

1. *Ecclesiastici* examinent se, si & quatenus necessarium est, de ordinum susceptione, secundùm Ecclesiæ statuta.

De horarum recitatione.

De modo, quo adepti sunt beneficia.

De diligentia in instructione, & Sacramentorum administratione.

De competenti eruditione ad tale munus.

De beneficiorum pluralitate. Qui enim retinet plura, tutus in conscientia non est, nisi habeat S. Pontificis dispensationem, ad quam requiritur iusta causa, quæ redundet in vtilitatem illarum Ecclesiarum.

De proventibus, si eos benè dispensat pro suis suorumque necessitatibus. Siquidem etiam consanguineos iuuare potest, non vt ditiores fiant, sed ne egeant, sicut docet *D. Th.* Ex his verò, quæ sibi suisq; supersunt, pauperibus erogare tenetur. Si bonis, eruditis, ac peritis Coadiutoribus vtitur, præsertim ad Sacramentum pœnitentiæ: ignaros enim ac ineptos retinere, periculum ac piaculum est. Si negociationi ex professo dat operam, rebus secularibus se immiscet. Si commessationibus, ludis, ac choreis, (quæ non sine scandalo sunt) vacabat, præsertim, cùm sit in maioribus ordinibus, aut beneficiarius.

Plura in alijs libris, & in proprijs conscientijs Ecclesiastici, vt potè iudiciosi intelligere poterunt. *Vide Nauar: & alios.*

Huc reduci possunt, habentes ius patronatûs, qui solent interdum indignis conferre, aliquando simoniacè, pacto aliquo interueniente & nonnunquam in damnum Ecclesiæ: videlicet, vt bona Ecclesiastica vsurpata non recuperentur, vel decima manipularis non exigatur, aut non integrè solvatur.

2. *Religiosi*, de observatione suorũ votorum obedientiæ, castitatis, & paupertatis. Et quoniam paupertas, quæ fundamentum religionis est, sæpiùs violari solet, ideo debent perpendere.

An retineant contra statum suum, superflua & curiosa.

An more seculari viuant, ac dispo-nant bona, tanquam si essent domini eorum.

An pravos mores introducant cum aliorum scandalo.

An aliquid recipiant, teneant, alienentq; sine licentia superiorum.

An prouentus aliquos annuos habeant, contra *Conc: Trid:*

An in visitationibus omnia manifestent, quæ debent.

An in electionibus, practicis vsi sint.

Item. An conspirationes factionesvè secuti sint.

* *Licèt spectatâ mente Tridentini non liceat Religioso habere census & reditus annuos. Tridentinum tamen propter multas necessitates Religiosorum quibus ex bonis communitatis non subvenitur iuxta suum statum non est in tanto rigore vbique receptum. Et idem de similibus aliquorum Pontificum dedecretis, ideo Religiosi habentes census & reditus annuos non peccant. Ludou. Lopez. & alii apud Dela Cruz. de Statu Relig: l. 1. c. 3. dub. 2.*

* Quâ supopositâ Sententiâ ad vitandam proprietatem aliquæ condi-tiones

ditiones ponuntur. à D: D.

1. Vt præfatos reditus non habeant quoad dominium tanquam ſuos proprios, ſed ſolùm quoad ſimplicem vſum facti congruentis, pro ſuis particularibus neceſſitatibus. 2. Vt eos habeant ex ſuperiorum licentia, 3. Vt huiusmodi reditus ſint moderati 4 Vt prædicti reditus ſint incorporati communibus bonis Monaſterii. 5. Vt ſint revocabiles ad nutum ſuperiorũ. 6. Vt non malè vtantur, expendendo in vſus illicitos, & prophanos. 7. Vt non vagè & ad vſus indetermi natos illis relinquatur diſpoſitio prædictorum bonorum, ſed ſolùm ad vſus determinatos, pios, licitos, neceſſarios, & à ſuperiore cognitos. 8. Vt id fiat ex iuſta & rationabili cauſa. 9. Vt prædictos reditus conceſſos, non penes ſe habeant, ſed in manu publici officialis per ſuperiorem aſſignati, vel in communi depoſito, iuxta leges Religioſorum 10. Vt ſubditus quando ab officiali neceſſaria petit exponat in particulari ſuas neceſſitates. Aliàs tantùm eſſet officialis materialiter, & ſubditus eſſet diſpenſator: cùm illa bona pro libitu acciperet & diſtribueret, quod eſt contra mentem Trid. Vel dictas neceſſitates exponat ſuperiori iuxta leges. Vel praxim Religioſorum V. Eligium Baſſeum. V. Paupertas Religioſa. V. dicta in 4. ſent: M. d 8.

3. *Nobiles*, de decimarũ fideli ſolutione, aut fundi Eccleſiaſtici occupatione.

De ſubditorum aggravatione, vel etiam oppreſſione, quo ad labores, cenſus, itinera, emptiones aut venditiones cariores, & aliquando grani immũdi & corrupti.

De vectigalium defraudatione, ſub prætextu neceſſitatum propriarum, emendo, re ipſa verò negotiando.

De comeſſationibus, ebrietatibus, iniurijs illatis inferioribus, æqualibus, vel etiam ſuperioribus.

De vſurpatione fundi alieni.

De laboribus die feſto.

De itineris aggreſſione, non priùs Miſſa audita, à ſe, & familia, ſeu comitatu toto. De conſtitutione pœnarũ pecuniarum propter privatum commodum.

4. *Milites*, de rapinis, furtis, extorſionibus, ſtupris, adulterijs, violentijs, percuſſionibus, homicidijs, crudelitatibus, ebrietatibus, de ſtationibus extortis & nullo iure debitis.

De acceptis muneribus ab his, qui redimendo vexationem, obtulerunt.

De iniuſto bello, De duellis.

5. *Cives*, & in communitate habitantes.

De inuidijs, odijs, detractionibus, ſuſurrationibus.

6. *Mercatores*, de fraude, in materia, pondere, menſura, pretio, & moneta adulterina. De periurijs. De monopolijs, videlicet; an inter ſe convenerint de rebus non vendendis, aut emẽdis iuſto pretio, ſed pro ſuo libito in damnum proximorum, præter ſuperiorum authoritatem, & non conſideratis circumſtantijs mercium, ſcilicet copia vel inopia: qui aliquando coemptis omnibus mercibus eas abſcondũt, vt appareat inopia, & pretium augeatur.

De negociatione die Feſto, Miſſâ non audita, aut contra prohibitionem, vel cum ſcandalo.

De vſuris palliatis, quales ſunt venditiones ſupra iuſtum pretium etiam rigoroſum, ob expectatam ſolutionem, & emptiones minoris multò, quàm exigat rei valor etiam infimus, ob ſolutionis in præſenti numerationem.

De qua-

De quâ re lege Less: de Iust: lib: 2 c: 21. dub: 7. Famuli quoq; mercatorum videant, si in his non sunt cooperati, quia peccarent: & aliquando ipsi quoq; tenerentur ad restitutionem.

7. *Medici*, si absq; sufficienti eruditione praxim aggrediuntur cum periculo proximi. Si peccatum propter sanitatem consulunt. Si ad Sacramentorum vsum, & testamenti confectionem, moribundum non inducunt. Si absq; iusta causa ieiunium Ecclesiæ relaxant. Si pauperem in gravi necessitate constitutum curare nolunt. Si primas partes sib vendicare illicitis modis quærunt, videlicet alijs detrahendo.

8. *Pharmacopolæ*, si materias corruptas, aut alias, præter ordinatas à medico, ponunt vel mutant. Si res plus quàm valeant, cum notabili excessu vendunt.

9. *Chirurgi*, seipos explorent, an debitam peritiam in sua arte habeant. An supra professionem suam aliquos curare præsumpserint, cum notabili detrimento sanitatis; vt puta, ingerentes se medicationi Physicæ. An in medicando fraudem aliquam fecerint lucri causa, aut cum præiudicio alicuius.

10. *Testamentorum Executores & Tutores.*

De redditione statim facienda eorum, quæ sunt alicui legata, debita, & secundùm vltimam voluntatem mortui destinata.

De educatione pusillorum ac pupillorum.

De auctione bonorum pupillarium, pro viri li: Non tamen per contractus vsurarios: siquidem vsuram committere etiam pro redemptione captivorũ non licet.

De fidelitate in dispensando, & integritate in reddendo residui.

11. *Xenodochiorum Præfecti, seu Hospitalarij.*

De proventibus in vtilitatem duntaxat loci & pauperum convertendis, & non aliter, nisi forè ratione suorum laborum, propter quos aliquod detrimentum subirent, ex illis quotam sibi debitam, lege, vel consuetudine approbatam, vel intentione fundatoris munitam, detrahere licitè possint.

De diligentia circa ædificia, victum, amictumq; pauperum, & recuperationem bonorum iniustè per alios ablatorum.

12. *Artifices.* Si fideliter ac diligenter in arte sua & labore se gesserunt. Si materias sibi traditas, & relictas, patronis earum non reddiderunt, sed in notabili quantitate sibi reliquerunt. Si muratores aut fabri lignarij, judæorũ synagogas, hæreticorum ac schismaticorum fana, (quod non licet) ædificarunt, aut refecerunt. Et multò magis, si idola sculpserunt.

13. *Iudices.* Si iura, secundùm quæ procedere debent, norunt, vel saltem pios, & peritos consulunt. An aliquid propter favorem, munera vel odium contra iustitiam commiserunt, vel nõ secundùm iusti iuris dispositionem in causis processerunt.

Si dilationes non debitas admiserũt cum damno proximi: vel etiam iudicare (cùm deberent & possent) renuerũt. Si reũ, parte cõtra dicente, liberum pronunciaverunt. Si de complicibus, quando non potuerunt licitè, interrogaverunt. Nam in criminibus priuatis non licet interogare, vt in simplici furto, homicidio, adulterio, sed

sed tantùm in peccato contra bonum commune, vt est proditio, hæresis, cõspiratio in necem principis, falsificatio monetæ, maleficium, latrocinium quæ bonum commune destruunt, idq; tunc, quando indicia, vel fama, aut semiplena probatio, complices adfuisse insinuat. Eodem modo, si iudex interrogat, de quibus iuridicè interrogare non potest. Si dona suscepit. Quamvis enim comestibilia & potabilia moderata, ex mera liberalitate donantis oblata suscipere valeat; tutiùs tamẽ est, neque talia acceptare, vt liberiùs possit in iudicando procedere. Si pœnam statuto apposuit principaliter propter suam utilitatem. Si testes minùs idoneos admisit. Si innocentem condemnavit, vel etiam nocentem, sed sine sufficienti probatione, aut inauditum vel indefensum. Si delicta lege divina vel naturali damnata, sine iusta causa condonavit. Si lites, aut debitorum solutiones, absque legitima causa suspendit. Si erga peregrinos, viduas pupillos, & alias miserabiles personas, inhumaniter processit, videlicet, non providendo eis patronum, aut causam quamprimùm non expediendo, cum notabili detrimento earum. Si processit contra aliquem per viam inquisitionis absq; præcedenti infamia de eo, vel indicijs, aut semiplena probatione. Si damnato ad mortem, non concessit tempus suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ: cùm potiùs ad hoc inducere debuisset. Si reum quæstionibus subiecit absq; semiplena probatione; aut crudeliter præter iuris dispositionem torqueri iussit.

14. *Causidici*, seu procuratores. Si absq; sufficienti eruditione, munus tale susceperunt cum iactura proximi. Si causam iniustam susceperunt quocunq; respectu, etiam si non habuerint intentionem vincendi: si quis in principio nesciens conditionem causæ, & in prosecutione iniustam deprehendens, partem non admonuit, vt desistat à progressu vlteriori: quamuis adversario id indicare non debeat, neq; alijs præter suum patronum. Quod si causa dubia fuerit, & pars de hoc certior facta voluerit, poterit continuare. Si in sua procuratione, cum notabili partis damno negligens fuit, cum obligatione restituendi. Si adversario secreta suæ partis, alteri verò vtilia detexerit. Si causam pauperis cõstituti in gravi necessitate sui auxilij, vel oppressi, aut iniustè tractati, suscipere noluit, siue ob defectum solutionis, siue propter quemcunq; alium respectum. Si fraudulenter in iudicio se gessit, falsa scilicet allegando, vel inferendo, & vera supprimendo &c. propter quòd causam perdidit, qui iustam habuit. Si dilationes superfluas atq; iniuriosas extorsit. Si stipendium pro patrocinio maius quam par erat exigit. Si conuentionem fecit de stipendio in medio cursu causæ; vel de quota parte litis, puta dimidia vel tertia; aut paciscatur, vt post victoriam tanta summa solvatur. Est enim suspicio & occasio volendi vincere per fas & nefas. Est autem Iuristis, Litigatoribus, & alijs habentibus intricatos casus, animadvertendum, vt ipsi secum extra confessionem, rationem ineant, aut consilium piorum ac peritorum adhibeant, ad deprehendendam aliquam iniustitiam in suis

suis actibus: & ita in confessione breviter se expedire possunt, non recensendo omnes iuris progressus historicè, ac proinde superfluè: dummodò sincerè ante Deum pro salute animæ suæ id faciant, & amici consultores, absque blanditijs liberè veritatem illis manifestent.

15. *Notarij*, si confecerunt aliquod instrumentum vsurarium. Si dolum aliquem in scribendo fecerunt. Si quis rogatus recusavit tradere instrumentum, cùm deberet. Si partem imperitam renuciaturam alicui iuri, non instruxit. Si pauperibus eò quòd non essent solvendo, scripturas conficere, vel cōfectas tradere (vnde passi sunt notabile damnum) renuerunt. Si habentes publicum stipendium, aut lege taxatum, maius accepit, etiam à sponte offerentibus. Si instrumentū die festo absq; aliqua necessitate confecit. Similiter, si confecit ad instantiam carentis iudicio, cum obligatione restituendi successori legitimo.

16. *Testes*. Si se absentarunt aut absconderunt, aut aliquid finxerunt, ne testificarentur. Scire enim hi debent, quod interdum non vocati, tenentur se offerre in testes, quando id necessarium esse sciunt, ad impediendum aliquod damnum notabile tam publicū, quàm priuatum: aut quando animaduertunt aliquem esse in gravi necessitate sui testimonij. Si sciens per consultationem (vt advocati, medici, consiliarij) aliquod peccatum secretum, & detexit illud, cùm cognitio eius nō sit necessaria ad mala notabilia, ac damna impedienda. Si accepit aliquid, vt verè testetur, cum obligatione restituendi. Si quis sciens crimina notoria, vel famosa iudici aut superiori præcipienti, non denunciavit: nisi sint valdè occulta, nemini in posterum nocitura: aut peccator sit emendatus, vel sola correctione fraterna monitus, se emendaverit: Nam si adhuc penderent in futurum, deberent manifestari; sicut & in visitationibus.

17. Accusatores possunt peccare, tā omittendo quādo accusare necesse est, (vt cùm excessus cedunt in magnum damnum spirituale, aut temporale, & per fraternam correctionem non cessabunt;) quàm committendo, vt si falsum obijciant.

18. *Rei seu accusati*. Si non confitentur crimen, quamvis cum periculo mortis, quando interrogantur à cōpetenti iudice, secundùm ordinem iuris; videlicet, quando delictum est notorium, famosum, aut semiprobatum: quòd accidit, quando præter accusatorem adest vnus testis oculatus, & omni ex parte fide dignus, ita, vt nihil ei obijci possit: aut vnum indicium vel plura æquipollentia semiplenæ probationi. Vnde & Confessores in confessione debent eos ad veritatem fatendum inducere, nec absolvere proponentes non fateri.

19. *Simplices*. Si sciunt necessaria ad salutem, tam credenda, quæ sunt in Symbolo Apostolorum, quàm speranda, quæ sunt in Oratione Dominica: quàm implenda, quæ sunt in præceptis Dei & Ecclesiæ, quàm quæ sunt vitanda, vt peccata capitalia, & alia. Item suscipienda, vt sunt Sacramenta.

Multi enim sunt, etiam seniculi & vetulæ, quæ nec signare se signo S. Crucis, imò neq; quid Dei nomine intelligatur, sciunt: Aliqui enim existimant

stimant B. V. Alij S. Annam metter tiam esse divinam Trinitatem. Tales instruendi sunt de his & alijs, in concionibus quidem regulariter, sed tamē etiam in confessionibus specialiter.

20. *Divites*, de iniqua acquisitione possessionum, pecuniarum.

De vsuris apertis & palliatis.

De largitione eleemosynarum, præsertim in necessitate.

De cura salutis, aut incuria.

An malint amittere temporalia propter æterna, vel contra.

21. *Rustici* De fidelitate in laborando & reddendo debito.

De vsu alienorum fundorum ob mutuatam pecuniam.

De furtis in alienis sylvis, piscinis, &c.

De ebrietatibus, imprecationibus malorum, falsis attestationibus. De adulationibus. De aleis cum præiudicio vxoris ac domûs.

22. *Puellæ, virgines, ac iuuenes.* Si antea integrè sunt confessi, vel aliqua reticuerunt ob pudorem, timorem, aut etiam negligentem conscientiæ discussionem.

Examinent autem se ipsimet seriò ante Deum, de turpi cogitatione aut sermone, de inhonesto ludo, contactu: furtis ac mendacijs perniciosis, de rixis, verberibus, Missis die festo omissis. Aliquando est eis necessarium; scire, quomodo amittatur virginitas, & conservetur integritas. Consulant itaque *Azor t. 3. lib. 3. c. 2.* & *Less: Iust: lib. 4 c. 2.* Et *Sa, verbo*, Virginitas, Et *cap.* Pueris, de delictis puerorum.

Expedit autem eis ad hunc effectū, omne consortium vitare. Vnde S. Laurentius Iustini gaudebat, gratias Deo agens, quod in iuventute maluerit esse melancholicus, & inurbanus, quàm exponere se periculo amittendi virtutem & Dei gratiam.

23. *Viduæ & vidui*, specialiter sciant sibi non licere admittere in præsenti delectationes carnales, propter cogitatum actum matrimonij præteritum. Nam vt supra dictum est: illo tunc cùm in actu erat, frui, seu delectari, licebat, verò m nunc ficto in imaginatione oblectari non licet.

24. *Vetulæ.* De internuncijs indiscretis, quæ ad malum finem dirigi possunt. De lenocinijs & superstitionibus.

25. *Quoad statum matrimonij.* Multi existimant in tali statu, sibi omnia licerè; quod tamen falsum est. Itaq; debent se examinare de adulterio mentali, cogitando de non suo, de non sua: in vel extra actum. De tactu cum periculo effusionis seminis extra vas naturale; Nam sine tali periculo, licitus est in coniugio, in quantum deseruit præparationi ad actum.

De redditione debiti, aut denegatione, præsertim cum alterius periculo. Nam negare debitum, est contra iustitiam, ac proinde mortale; nisi excüset notabile detrimentum propriæ salutis. Vnde febri laborans, aut vulneratus, non tenetur: in balneis vel statim post balneum, similiter & statim post prandium; non tenetur. Dolor tamen dentium, aut capitis, absq; febri, non excusat. Adhuc non tenetur reddere alteri immoderatè, ac sæpiùs quam par est, petenti. Quia notabiliter vires extenuat, & salutem lædit frequentia copulæ. *Vide Sanch: Matr. lib. 9.*

lib. 9, dub: 24. vbi disces, quomodo interdum fit mortale. In morbis quoque diuturnis, & quasi habitualibus, vt est lepra, vel morbus Gallicus, si sanus voluerit, non tantùm licitè, sed etiam meritoriè, ad vitandum periculum incontinentiæ in consorte reddet, quamvis non teneatur cum periculo infectionis notabilis.

Adhuc de abusu contra naturam, quòd fortè raro accidit. De impedimentis conceptionis, siue per sumptionem alicuius ad hoc ordinati medicamenti, siue per retractionem sui ab actu, aut defraudationem seminis (ne recipiatur; siue per eiectionem recepti, quacunq; arte, & multo magis de aborsu procurato.

De pacifica cohabitatione, vel rixis cum aliorum offendiculo: siquidem alter alterius imperfectiones debet supportare. Hic obiter reprehendendi sunt viri (ait *Ban: 2. 2. q. 32. a. 8*) qui vxores suas velut ancillas tractant, cùm sint consortes & sociæ eorum. Reprehendendæ quoquè multò magis vxores, quæ dominari præsumunt in viros, cùm isti sint capita earum vnde multa absurda nascuntur.

Quamvis autem vxor non possit liberè disponere in bonis mariti, secũdùm libitum suum: quò ad res tamen necessarias sibi, liberis, domui, vel familiæ, vt convenienter & honorificè sustentetur, ad quod tenetur maritus, potest. Et si ipse, prout tenetur non providet, licitum est vxori clanculũ accipere à deposito mariti, necessaria omnia, quibus possit filijs & familiæ succurrere. Neque iudicium est ferendum, iuxta arbitrium viri duri, & tenacis, sed secundùm decentiam status. *Ban: ibid.*

Debent etiam in eo statu se examinare de auxilijs mutuis, nimirum; si ob suas privatas devotiones; actiones sui status, & muneris debiti, deserunt vel negligunt, præsertim, cum offendiculo seu turbatione alterius cõiugis. *Aluarz t. 3. l. 2. c. 10. & multi alij.*

26. *Filij familias.* Si ex bonis parentum aliquid notabile, aut contrà eorum voluntatem, aut sine scitu acceperunt, cum obligatione restituendi cohæredibus, vel computandi pro parte sortis suæ. *Vnde* Prou: *28. Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit, hoc non esse peccatum, particeps homicida est.*

Idem intelligendùm est de illo, qui patre vivente, consumpsit aliqua bona paterna, in ludis, vsibusq; vanis, aut pater solvit in pœnam delicti eius. Eodem enim modo restituere tenetur.

Sumptus tamen, quos studij causâ patre vivente fecit, computare non tenetur. Imò fratres eius post mortem patris, tenentur ante omnem diuisionem solvere debita, quæ ob studia patre vivente contraxit: licet contracta post patris obitum, non teneantur.

Famuli quoq; de fidelitate in dispensando, custodiendo, exequendo. De pravis consilijs, adulationibus, invidijs, iniquis accusationibus conservorum, executionibus iniquè iussorum.

27. *Patres familias.* De cura, circa familiam, quo ad spiritualia: vt fidem, & doctrinam Christianam, Sacramentorum vsum, & festorum cultum, Missæ auditionem, ieiuniorum observationem, vitæ honestatem. Et quamvis cum magno suo incommodo, non teneantur importunè & acerrimè instare,

tenentur tamen seriò monere, & discretè obiurgare. Et quoad temporalia, vt victus decens, & in die ieiunij; sufficiens detur prandium.

Cura quoq; in infirmitate, quoad animam & corpus, siue domi, siue in hospitali.

De mercede soluta vel retenta.

28. *Parentes.* De bona educatione & ædificatione proli data, tàm quoad doctrinam Christianam, quàm quoad mores. Si inhonesta, iniuriosa, dicere aut facere permiserunt. Si lasciua vel indecentia audiendo aut videndo non corripuerunt. Si familiaritates perniciosas permiserunt, & non potiùs prohibuerunt & retraxerunt. Prudenter faciunt, qui singulis suum cubile parant, & nunquam sociatos esse in lecto patiuntur, quò securiores in sua innocentia permaneant.

Si ad studia, vel artes, iam aptos, in otio detinuerunt, & non potiùs erudiendos alijs tradiderunt. Si eos ad ingressum religionis coegerunt vel etiam prohibuerunt.

29. *Magistri*, examinent se de diligentia & fidelitate in docendo, quoad doctrinam fidei, mores, ac literas. Nam si cum notabili detrimento talis negligentia esset, peccatum mortale efficeret. De exemplo aut scandalo. De castigatione crudeli; quia solùm leuis eis permissa est. De simulatione seu conniventia cum graui alicuius præiudicio, vel damno.

30. *Studentes*, de dissolutione cum aliorum notabili iniuria. De conversatione turpi aut periculosa. De expensis vanis seu inutilibus, & negligentia in studio cum alicuius iactura. De lectione librorum prohibitorum.

31. *Telonarij*, & custodes confinium. Si sæviunt in transeuntes, verbis aut verberibus. Si augent taxam, & sic vltra debitum extorquent. Si propter donaria, permittunt exportare vel importare vetita: aut etiam dissimulant solutiones debitas: tunc enim non tantùm peccant, sed & restituere tenentur.

32. *Caupones seu tabernarij*, si ministraverunt vetitos cibos, vel cœnam tempore ieiunij indiscriminatim, etiam apertè non indigentibus. Si propinaverunt potum ad ebrietatem: vel nullam rationem habentes sobrietatis, propter lucrum, parati erant suppeditare eum ad voluntatem potatorum, etiam cum periculo ebrietatis. Si aleatores, qui iniuriosè ludere solent, aut quorum professio hæc solum est, recipiunt ac fovent, si meretrices retinẽt, subordinant, aut permittunt.

Animadversio. Speculo communi & speciali proposito, admonitionem subijciendam censui: ne scrupulosi nimium laborent in colligendis ex eo peccatis: hoc siquidem eis periculosum est, vt experientia testatur in illis qui conscriptis confessionalibus vtuntur, in quibus plura venialia, & possibilia enumerantur: pauciora vero communiter accidentia. Vnde legentes, cum summa animi anxietate eruunt peccata, nec minori solicitudine conscribunt in charta, ac in confessione interdum, quæ non intelligunt, nec fecerunt, recensent, detinentes confessorem cum eius tædio ac aliorum impedimento, absque sua utilitate, & Sacramenti necessitate. Itaque hoc speculum propositum est in gratiam eorum, qui sunt pacatæ conscientiæ,

& rarò confitentur: aut præteritas confessiones repetere volunt, sive propter aliquem defectum in eis admissum, siue propter aliam rationabilem causam sibi proficuam. *Scrupulosos* itaque remitto ad legendum infra tractationem de scrupulis,

CAPUT IV.

Quomodo pœnitens in actu confessionis se gerere debeat.

Distinguenda sunt tempora. Alia enim sunt ei facienda in principio: Alia in medio: Alia in fine. *In principio* tria. 1 Reuerentia humilis in armorum depositione, capitis detectione, genuflexione, corporis inclinatione & compositione, seu modestia. Et quoniam totum hoc procedit ex corde: ideò cogitare pœnitens debet, se esse prostratum ante pedes cœlestis iudicis, misericordisque Patris, humilitatem eius intuentis, & magnificantis: Sacerdotem autem, Sacramenti ministrum esse, qui vices Christi gerit, & in eius persona absolvit 2. Excitatio confidentiæ, muniendo se signo sanctæ Crucis, expresso actu vivæ fidei, animosæ spei: & deuota imploratione Diuini auxilij. Sunt qui etiam benedictionem petant dicentes: benedic Pater; & Sacerdos subiungit: Dominus sit in corde tuo & in labijs tuis, vt rectè confitearis omnia peccata tua.

3. Confessio quoq; generalis præmitti solet, sed brevis. E.G Confiteor Deo & Beatæ Mariæ, & omnibus Sanctis, quia peccaui nimis cogitatione, locutione opere & omissione. mea culpa,(vbi tunditur pectus) & nihil aliud.

In medio servanda est.

1. Brevitas in verbis, absq; detrimento tamen veritatis & claritatis. Vnde tria superflua reijcienda sunt, scilicet generalia, conditionalia, & historiæ. Et generalia quidem nullum alium fructum afferunt, præter quod fatigant Confessarium, & vt plurimũ falsa involuunt. Conditionalia, non sunt materia absolutionis, quæ super tales conditionales nullam potest efficaciam habere. Historia quoque seu narratio omnium concurrentium ad vnum actum principalem, non est necessaria, vt dictum est in prima parte.

2. *Integritas* quo ad peccata mortalia. Nam venialia quis dinumerabit?

Sciendum est autem integritatem requiri formalem, hoc est, vt intentio sit, omnia mortalia post diligentem conscientiæ discussionem, manifestare. Et prætereà, quatenus homini est moraliter possibile: Homo enim subiacet distractionibus propter quas naturaliter incurrit inaduertentiam & oblivionem. Quæ tamen integritati formali non officit,

3. *Claritas*, quo ad enucleationem & expressionem peccati, ita vt in particulari intelligatur,

4. *Sufficientia*, quoad circumstantias pec-

as peccati ac numerum.

5. *Honestas*, in peccatis carnalibus, ne nimis obscœnis verbis explicetur, neq; superfluè, sed quantum satis est ad exprimendam peccati naturam.

6. *Euitatio diffamationis*, ne videlicet alterius crimen detegatur: adeo vt neq; in complicis notitiam deueniri possit, quantum fieri potest, vt in examine approb: dilucidabitur, *tit.* 4. q. 3.

7. *Supplementum.* Post enumerationem autem peccatorum, quæ memoriæ occurrebant, accuset se de omnibus alijs, etiam quorum conscientiam & memoriam non habet: paratum asserendo confiteri, si quid tale recordabitur. Item de insufficientia præparationis, si levis negligentia præcessit: vel etiam grauis, si nunc ei seriò displicet. Et de imperfectione ac impuritate doloris: fortè enim ex aliquo bono & honesto motiuo processit, sed non omninò ex Dei amore; dummodo efficax voluntas sit vitam emendandi. *In fine tria.*

1. Monitio attentè audienda, & executioni mandanda: consilia à confessore proposita, non levipendenda: restitutio iniuncta, vtpotè ad salutem necessaria, executioni mandanda.

2. Pœnitentia acceptanda, cum animo implendi.

3. Dum absolutio datur, cor ad Deum per deuotionem internam eleuetur, caput inclinetur, manus iungantur.

CAPUT V.

Peracta confessione quid faciendum.

1. POEnitens se conferat ad locũ commodum, in quo gratias agat Deo pro beneficio remissionis peccatorum.

2. Impleat quicquid mandaverat confessarius, nihil differendo, siue pœnitentiam, (quam in gratia implere curet,) siue restitutionem famæ, bonorum, &c.

3. In posterum cautè incedat, & vivat omnes occasiones serio vitando, quæ ei erant causa Deum offendendi. Societates aut familiaritates periculosas deserat, loca lapsui accommodata non visitet. Expediet assuesce re sine creaturis viuere.

CAPUT VI.

Quomodo circa sumptionem sanctissimæ Eucharistiæ se debeat gerere?

SAnè quibus cordi est, sanctum Eucharistiæ Sacramentum devotè ac reuerenter sumere, multa observare debent. Quorum quædam sumptionem antecedunt, quædã comitantur, quædã consequuntur. Antecedũt tria.

1. Præ-

1. *Præparatio corporalis*, tum per ieiunium præmissum, si & quatenùs est præceptum, aliàs per moderatam cœnam: tum per continentiam, quoad coniugatos: tum per oris ablutionẽ, quæ potiùs vesperi præcedenti est facienda, quàm mane, propter periculũ deglutiendi aquam, quamvis in casu infirmitatis, exigentis sumptionem Eucharistiæ, nihil referat etiam cibus aut potus, ante sumptus: tum etiam per ablationem pilorum tegentium labia, & impedientium intromissionẽ Sacramenti, cum irreverentia eius & aliquando cum periculo.

2 *Ponderatio multorum*, videlicet, quis ad hoc Sacramentum accedit, quid sumit, & cur.

Quis? homo, non Angelus; peccator non iustus; terra indignus nedum cibo Angelico; gehennæ pœnas promeritus, non cœlestes fauores: imparatus, in bono proposito debilis & inconstans. Hic itatim actum humilitatis exerceat.

Quid? Sumenda sunt in summa quinque, Corpus Iesu Christi Domini nostri, pretiosus Sanguis, Anima sanctissima, merita eiusdem infinita, & satisfactiones: insuper æterni verbi Persona cum tota sua Divinitate idq; in quantumcunq; parvula particula, & in vna quacunq; specie. Fundamentum huius est, quia Christus dixit: *Accipite & manducate, hoc est Corpus meum.* Et quoniam Christus resurgens ex mortuis iam non moritur: ideò vbi Corpus Christi neq; mortuum neque exangue est, sed vivum & cum sanguine: ibidem est Christi anima & sanguis. Iuxta verò *Regulam à S. Damasceno celebratam*. Quod Deus semel assumpsit, nũquã dimisit: sequitur, personã filij Dei, atq; Divinitatẽ adesse. In quibus rebus apparet infinita huius Domini charitas & liberalitas. Hic erit excitandus actus charitatis & reverentiæ.

Ob quas causas communicet? ob multas: nam & propter obedientiam Christo & Ecclesiæ præstandam: deinde in commemorationem Christi vitæ, passionis, & mortis eius: in gratiarum actionem pro beneficio redemptionis: in signum & memoriale summæ charitatis Christi, quia reversus ad patrem, seipsum totum nobis reliquit: in cibum animæ nostræ, & remediũ infirmitatis eius, in auxilium in omni conflictu spirituali: ad consequendam perfectam vnionem cum Christo, per intimum amorem, ex tali sumptione provenientem, & imitationem virtutum eius: & tandem in pignus futuræ gloriæ. Hic actus admirationis supervenire meritò posset, cum gratitudine.

3. *Oratio devota*, per quam impetratur auxilium ad dignè incedendũ & fructuosè percipiendum.

Concomitantur ipsam sumptionem Tria.

1. *Reassumptio humilitatis*, sibi attribuendo maximam indignitatem, & dicendo cum Centurione: Domine non sum dignus,

2 *Fidei viva subita & quasi momentanea excitatio*, per quam firmissimè credantur illa quinq; hic adesse, panis substantiam omninò abesse, sola accidentia illius remanere, quæ dicuntur eius species: sunt autem, albedo, rotunditas, sapor. Porò hæc admirãda transsubstantiatio facta est virtute Divina, & mi-

& ministerio Sacerdotis, verba Christi proferentis.

3. *Devotio ferventissima*, ita vt totus exardescas in Deum, contendens transformari in eum; ipsi cor & omnia tua in eius obsequium tradas & devoveas. Consequuntur septem.

1. *Gratiarum actio*, pro tali ac tãta dignatione atq; beneficio.

2. *Cautio*, ne credat aliquid sacratum esse in calice dum bibit abluens os: est enim simplex vinum, vnde nullam reverentiam ei exhibeat. Deinde ne citò spuat, sed concedat aliquid temporis, donec particulæ omnes sint intra ex toto demissæ.

3. Interim accedat condigna tanti hospitis æstimatio atq; tractatio.

4. Propositum conseruandi tam præciosum thesaurum in corde mundo, quàm diutissimè: curando, ne quid cogitetur, dicatur, & fiat, quod tanto hospiti displiceat.

5. *Petitio*, vt effectus seu fructus huius Sacramenti, tibi conferantur: qui sunt, auctio fidei & spei, desiderium virtutum, fervor in bonis operibus, cõsecutio perfectionis, fortitudo contra tentationes omnium peccatorũ, transformatio in Christum, & similitudo ad ipsum per imitationem virtutum eius: Perseverantia in bono. Petendum autem est non tantùm pro se, sed etiam pro alijs, consanguineis, benefactoribus, in necessitate constitutis, tam viuis, quàm defunctis.

6. *Gravitas in sermone*, abstinendo (semper quidem, sed tunc præcipuè) à verbis otiosis, risu dissoluto, levitate: in omnibus quoq; actionibus: nihil fiat, quod non præseferat sanctitatem. Et similiter domesticos, subditos, & alios inferiores qui eiusdem mensæ conuiuæ fuerunt, in honore habeat.

7. In prandio, sermones ad ædificationem proximi pertinentes habeat. Et à prandijs, loca sacra, Templa, & Altaria visitet, commandans se intercessioni Sanctorum tutelarium & omnium. Nam & Christus in Parasceue tempore passionis, (in cuius memoriam hæc facimus) propter nostrã salutem, pluries, hinc inde, huc & illuc ductus est, quia ipse voluit: & nobis exemplum humilitatis, patientiæ, atque deuotionis præbuit.

TER-

TERTIA PARS TYROCINII.

De Pœnitentiario.

In qua tria præambula proponentur.

Deinde partes Confessarij declarabuntur.

Tandem de eodem Confessario, quâ Iudex & Medicus est, aliqua adnotabuntur.

Hæc autem omnia in sex Capitula distribuentur,

1. *Cur Sacerdotum alij prompti, alij difficiles ad excipiendas confessiones.*
2. *Stante diversitate opinionum, in casibus conscientiæ, quæ eligenda?*
3. *De dubio.*
4. *De conditionibus Confessarij.*
5. *De munere Confessarii, ante, in, & post confessionem.*
6. *De Confessario, quatenus est iudex.*
7. *De eodem, quatenus pater & medicus.*

CAPUT I.

Vnde proveniat, quod aliqui libenter, aliqui gravatè confessionis officium exercent.

VTrumque potest prouenire, ex animo culpabili, & laudabili. Nam qui alacriter exequuntur, faciunt, vel ex zelo salutis proximi, vel ex præsumptione ignorante aut non ponderante negotij conditionem atque periculum, vel (quod vix credo) ob quæstum sacrilegum. Et similiter, qui subterfugiunt faciunt hoc, aut propter insufficientiam scientiæ sibi benè notam, aut propter suam conscientiam irresolutam & scrupulosam, aut ad evitandum tentationes, quas ibi patiuntur: aut etiam propter suam desidiam, quâ laborem refugiunt, ac proinde zelo saluris proximi carent: vel tandem quia metuunt aut incidere in pœnitentes morosos, intractabiles, impœnitentes, aut committere aliquem errorem, qui eos perpetuò cruciaret.

Expedit sanè hæc omnia impedimēta breuiter removere, & Confessores animare, propensosq; ad hoc sanctū exercitium reddere.

Præsumptio itaq; semper cauenda est, præsertim, quæ cum ignorantia (vti solet) coniuncta est. Pensanda enim est negotij gravitas, periculi (cui se audaculi exponunt) præsentia. Quæstus non est habenda ratio, sed potius præmium à Deo expectandum. Imperitia nota, inhabilem reddit ad hoc munus, ignorantem: adeò vt sine peccato nec prælatus præcipere, nec subditus obedire possit. Si tamen Sacerdos nimis rudis non sit, potest superare inscitiam diligenti studio.

Perplexa conscientia, ope periti confessarij, aut fidelis consiliarij deponenda est. Ea enim durante, confessiones excipere est periculosum, tam Cōfessori, quàm confitenti, imò ob eam reddi solet Sacramentum pœnitentiæ onerosum.

Carnis titillationes, non multùm sunt curandæ, consensu non accedente. Quibus facilè resistet vir pius, præ oculis habens Deum, pœnamque æternam contaminatori Sacramenti imminentem.

Ignavia excutienda est, metu rationis reddendæ de talentis sibi concreditis, & negotiationi seu usui non expositis. Timendum quoq; est, ne iusto Dei iudicio, in casu propriæ necessitatis: desit copia Confessarij, in pœnam denegatæ operæ pro salute proximi.

Zelus etiam excitandus est, tùm quia Deo plùs quàm alia sacrificia, placet, *vt D. Gregorius ait*: tùm quia ad salutem pernecessarius est, in qua renumerationem copiosam habet.

Contra pusillanimitatem fortitudo assumenda est, & officij dignitas opponenda. Nam quoniam Confessarius Dei locum tenet, mundo superior est, cæli ianitor: nulla alia excellentia aut prærogativa ei comparari potest, nulla duritia frangere. Ergo mundanorum hominum offensiones non curet, fauores nihil faciat, lucra non speret, solum Deum & cœlestia aspiciens.

Lapsus quoq; in confessione non pertimescat, si prudenter se gesserit. Prudentiæ erit, in dubijs vel his quorum peritiam non habet, humiliare se, & peritiores consulere. Occurrente autem circa aliquam materiam opinionum diversitate, tutam eligere.

CAPUT II.

Quomodo se Confessor gerat diffidentibus authoribus.

Occasione nuper dictorum, declarandum est, quid facto opus sit, cum authores diuersa sentiunt: & cui tunc opinioni adhærendum.

1. Notandum itaq; est inprimis, opinionem quadruplicem esse. *Improbabilem, Probabilem, Probabiliorem, & Communem.*

Improbabilis est, quæ communiter reputatur continere errorem: aut est antiquata, hoc est, à qua omnes Neotherici rationabiliter recesserunt, propterea quòd antiqui eam proferentes non attenderunt aliquam legem vel rationem suæ assertioni contrariam:

aut

aut quia post illorum antiquorum obitum aliqua decreta edita sunt. Multa huius rei exempla afferri possent: aliquot nunc adducentur. 1. Antiquorum opinio fuit ad Eucharistiam sumendam sufficere contritionem, nec requiri confessionem actualem, etiam habita copia Confessoris, quamvis hoc salutare sit. Hæc tamen opinio post determinationem S. Conc: Trident: non potest sustineri. 2, De confessione facienda coram & in præsentia Confessarij, ita quod inualida esset absolutio à peccatis facta pœnitenti absenti, contra quorundam antiquorũ opinionem. 3. De suspensione nouiter lata contra ordinatos ante legitimam ætatem. 4. Quod non efficitur iam irregularis, interficiens inuasorem, ad saluendum vitam propriam, observato moderamine inculpatæ tutelæ, secundùm novam declarationem. 5. Quod ad confitendum laico in quocunq; casu, nemo obligatur; quicquid aliqui ex antiquis docuerint.

Probabilis opinio est, quæ non leuibus nititur fundamentis, sed solidis, quamuis non euidentibus, neq; oppositam opinionem omnino convincentibus. Porro talia fundamenta duplicia sunt. Propria, seu intrinseca; vt sunt causæ, effectus, definitio proprietates, quibus opinio valdè confirmatur. Cõmunia & extrinseca; vt sunt authoritates, seu testimonia virorum piorum, ac peritorum, coniecturæ, & signa efficacia.

Demum authoritas vnius etiam Doctoris probi docti, & in illa materia versati, facit opinionem probabilem. Præsumitur enim ipsum solidis rationibus niti, & non velle recipere.

Vbi duplices authores advertere possumus Classicos, & Protelarios.

Classici censentur, qui doctissimi habentur; prudentes, timoratæ conscientiæ, multùm in arte versati; in tali materia periti, discurrentes egregiè atq; suas sententias fortissimis rationibus communientes. Et tales probabilem efficiunt opinionem.

Protelarij sunt inferiores, prædictis conditionibus carentes, qui non reddunt opinionem probabilem.

Probabilior est, quæ validioribus fundamentis innititur, quàm altera, quæ licet valida fundamenta habeat, tamen illius rationes magis vrgent.

Hoc quoq; notandum, quod non est idem opinionem probabiliorem & tutiorem. Potest enim esse minùs probabilis, & tamen tutior, quàm illa quæ est probabilior. Nam tutior est, quâ amplexa, nullum est periculũ peccati. Minùs tuta in qua potest subesse peccati periculum, vt in controversia, an aliquis sit obligatus ingredi religionem, seu an votum eius sit validum; affirmativa opinio, procul dubiò erit tutior, & tamen potest debiliori fundamento niti: imprudenterque tunc aliquis ad religionem compelleretur. Et vniversaliter opinio, quæ censet id de quo est quæstio, esse peccatum, tutior est: minùs autem tuta, quæ negat esse peccatum, & tamen aliquando non habebit solidiora argumenta.

Communis opinio non est illa, quam tenet multitudo scriptorum, vnius Doctoris authoritatem, instar ouium & auium, priorum vestigia, sine iudicio sequentium, vt contingit in his, qui sunt eiusdem factionis in scholis. Hi

enim

enim non faciunt opinionem cōmuniorem, quamvis sint numero plures: sed illa communior est dicenda, quā sex aut plures authores Classici proferunt, materiam non obiter sed ex professo tractantes, solida fundamenta iacientes, & contraria sufficienter dissolventes. Talis inquam opinio (ex Doctorum, verisimilior est ea, quam 50. asserunt, sola ferè authoritate priorū ducti: Quia communis opinio non ex numero opinantium: sed ex pondere probationum, seu fundamentorum pensatur.

Quòd si duæ opiniones essent, ambæ habentes Doctores graues, & rationes pares, vtraq; poterit dici communis, vt docet *Nau: Manu: c.27. n.389.*

Dicerem ego hic posse dari latitudinem, vt dicatur opinio communis, quam multi grauissimi Doctores asserunt: Communior, quàm plures: Communissima, quàm omnes aut ferè omnes.

2. Sciendum est, licere vnicuiq; bona conscientia sequi opinionem probabilem, etiam relicta probabiliori, dummodò id bonâ fide, id est, credēdo eam esse veram, & non animo malitioso aut doloso. Revera enim intolerabile onus esset, & multis scrupulis expositum, si teneremur inuestigare opiniones probabiliores. Imò licitum est relicta sua opinione, quam putat quis & probabiliorem & tutiorem esse, sequi aliorum opinionem minùs probabilem, minusq; tutam (licet rationes contrarias solvere non valeat) dummodò credat eam esse veram certitudine morali & probabili, quamuis non Mathematica, seu omnimoda, contra quam opinari non liceat.

3. *Qui in rebus moralibus* (inquit Salon) *parum versati sunt non poßunt tutâ conscientia sequi id quod in vno vel altero Doctore invenerunt, præsertim* (vt Sanchez ait) *si is eßet Doctor antiquus, de cuius doctrina timeretur, ne sit antiquata:* quod vir in moralibus non peritus ignoraret, & posset ei opinio illa videri probabilis, cùm tamen alijs peritis talis non haberetur. Imò etiamsi esset ex Neothericis, isq; grauis Doctor, adhuc imperito posset subesse periculum, ne forte eius opinionem nō intelligat, aut casui particulari applicare nesciat.

Tutiùs itaq; est (*idem Salon monet*) Confessoribus minùs exercitatis, consulere viros peritos, in illa materia versatos, & qvos timoratæ conscientiæ esse norunt, vt ab ipsis discant, quæ opinio sit probabilis, tuta, ac sequenda (Nam virorum doctorum est expēdere vtriusq; partis rationes) & qui aliter agunt, fidentes suis ingenijs & summulis, non sunt tuti in conscientia, nec prudenter & rationabiliter, in rebus magni momenti, operari censentur.

Delectus quoque magnus faciendus est inter Doctores à quibus petendum sit consilium: neq; enim satis est, quod in Theologia & iure sit graduatus, cùm aliquando accidat, nonnullos ex his esse in hac materia imperitos, *vt testatur Sayro:* sed tales quærendi sunt, qui cum peritia pietatem coniungant.

4. Consultori non licet consulentem remittere ad Doctorem, cuius opinio creditur falsa: licet tamen ad eū, qui eam tenet, non ex ignorantia legis, & aliorum argumentorum in contrariū: sed du-

ſed ductus alijs rationibus, quæ ipſi & alijs viris probabiles videntur, quamuis conſiliario opinio non placeat.

Qui pleniùs hanc materiam ſcire cupit, legat *Sanchez Moral: lib. 1. cap. 9. Salon: 2. 2. q. 63. a. 3. & alios ibidem allegatos.*

ADDITIO.

* *Doctrinã de probabilitate opinionũ non extendas, vbi de valore Sacramentorum agitur, vel dum Iudex iudicat, vel medicus curat. vniverſaliter vbi de iniuria & periculo proximi agitur. nec extendas dum probabilitas tenuis adeſt. Author enim in omnibus cautè procedit, & præcipuè ad vitandos ſcrupulos præfatam doctrinam poſuit. V. Sent. damnatas ab Innoc: XI.*

CAPUT III.

De Dubio.

QVoniam dictum eſt ſuperiùs, poſſe ſecurâ conſcientia eligi partem tutam, relicta magis tuta, hoc autem videtur eſſe contra iuris Regulam C. Iuvenis, de *Sponſal:* qua docetur, quòd in dubijs tutior pars eſt eligenda: ideò hoc quoq; hic declarandum eſt.

1. Sciendum itaq; eſt hanc regulam veriſſimam eſſe, & habere locum in vero dubio, ſeu propriè dicto dubio, videlicet, quando intellectus, neq; aſſenſum habet, neq; diſſenſum, ſed eſt anceps, non habens maiorem propenſionem ad vnam, quàm alteram partem. Et per hoc differt ab opinione, quæ ſemper eſt cum aſſenſu vnius partis, quam exiſtimat veram, quamvis cum formidine de contraria. Quæ formido non excludit aſſenſum determinatum circa aliam, ſed conſiſtit tantum in hoc, quod aliquis per actum reflexum, iudicat rationes illius partis, cui adhæret, non eſſe evidentes, ſed tantùm veriſimiles, atq; ita poſſe accidere, vt contraria opinio fortè ſit vera.

2. Itaq; ſtante vero dubio, nihil tutò agere licet: Quacunq; enim partem amplexus fueris, peccandi periculo te committes. Vt autem liberè agere valeas, debes diligentiam adhibere ad inquirendum veritatem, & tandem depoſito dubio, & metu conſcientiæ, vni parti adhærere; atq; ita bona fide operari: Quod ſi tanti non fueris, bonorum ac prudentum, conſilio vtere, quales ſunt Prælati, Confeſſarij, cæteriq; amici, pij tamen & diſcreti. In horum defectu recurre ad Deum per orationem ferventem ac humilem, & tandem elige vnam partem tutiorẽ, aut minùs periculoſam.

CAPUT IV.

De conditionibus Confeſſarij.

EXpediret quidem hic à conditionibus Confeſſarij initium ſumere, ſed quoniam in *Examine tit. 2.* ſunt enumeratæ & explicatæ, ideò illuc legentem

tem remittimus: Vltimæ tamen subobscuræ, declarationem subijcere censuimus.

Cum itaq; sex sint conditiones Confessoris, scilicet, potestas, scientia, prudentia, bonitas, sigillum. atq; fortitudo: hæc vltima quid propriè importet, breviter exponendum est.

Fortitudo non importat audaciam vniversè, quia sic sumpta, quandoq; in bonum, quandoq; in malum trahitur *vt docet D. Th 3. d 26* nisi intelligatur audacia, secundùm quod est moderata ratione: sic enim pertinet ad virtutem fortitudinis, *teste D. Th: 2 2. q. 127.* Sumitur itaq; hic, prout est virtus resistens, superans ac expellens omnes difficultates, quæ Confessori occurrere possent, & impedire, ne officio suo ritè fungatur. Porrò istæ difficultates in Sacramenti functione multæ sunt. Est enim inprimis, ignauia, & horror retrahens Confessorem à labore subeundo, vt superiùs dictum est. Deinde onus dicidendi seu resoluendi casus perplexos & intricatos, sæpè in confessione interuenientes. Item pœnitentium qualitas, authoritas, amicitia, benevolentia, beneficẽtia, quæ iudicium Confessoris interdum obnubilant. Diversa quoq; ingenia personarum, impatientium, cholericarum, obstinatarum. Has & alias difficultates frangere & superare Confessarius debet, viriliter ac generoso animo, exequendo quod officium exigit, pro Dei gloria, proximi salute, ac suæ conscientiæ securitate.

CAPUT V.

De partibus Confessoris.

Quid agere ipsum oporteat, ante administrationem Sacramenti. Quid in ipso actu Confessionis, & quid post datam absolutionem.

§ I.

Ante confessionem tria facienda. *Ars discenda, potestas acquirenda, & præparatio præmittenda.*

1. *Quare ars discenda.*

Quia difficillima, eiusq; ignorantia periculosissima. Et tamen à pluribus floccipenditur; aut quia facilis creditur: aut quia pericula non considerantur, & proprio ingenio confiditur.

2. Hæc ars in duobus cośistit. *In iudicando & medendo.*

Est enim ista ars & Medicinalis & Iudicialis, quamuis paterna: cuius subiectum est anima: initium morbi, seu peccati cognitio: medium, de cognitis peccatis iudicatio: finis, sanitatis spiritualis introductio. Ergo Confessoris, qui medicus simul & iudex est, munus erit, scire mederi & iudicare. Vt benè iudicare valeat, varietates delictorum iudicandorum, eum nosse oportet: vt efficaciter medeatur, necesse est cognoscere causas, qualitatesq; morborum spiritualium, & remedia convenientia, quæ prudenter applicãda sunt.

3. Porrò varietas peccatorum multiplex est.

Nam inprimis quædam peccata sunt simplicia, (vt homicidium, furtum, fornica-

nicatio) nulla circumstantia affecta. Quædam autem sunt circumstantio nata, hoc est, per aliquam circumstantiam adiunctam aggrauata, vt interfectio Sacerdotis, copula cum consanguinea, furtum in loco sacro.

Deinde. Alia sunt annexam restitutionem habentia, vt vsura, diffamatio, &c. Alia verò à restitutione libera, vt transgressio ieiunij &c. Tertiò. Aliqua sunt reservata, aliqua nõ. Quartò. Alia sunt sola, alia cum censura Ecclesiastica, pœna aut impedimento Canonico coniuncta.

4. Curatio quoque duplex adhiberi solet, aut potest

Vna dicitur per se, & Sacramẽto pœnitentiæ essentialis; & hæc est absolutio Sacramentalis, per quam pœnitens recuperat sanitatem animæ: ac proinde gratiam amicitiamque Dei cõsequitur. Altera per accidens, id est in casu talis dispositionis pœnitentis, vt quia est scrupulosus, vel præsumptuosus, durus ad dolendum, obstinatus ad peccatum deserendum, difficilis ad alienum restituendum. Vnde medicamentum adhibendum est, ad erigendum pusillanimem, mollendam cordis duritiem, monendo, suadendo, & persuadendo sinceram pœnitentiam, ac proinde persuadendo ad introductionem gratiæ: de quo fusiùs infra c. 7.

De Potestate.

5. Potestas, quæ in confessario requiritur, est duplex. *Ordinis & iurisdictionis*

Ordinis quidem, quam accipit Sacerdos in sui ordinatione. Iurisdictionis autem, quam acquirit per officij Pastoralis assumptionem aut delegationem, *vt fusiùs declaratum est in Exa; ap prob* Vtraque igitur potestas, adeo est necessaria ad confessiones audiendas, vt si altera desit, absolutio sequens omninò inualida sit. Nam qui Sacerdos non est, in nullo casu absoluere potest: cùm sacerdotium sit fundamentum exercendæ iurisdictionis in foro pœnitentiæ. Similiter quamuis sacerdotium adsit, desit autem iurisdictio, ratione officij aut commissionis, absolutio regulariter nulla erit, secluso mortis articulo; vt statim dicetur.

Nec te moveat vetus illa narratio, de confessione facienda coram Laico, deficiente Sacerdote, in articulo mortis: quoniam secundùm determinationem Ecclesiæ, nemo ad talem confessionem etiam tunc obligatur neq; Laicus à peccatis vnquam absolvere potest: sed in tali casu ad contritionis præsidium confugiendum est. Secus esset, si adesset Sacerdos simplex, non expositus in absentia expositi. Nam in tali casu licitè & validè absolveret concedente ei tunc facultatem. Ecclesia, & approbante hanc generalem consuetudinem.

6. Tres autem sunt, qui habent iurisdictionem ex officio.
Papa in toto orbe, hoc est respectu totius Christianitatis. Episcopus in sua Diœcesi: & Parochus in sua Paræcia. Cæteri habent ex commissione.

7. Prædicti itaq; tres, & quartus Episcopi Vicarius, possunt hanc iurisdictionem delegare: ac propterea ab ipsis quærenda est. Nam Vicarius nõ solùm ad vtendum, verùmetiam ad communicandum alijs, hanc facultatem habet.

In religione vero tres: Superior legitimus loci, (sed non ab eo institutus Vica-

Vicarius aut Præsidens) Superior seu Prælatus Provinciæ, qui Provincialis dicitur. Et Prælatus totius Ordinis, qui Generalis vulgò appellatur.

Porrò Parochi, quamvis iure antiquo hanc potestatem absolvendi alijs conferre potuerint, tamen propter abusum, & pericula, sublata est eis talis authoritas, nouoq; iure Conc: Trid: solis Ordinarijs relicta.

Nihilominùs ipsis quoq; Parochis licitum est, committere audientiam Confessorum, sed approbatis duntaxat ab Ordinarijs, seu alicubi in Diœcesi eadem expositis absolutè, hoc est absque aliqua limitatione. *Suarez in 3. par. t. 4. disp: 28. sect: 7. n: 13.* præterea *n. 19.* asserit hanc consuetudinem esse, vt Parochi sese mutuò iuuent, ex solo suo consensu, non tantùm intra eandem Diœcesim, sed etiam in confinio distinctarum Diœcesum, quod tamen non debet (*inquit*) regulariter fieri, neque extendi, præsertim ad illos, qui nō ex officio sed ex sola delegatione sunt Confessores, nisi accedat consensus saltem implicitus Ordinarij: vtpotè, quia scit & non prohibet. *De qua re lege Suar: ibidem Sect: 7, n. 5.*

* *Alii DD. Vniversaliùs & sine dicta limitatione loquuntur; hoc est, non ad Solos ex Officio Confeßores, hanc doctrinam extendunt. V. 2. Sent. M: d. 65. Cont. vltimâ.*

8. Sciendum quoq; est hic ex communi doctrina Ecclesiæ, non posse Parochum prohibere Parochianum suum quo minùs confiteatur religioso, vel alteri Sacerdoti, ab Episcopo exposito. Et Sacerdos talem facultatem habens ab Episcopo, potest ea semper vti absque alia facultate Parochi, imò etiam ipso invito; nihilominùs si adeò contradiceret, vt propterea timeretur scādalum, satiùs esset in publico ab audientia confessionis abstinere, præsertim in eius Ecclesia.

9. Si quis semel est approbatus, & ad confessiones audiendas admissus, simpliciter, absq; vlla limitatione loci, temporis, personarum, &c. & præterea præuio examine; nunquam deinceps ab eodem Episcopo examinari potest, sed semper manet approbatus, & admissus in illa duntaxat Diœcesi, pro qua est expositus, nisi fortè magna aliqua causa, vel mutatio accidat. Quòd si absq; examine aut limitatè fuit admissus, non habet perpetuam facultatem. Et tunc nihil valet illa propositio. Semel præsentatus vel admissus semper talis manet. *Suar: ibidem, & omnes alij.*

* *Lezana tom. 1. q. 9. Regularium. C. 19. adducit declarationem Sacræ Cong: die. 2. Iulij 1587. quæ sic habet. Regulares qui ad audiendas Confeßiones idonei generaliter ab Ordinariis eorumq; Examinatoribus reperti, & approbati fuerint, generaliter quoq; & indistinctè absq; vlla limitatione temporū, certorumq; locorum, aut generis personarum admittantur in propria Diœcesi. Nota Ly idonei generaliter ab Ordinarijs eorumq; Examinatoribus reperti. Si vis hoc privilegio vti. Rarò autem hæc idoneitas generalis per examen tale, hoc est generale, saltem in N. habetur partibus ideo hoc privilegium rarò suffragatur. V. 2. Sent M: d. 65. cont: 11. & sequentibus.*

10. Talem habens facultatem, potest suum Parochianum vel Diœcesanum vbiq; audire & absolvere, tam in propria Diœcesi, & semper, Paschatis quoq; tempore.

11. Religiosi ex priuilegio, possunt

sunt in sua Diœcesi, pro qua sunt expositi, omnes absolvere, etiam ex alijs Diœcesibus causa confessionis faciendæ confluẽtes. Seculares verò Cõfessarij nonnisi cum consensu suorum Parochorum, id agere possunt. Consensus autem esse potest, explicitus, aut implicitus; cùm videlicet Parochus dat ipsis benedictionem, aut facultatem iter aggrediendi, deuotionis causa.

12. Talis potestas durat, aut donec tempus assignatum terminetur (si est temporalis) aut perpetuo (si est absoluta, & non revocata) nec finitur aut expirat morte vel amotione concedentis: nec absentiâ Confessarij, quia si post aliquot annos, ad illam Diœcesim reversus fuerit, & facultas ob aliquam causam rationabilem revocata non sit, tuto potest absolvere.

13. Sacerdos eo ipso, quòd exponitur per Ordinarium, quocunque id fiat modo, vna & eadem opera approbatur. *Suar.*

14. Quando in confessione accideret peccatum reservatum, Confessor à nullo potest regulariter absolvere, sed debet, vel pœnitentem ad eum, qui potest, remittere, vel ipse talem facultatem procurare ac obtinere: & interim ab omni absolutione supersedere: vt superius dictum est.

15. Quando in confessione soli casus reservati exprimuntur: is cui talis facultas delegatur, potest etiam à non reservatis absolvere, quia in ea omnia non reservata includuntur, atq; in cõcessione maiori subintelliguntur.

16. *De Præparatione.*

Præparatio ista potest esse remota seu generalis: & hæc est vitæ Confessoris continua integritas, quæ quamvis ad valorem Sacramenti non requiritur, necessaria tamen est ad efficaciorem peccatoris conversionem, quam faciliùs ac potentiùs persuadebit, qui à Deo per vitæ improbitatem aversus non est: & calefaciet citiùs qui in se calidus est. Generalis quoque præparatio est, assiduum studium in hac arte.

Præparatio verò proxima consistit in quatuor. In carentia peccati mortalis, in rectitudine intentionis, in virtute fortitudinis, & imploratione divini auxilij. Hæc enim exiguntur ad licitè vel benè exequendum munus Confessoris, quamuis aliàs possit non esse invalida confessio. Debet inquã inprimis Confessor ante confessionem recolligere se, num sit conscius alicuius mortalis, vel non. Nam si conscius sit, debet statim excitare in se veram & perfectam contritionem: nisi malit ipse quoque priùs confiteri.

Intentio bona in eo sita est, vt quis tale ac tantum negotium non aggrediatur, spe lucri vel commodi temporalis, aut amicitiæ contrahendæ, vel aliqua curiositate illectus; sed merè ex charitate & zelo salutis proximi: quatenùs Deo placeat, & sibi merita apud eum comparet: hostisq; Dei & generis humani de damnatione fratris non triumphet. Fortitudo etiam concipienda & assumenda est, vt minister Sacramenti liberè, absq; vllo respectu personarum, vel statuum, procedat in confessione, siue monendo, siue reprehendendo remedium adhibendo, absolutionẽ denegando, vel differendo, restitutionem præcipiendo, occasiones interdicendo, cæteraque necessaria respectiuè præstando; vt superius

periùs dictum est.

Recursus ad Deum per orationem brevem, apprimè est necessarius, ad obtinendum auxilium, quo Confessor adiutus, hoc tam sanctum & arduũ opus, sanctè & utiliter exerceat, & omni tentationi fortiter resistat. Nimirum sunt in hoc ministerio plures occasiones impingendi, præsertim in quinque genera peccatorum. 1. Cõtra castitatem: nam audiendo inhonesta (sine quibus vix transigitur confessio) facilè caro ex se ad malum propensa tentatur, ac deficiente Dei auxilio, & forti custodia, succumbit. 2. Contra patientiam eò quòd innumeræ sint molestiæ, provenientes ex varijs ingenijs pœnitentium. Aliqui enim sunt valde rudes, alij importuni, alij scrupulosi, melãcholici, alij nimium laxi, paruipendentes omnia, aliqui superbi, sibi aut suæ doctrinæ fidentes, duri corde pertinaces, impœnitentes, restituere detrectantes impatientes, &c.

Quòd si ipse quoq; Sacerdos sit ex se cholericus, aut valde zelosus, aut etiam scrupulosus vel morosus, præsertim cùm corpus sentiat defatigationem, facilè in eo hæc omnia excitabunt impatientiam, iram, ac tædium, cùm hæc interdum verbis produntur, & insuper ex zelo proficisci credentur, cùm reuera vitia sint. 3. Contra humilitatem: nam aliquando superbia se ingerit, dum Confessor ad suam conscientiam pœnitentem comparat, quem facilè contemnet, seque ei præferet, si senserit se immunem à similibus. 4. Contra puritatem confessionis. Si plura scire desiderat, quàm sit opus ad integritatem confessionis, & ad finem absolutionis: siue propter oblectationem carnalem habendam, siue suspicionem de aliquo indagandam. 5. Contra fortitudinem. Sunt enim aliqui pusillanimes, ne dicam ignavi, & ignari, qui aut nesciunt os aperire, aut non audent vllum verbum proferre necessarium ad salutem pœnitentis, seipsos & proximos seducentes.

§ II.

In actu Confessionis quæ facienda?

Confessor in actu confessionis, aliqua in principio, aliqua in medio, aliqua in fine præstare debet.

In principio.

1. Pœnitentem iucundè excipere, vt intelligat bonum Confessarij affectũ erga se, atq; ita fidentiùs & fideliùs confiteatur: Nam & Christus Magdalenam aliosque peccatores benignè excipere solebat. *Vnde D. Th: 4. d. 17.* inducit ad hoc, duos antiquos versiculos explicantes Confessoris qualitatem.

Confessor dulcis, affabilis atq; suavis.
Prudens, discretus, mitis, pius, atq; benignus.

2. Appropinquante ad se pœnitente, Confessor non consideret vultum eius, sed illico faciem suam tegat, vt ipse liberiùs confiteatur. Imprudenter imò & illicitè faciunt aliqui Confessores, qui per totam ferè confessionem intuentur vultum pœnitentis.

3. Audiat patienter. Hæc autem patientia in tribus consistit, 1. In permittendo pœnitentem suo modo, quamuis rudi, explicare sua peccata, inquantum fieri potest citra Sacramenti iniuriam, & alicuius infamiam vel

vel præiudicium. 2. (Quod inde sequitur) non interrumpendo sermonem, absq; gravi causa. Nam sunt aliqui pœnitentes adeò meticulosi, vt audito vel vno verbo, obliviscantur eorum, quæ dicturi erant. 3. In abstinendo à quibusdam signis pavoris, admirationis, quamuis grauissima & turpissima peccata recenseantur: solent enim imprudentes ad tales occasiones se commovere, spuere, se cruce signare, quòd cedit in magnum pœnitentis præiudicium, & Sacramenti cōtaminationem.

4. Advertendum hîc. Quod licebit Confessori, statim à principio, benignè interrogare pœnitentem: An possint absq; eius molestia, & periculo oblivionis, aliquando fieri interrogationes in ipso cursu confessionis. Hoc enim utile esse poterit: tum, ne ipse Confessor volens examen ad finem Confessionis differre, obliuiscatur: tum ne fortè pœnitens ex imperitia, vel vndecunque prosequatur narrationem impertinentium, inhonestorum, aut famæ alterius præiudicantium. Poterit quoq; hortari & animare ad cōfessionem integrè faciendā, tantâ charitate, zelo & efficacia: vt si aliàs integrè non sit confessus, nunc deposito omni respectu seu pudore, sincerè confiteatur.

5. Cæterum præambulæ interrogationes rarò vtiles sunt: multoties autem frustra tempus consumunt.

In medio.

6. In tota narratione pœnitentis tria diligenter obseruet. 1. Pœnitentis dispositionem, non tantùm animæ sed & corporis: proderit enim hoc tum ad inquirendum, tum ad iudicandum, & remedium applicandum.

2. Modum confitendi quo vtitur, vel vti solet. 3. Peccati gravitatem & annexa, videlicet reseruationem, restitutionem, censuram, & alia, si fortè inveniantur.

7. Propter factam in principio præoccupationem, liberiùs monere poterit pœnitentem, quamuis modestè, si quid in confessione occurrerit, quòd dissimulari & ad finem reseruari non possit, vt cùm pœnitens creditur infamaturus aliquem temerè, &c.

8. Audita confessione, & data occasione, inquirat non minùs fideliter, quàm prudenter. Fideliter quidem, gerens se in hoc negotio, non secus, ac proprio, considerando quoq; suum meritum ac magnum præmium. Prudenter verò, præsertim in carnalibus, ne quid cum Sacramenti profanatione, proximi scandalo, & sui tentatione percontetur, tam quoad rem, quā quoad modum.

9. Instruat diligenter (si necesse est) præsertim simplices in articulis fidei, præceptis Dei implendis.

10. Medeatur convenienter. Et quoniam in confessione sæpiùs accidūt scrupuli, item negligentia circa salutem: pertinacia ad vitæ emendationē occasionum desertionem: & difficultas ad restitutionem; propterea prouidus Confessor debet operam dare, vt pro talibus eventibus remedia in promptu semper habeat; nunc rationibus persuadendo, nunc exemplis cōfirmando.

11. Porrò, si pœnitens sit bonæ scientiæ & conscientiæ, nec immineat aliquod periculum in posterum, circa præterita quoq; nulla sit monen-

di ne-

di necessitas, debet eum Confessor absolvere, nullo sermone, ipsum onerãdo. Similiter quamuis simplex sit, sed nullas tricas habet in conscientia, estq; optimè dispositus. Nisi fortè huic ex aliqua occasione, brevis instructio pertinens ad profectum & conservationem vitæ bonæ adhibeatur: Imò etiam si quis accesserit; oneratus quidem multis difficultatibus, sed tamen benè dispositus, scilicet, verè dolens, emendari firmiter proponens in, omnibus Confessori obtemperare volens: talis quoque diutiùs detineri non debet, ne aut ipse sine causa molestetur, aut Confessor inaniter fatigetur, aut tempus inutiliter conteratur. Circa indispositos labor Confessori suscipiendus est, vt dictum est, vel vt verus dolor concipiatur, vel efficax propositum omninò ampliùs non peccandi assumatur.

12. Præmissâ monitione de ampliùs non peccando, occasiones fugiendo, restituendo (si & quatenus necesse erat) accedente quoq; pœnitentis acceptatione seu consensu super his; pœnitentiam temperatam quidem, at non nimis parvam, sicut neque valdè magnam imponat, sed cum iudicio id faciat.

Vt autem proportionatam taxet, consideret inprimis peccatorum gravitatem, deinde doloris quantitatem; Pœnitentis quoque qualitatem: & conditionem tam naturalem, quoad facultatem, complexionem, quàm moralé, quoad occupationes, &c. Tandem circumstantias alias, peregrinationem, indulgentias, &c. Et tunc temperet eam: Multi enim sunt, qui æqualem & eandem pœnitentiam, abśq; iudicio imponunt pro magnis & parvis peccatis, personis occupatis & vacantibus: interdum pro magnis parvam, ex favore; aliquando vero temere etiam pro paruis magnam.

13. Finaliter absolvat, si & quatenus facultas se extendit, & pœnités est dispositus: Nam negare absolutionem disposito, est graue præiudiciũ, eius, & Sacramenti iniuria, eò quod redditur odiosum. Inabsolubilem etiam absolvere, est Sacrilegium. Absolutio verò voce submissa dicenda est, neque necessaria est manus super caput pœnitentis impositio.

§ III. *Post Confessionem.*

Peracta Confessione, siue sit data absolutio, siue non; Confessor ad duo obligatur: Ad secretum seu sigillum servandum: & pœnitentem non observandum.

1. Tam arctum est secretum confessionis, vt in nullo casu, quantumcunque periculoso, liceat illud aperire, seu manifestare. Nam neque pro innocentis vita defendenda aut servanda, neq; (quod maius est) pro totius mundi salute, siue corporis, siue animæ, sive vtriusque. Sacerdotes perperam agunt, qui res auditas in confessione (quamvis peccata non sint, nec persona detegatur) propalant. Illis enim hoc periculosum est, ne talia narrare assuefacti, in fractioné sigilli prolabantur, quod facillimum esset; audientibus quoq; scandalosum: multi enim credunt talibus narrationibus cõfessionem violari, aut contaminari. Porrò Prælati, non tantùm non possunt in exteriori gubernatione notitia per viam confessionis acquisita: vti,

sed

sed neq; in communi quidpiam dicere, adeò vt neq; sic loqui liceat: Hac hebdomada nullus Confessorum petijt facultatem à reseruatis. Toto cœlo errarent Confessores, qui crederent se posse in communi monere Prælatos, vt invigilent in his vel illis casibus. Alto silentio involvenda sunt omnia audita, acsi nunquam essent audita.

2. Dimisso pœnitente, cogitet Cōfessarius se iam functum officio suo, & susceptam curam compleuisse: neque amplius potest actus pœnitentis obseruare, & multò minùs peccata in memoriam reuocare, etiam secretò, siue ut paternè admoneat siue vt cōsoletur: neq; interrogare, an tentationes sint auctæ, diminutæ, vel sopitæ. Et quamuis viderit eum contrarium agere his, quæ illi sunt in confessione iniuncta, non moveatur, non curet, sed dissimulet, & vultum suū nunquam erga eum mutet, sed eundem quem antea præferat.

In summa: sic cum ipso se gerat, acsi nihil omnino mali vel boni de eo intellexerit: & acsi nunquam eius confessionem audijsset.

3. Poterit, si voluerit & vacaverit, orationem breuem facere, vel suspirium saltem pro pœnitente, vt in bono perseveret, & pro seipso, vt Deus acceptet hunc laborem in peccatorum remissionem, & vitæ æternæ meritum: quamuis hoc sit consilij, non necessitatis. Satis enim oratur pro pœnitente, dum dicitur, *Misereatur tui* Et *Passio Domini nostri Iesu Christi*, &c.

CAPUT VI.

De Pœnitentiario, quâ iudex.

1. IVdicis est inquirere, post inquisitionem iudicare, & tandem sententiam proferre. Idem Confessorem par est facere in confessione, scilicet interrogando inuestigare, & quantum fieri potest, iudicare, hoc esse mortale, illud non: hoc reseruatum, restitutioni obnoxium, censura affectum, vel non: hic pœnitens est capax absolutionis (quæ est sententia in ipsius fauorem) ille incapax: hoc permittendum est pœnitenti, illud (vt potè, quòd via sit ad peccatum) interdicendum: hæc confessio valida fuit vel invalida, ac proinde repetenda.

2. Inquisitio seu examen duplex est. *Commune*, quod ad omnes confitentes extenditur. *Et particulare*, secundùm statuum diversitatem; *vt in Speculo pœnitentium in secunda parte dictum est.*

3. Errant valde illi, qui credunt, confessarium debere esse contentum sola auditione & narratione pœnitentis. Tenetur enim interrogare, quotiescunque verisimiliter credit aliquid omitti in confessione, quod explicandum erat, *prout in Exa. Approb: dictum est*; quamvis ille nullam fecerit mentionē; dummodò pœnitentiario certò constet, illud esse peccatum mortale, & à cōfitente perpetratum, neque per aliquā priorem confessionem expiatum.

Dices, pœnitens non habet in eo con-

conscientiam, ex aliorum informatione. Esto: Sed vrgebo. Illa informatio provenitnè ex diversitate opinionum probabilium, an verò ex temeraria contradictione in gratiam alicuius facta, contra evidentem, manifestam veritatem. Certè si informatio processit ex diversitate talium opinionũ; benè est, quia tenetur Confessor absolvere pœnitentem contra suam opinionem, etiam probabiliorem, si pœnitens adhæreat contrariæ opinioni, probabili tamen. Quod si ex violẽta extorsione verborum, legis gratiæ, &c. non tenetur idem sentire Confessor, neq; se conformare errori informantium & informati; *Vnde S. Anton: p.1. tit: 3. c. 10. § 10. & Palud: dicit*; Si Confessor esset certus de opposito scilicet, quòd aliquid sit mortale, quod confitens non manifestat, neq; eum pœnitet, non tenetur se illius iudicio conformare, quàmuis pœnitens dicat se consilio peritorum facere.

CAPUT VII.

De eodem Pœnitentiario, quâ Medicus.

1. MEdicorum est, morbi qualitatem cognoscere, causas eius inuestigare, & postea medicinam exhibere. Idem Confessorem facere cõuenit, grauitatem, periculumq; peccatorum perpendere; vnde proveniant deprehendere: ex fragilitatenè an aliorum inductione, vel conversatione, aut alijs occasionibus: an verò ex diaboli suggestione. Nam si ex fragilitate recidivum timeretur, variæ mortificationes imponendæ, & auxilia suppeditanda essent, per Sacramentorum frequentationem, eleemosynarum largitiones, orationes, ieiunia, disciplinas, &c. Si ex conversatione, aut locorum frequentatione, hæc interdicenda essent: si ex deceptione diabolica, tunc magna cautela adhibenda esset, in nullo hosti condescendendum, & ad Deum Sacramentaque cõfugiendum.

2. Verùm vt hæc ars medicatiua commodiùs exerceri possit, enumerãdæ sunt variæ pœnitentium qualitates, & singulis remedia præscribẽda.

Sciendum itaq; est, inter accedentes ad confessionem, aliqui patiuntur defectum contritionis, nimirum quia dolore aut firmo proposito peccata deserendi, & vitam emendandi carent; alij pœnitentiam differunt, multi facilè recidunt, propter habitus pravos relictos: omnes autem ferè ad proficiendum in bono, iuvandi sunt. Demùm alij sunt pij & simul pacatæ cõscientiæ: alij morigerati, sed scrupulosi: nonnulli mixti, videlicet, scelerib us & scrupulis pleni: non desunt etiam qui ad desperationem sunt proni.

3. Qui duro corde sunt, ac impœnitentes, iuvandi sunt, vt admittant & concipiant contritionem.

Ad hoc autem efficiendum proponenda sunt terribilia, præterita, præsentia, & futura. Præterita quidem, quàm severè Deus punierit peccata in Angelis & hominibus in Paradiso, & extra,

extra. Præsentia verò: inprimis iniuria Dei aspicientis, qui summum ac infinitum bonum cùm sit, infinito modo odio habet peccatum: nos autem sine mensura ac termino diligit, vocat ad se, paratus quãtumcunq; maxima peccata condonare. Talis ac tantus benefactor, vt non qualicunque modo nos creaverit, sed ad imaginem & similitudinem suam, quam nos per peccatum maculamus & delemus, dæmonis autem Dei & nostri inimici imaginem induimus: imò amicitiam Dei dissolvimus, & cum hoste, qui ad interitum nostrum inuigilat, contrahimus. Facultatibus & sensibus Deus ornauit nos, vt ei serviamus: nos verò non quomodocunq; eis abutimur, sed ad eum offendendum. Mundum hunc propter nos creavit, nos autem factorem eius deserentes, quasi in illius contemptum, mundo, acsi finis noster esset, fruimur. Filius Dei redemit nos, tam acerba passione & ignominiosa morte: nos autem propinamus ei fel & acetum (dum gulæ vacamus) caput iterum spinis coronamus (dum superbimus) lancea iterum latus aperimus (dum voluptatibus carnis, ob nostri amorem inordinatum, indulgemus) vestibus autem spoliamus (dum furtis, rapinis, & oppressionibus fratres eius vexamus) dorsum eius flagellis laceramus (dum concupiscentijs prauisq; desiderijs habenas laxamus) pedes & manus eius clavis transfigimus (dum actionibus iniuriosis Dei patientiam pungimus) ac proinde peccatis nostris iterum Filum Dei crucifigimus.

Adhuc ad præsentia mala spectat, quod Angelum custodem nostrum peccatis affligimus, cæteros Angelos, Dei honoris zelosos, contristamus, Ecclesiam matrem nostram maculamus ac turbamus.

In præsenti quoque, consideranda est peccati turpitudo, brevis voluptas aut commoditas, periculum ingens. &c. Quoad futura: mors incerta, iudicium severum, sententia irrevocabilis: separatio à tam bono amico, sanctisq; eius: amissio cœlestis beatitudinis: gehenna insuperabilis, cui pœnæ huius mundi simul collectæ, si comparentur, sunt quasi pictæ; societas dæmonum ma-
leuolorum, sæuitia eorum & insulta-
tio, horror, tenebræ, in æternum & vltra.

Verumenimuerò istæ consideratio-
nes, non simpliciter sunt proponendæ, sed cum aliqua amplificatione & exaggeratione. Nam & ignis quamuis ma-
ximè activus sit, si tamen ad momen-
tum corpori applicetur, parum aut nihil sentietur.

Præter has etiam suasiones, iniun-
genda sunt pia opera; vt eleemosy-
næ, ieiunia, & orationes, quibus Dei auxilium impetratur, & duritia cor-
dis emollitur.

4. Quod autem pœnitentia diffe-
renda non sit, multa suadent. 1. Indignum est Christum Saluatorem no-
strum tam diu stare ante ostium nostrũ, & expectare, vt misereatur nostri: Nos quoque miseros dedecet tantam digna-
tionem contemnere. 2. Quàm stul-
tum est, ensem minantem, tormentũ bellicum accensum, non statim declinare, ignemq; in te cadentem non velociter excutere: Eccles; 5. *Ne tardes*

converti ad Dominum, & ne defferas de die in diem, subitò enim veniet ira illius. Ne dicas, miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. 3. Quia quantò diutiùs hæret quis in peccato, tantò difficilior est conuersio: nam & consuetudo magis firmatur, & diabolus potentiùs obsidet, & homo longiùs, à Deo recedit. 4. Si miserabile est diutiùs persistere in offensa regis terreni grauissima tormenta inferre parantis, & nihil curare de illo placando, oblata commoditate: nõne multò magis miserabilius est, Deum habere sic iratum, qui decrevit impœnitentes punire æternis supplicijs, supra quàm cogitari possit gravissimis, & tamen negligere præsentem occasionem, & reijcere in futuram incertam.

5. Contra recidivum quoque multa sunt remedia: Nam inprimis meditationis studium, est efficacissimum remedium. In eo enim facilè deprehenditur peccati vilitas atq; turpitudo; de qua Ierem. 2. *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Peccantis periculum, quia talis hominis *novissima fiunt peiora prioribus.* Matth: 12. & Luc: 11. Beneficio meditationis pronitas sensualitatis cohibetur, & efficax propositum vitam emendandi roboratur. 2. Auxilij divini imploratio, præsertim per preces alicuius Sancti, qui virtute contraria tali vitio enituit. vt S. Thomas Aquinas, & cæteræ virgines, castitate: Ioannes Eleemosynarius, & S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, liberalitate in pauperes, &c. 3. Frequens confessio, & devota communio. 4. Carnis maceratio, per ieiunia, disciplinas, &c. 5. Periculosæ familiaritatis, omnisque occasionis devitatio, sensuum vero diligens custodia. 6. Sua sponte statuere, vt si quando relabi contigerit, hoc vel illo modo de se vindictam sumat v. g. sequenti die ieiunet, vel abstineat, certum numerum Psalmorum, Litanias, vel Rosarium recitet, notabilem eleemosynam largiatur, rem sibi charam in vsus pauperum eroget. aut statim post relapsum genua flectat, terram osculetur, à qua sustineri indignos nos per peccatum reddidimus; vel saltem manu ad pectus admota, doleat, & ad diuinam misericordiam consequendam alia pia exerceat. Aliquando posset recidens vouere, saltem ad tempus, se talem pœnitentiam assumpturum, si adhuc relabatur, cum discretione tamen, præsertim si sit scrupulosus. Nec vouear, se nunqàm tale peccatum admissurum, aut si admiserit, religionem ingressurum, Quamvis enim hoc bonum, prudenter tamen est faciendum, & cum consilio peritorum, propter varia postea occurrentia, & tricas in conscientia. 7. Missas celebrare, aut celebrari facere, vt per Sacramenta & sacrificia obtineatur gratia resurrectionis à peccato. 8. Sanctorum & piorum exempla intueri oportet. Non enim decrant, qui tentationibus aliquando consenserunt, sed per Dei gratiam, seriam pœnitentiam, vitæ austeritatem, atq; cautelam, ad meliorem frugem se receperunt, Talis erat. S. Bonifacius martyr, & multi alij.

6. Contingit aliquando ad Confessionem venire eos, qui considerantes divini iudicij seueritatem peccatorumq;

torumq; suorum gravitatem ac multitudinem, de remissione eorum atq; salute sua dubitant, ac proinde ad desperationem procliues sunt. His commemorandæ sunt Dei miserationes, quas solitus est in peccatores exercere. Propter peccatores enim de sinu Patris in terram descendit, vt quæreret & salvaret qui perierant: venit non iustos vocare sed peccatores. 2. Pro his multa passus, & mortem acerbissimam pertulit. 3. Quàm benignè, cùm nobiscum versaretur, revertentes ad se recipiebat, Zachæum, Magdalenam, mulierem in adulterio deprehensam, Matthæum in telonio, Latronem in cruce, pro crucifixoribus rogavit: non reiecit discipulum periurum se negantem: nec postea Saulum se persequentem. Antea verò, David quamprimùm dixit; *Peccaui*: statim à Deo per Prophetam audiuit: *Transtulit Dominus peccatum tuum*. 2. *Reg*. 12. Facinorosissimi Reges; Manasses, 2. *Paral*: 33. & Nabuchodonozor. *Dan*: 4. conversi ad Dominum, statim misericordiam consecuti. 4. Ipse expectat vt misereatur nostri. *Isa*: 3. Stat ad ostium & pulsat, vt ei aperiatur. *Apoc*: 3. inuitat dicens: *Convertimini ad me, & salvi eritis*. *Isa*: 45. Protestatur se nolle mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat. *Ezech*: 18. Lamentatur quando punire vult. *Isa*: 1. *Heu consolabor de inimicis meis*. Sciens nostras abominationes, nos non detestatur. Iere 3. *Tu fornicata es cum amatoribus tuis, tamen revertere ad me, & suscipiam te*. Non est scelus tam graue, quod ipse non dimitteret, si pœnitentia accederet, Matth: 4. *Pænitentiam agite, appropinquabit vobis regnum Dei*. *Si fuerint peccata vestra vt coccinũ, quasi nix dealbabuntur*. *Isa*: 1. 5. Non aufert, sed continuat beneficia sua in nos, tam communia, quàm particularia: quod signum non repudiantis peccatores, sed invitantis & allicientis est. 6. Hæc autem omnia procedunt ex eo quod Deus ex natura sua infinitè ineffabiliterq; bonus est, amans nos magis quàm sperare valeamus.

7. Iuuare etiam debet pœnitentem Confessor, quatenus medicus est, vt naturales inclinationes ad malum refrenare, consuetudines prauas extirpare, passiones prædominantes moderari, addiscat & conetur, per aliqua exercitia pia, & præsertim mortificationes. Quod quidem magna cum prudentia facere conuenit: Confessarius enim quamuis in Sacramento pœnitentiæ, vna opera totam animam sanet, quod ad remissionem omnium peccatorũ mortaliũ attinet, reliquias tamen vitiorũ & passionũ simul curare non potest, sed sensim, & quasi per gradus, vnum post aliud sumpto initio à facilioribus. Radices quoq; omnium peccatorũ, quæ passiones sunt, & præsertim quatuor, amor, timor, gaudium & tristitia extirpandæ sunt. Securis itaque ad radicem applicanda est, ne curatio sit in superficie. *Vnde D. Ber*: Vide, quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas; aut contristeris. Hæc autem securis applicanda est tũc, quando bonus exitus speratur: non cùm affectus feruet, sed cum deferuet: deferbuisse autem debet in actu confessionis,

8. Promotio quoque ad bonum cum prudentia facienda est. Pigris enim seu negligentibus calcar adhibendum est, ferventibus frenum, & omnes dirigendi sunt in profectu spirituali, inducendi ad viam perfectionis, secundùm status conditionem, atq; instruendi in ratione acquirendi omnes virtutes; non quidem festinando, & ex zelo indiscreto vrgendo pœnitentem, vt vno quasi volatu ascendat ad culmen perfectionis, sed pedetentim & pro capacitate eius.

O quanta eruditio & simul dexteritas in Confessario requiritur!

9. De flagitiosis, pijs, & mixtis, in sequenti capite dicetur.

CAPUT VIII.

DE SCRUPULIS, & Scrupulosis.

De quibus vndecim explicanda sunt.

1. *Quid nomine scrupuli intelligatur.*
2. *Scrupulus quanta mala operatur.*
3. *Vnde generatur.*
4. *Quomodo hæ causæ auferri possunt.*
5. *Generalia remedia pro scrupulosis proponentur.*
6. *Specialia quoq; pro scrupulorum varietate.*
7. *Quomodo Confessarius cum scrupulosis procedere debeat.*
8. *De libertinis, seu dissolutis.*
9. *De mixtis.*
10. *De pacata conscientia.*
11. *Doctrina subijcitur pro novellis, & scrupulosis Sacerdotibus.*

§ I.

Quid nomine scrupuli intelligatur.

SCrupulus hîc significat formidinem, de peccato aut consensu, vbi revera nec peccatū, nec cōsensus adfuit, idq; ex levissimo, incerto, ac interdū nullo fundamēto. Dicitur autem talis animi fluctuatio; scrupulus, id est lapillus metaphoricè, hoc est similitudine sumpta à minutissimo lapillo. Qui cùm in calceum ingreditur, ibiq; latet, pedē premit, vexat & lædit. Ita & hæc leviuscula existimatio, cùm alicuius mētem subit & occupat, eam pungit, torquet, ac mirum in modum excruciat. Vnde habere scrupulum, est habere levissimum motivum ac planè puerile terriculamentum, & non verum periculum, quo conscientia turbatur, & animus sollicitatur ad recedendum à veritate. Et scrupulosus dicitur ille, qui propter aliquam apparentiam deserit

ferit veritatem, non valens discernere inter sentire & consentire, inter cogitationem &, complacentiam: sed quamprimùm caro corrupta vel phantasia menti aliquid obtulerit aut suggesserit, credit se acceptasse, cùm revera illud ipsi non placuerit. Hinc facilè dignosci potest scrupulosus à prudente seu pacato, quod ille in vna materia vel pluribus sæpiùs dubitet, absque solida ratione, aut saltem cum apparenti aut contra omnes rectè sentientes ob aliquam levem suspicionẽ vacillat, cùm magno suo cruciatu: hic verò benè iudicat.

§ II.

Quanta mala operatur scrupulus.

1. Quietem internam tollit, loco eius turbationem inducit, & tanquam sæuissimus carnifex animum torquet, cruciatque.

2. Intellectũ obnubilat, vt neq; res apprehendere, neq; de apprehensis liberè iudicare valeat.

3. Fingit peccata vbi non sunt, imò & multiplicat, nam vel interdũ contra conscientiam (vt sibi videbitur) aget: vel ex fastidio assensum præbebit, malens certus esse de peccato, quàm anxius dubiusque de innocentia.

4. Ad desperationem disponit.

5. Inducit tædium ac tristitiam aggravantem animum, vt nil boni agere libeat.

6. Hominem inconstantem facit: nunc enim susceptam actionem ob aliquem scrupulum intermittit, posteà, ob superuenientem contrariam dubitationem, resumit.

7. Alacritatem ac promptitudinẽ serviendi Deo eripit; legentem, orãtem, meditantem distrahit: quia vix potest aliquid aliud in sua mente præter scrupulos voluere.

8. Pusillanimis effectus, ita manus remissas in bono habet, vt si concionandum, docendum, consulendum, cõfessiones excipiendum, vel quidpiam agendum sit, ad Dei gloriam & proximi vtilitatem; statim ei tot difficultates, hæsitationes, trepidationes, occurrunt, vt in conspectum hominũ venire non audeat; aut si veniat, loqui subterfugit, ne occasionem alicuius peccati, vt puta vanæ gloriæ, vel aspectus inordinati, & alterius cuiuscunq; formidinis habeat. Et ita qui multa præclara facere posset, & fortasse donis naturalibus plurimis, ac bonis qualitatibus instructus, ignauus redditur & abiectus.

9. Vires tam corporis quàm animi destruit, sensus interiores lædit, ita vt ad omnia ineptus sit.

10. Non rarò, eò quòd suas ineptias interdum exteriùs prodit, se ludibrio exponit, & tanquam fatuus vel insensatus, ab alijs reputatur. Scrupuli enim ad amentiam quoq; iter parant. Hinc & homines cæteri eius consortium refugiunt & contemnunt: Confessores quoque talium confessiones subterfugiunt.

§ III.

Ex quibus causis proveniunt scrupuli.

℟. Ex varijs.

1. Ex mala constitutione corporis. Nam si humor vel complexio

ſit naturaliter timida, frigida, melancholica: phantaſia quoque, diſpoſitionem ad æſtimationem confuſam ſeu turbidam facilè contrahet, vt deducit egregiè. *D. Anton. p. 1. t. 3. c. 10. § 9.*

2. Ex infirmitate, præſertim capitis, per quam etiam læditur imaginatio; ratio quoq; detrimentũ patitur.

3. Ex triſtitia diuturna, per quam acquiritur melancholia, & perturbantur phantaſmata.

4. Ex vehementi & intenſa cogitatione, ſtudiorum cauſâ.

5. Ex indiſcretis macerationibus, ieiunijs, vigilijs, ac recitationibus Pſalmorum vel officiorum, per quas (*vt D. Hieron. inſinuat*) amentiæ, melancholiæ ſeu triſtitiæ nota incurritur, & rationalis dignitas amittitur.

6. Ex conuerſatione cum ſcrupuloſis: vnus enim ſcrupuloſus facit alium ſcrupuloſum, *vt dicit S. Anton.*

7. Ex ignorantia, quia hæc facit timere, vbi ſecurum eſſe oportet. Et reuera magna pars ſcrupuloſorum propterea torquetur ſcrupulis, quia nec ſciunt, nec diſcernunt, ideò ex imperitia omnia ſuſpecta habent, ac proinde ſæpè trepidant.

8. Ex ſuperbia & nimia confidentia ſui. Cùm quis ſuum iudicium aliorum iudicio præfert.

9. Ex inconſtantia: quia tali vitio infectus, ob leuem cauſam mutatur, & recedit à ſolido iudicio.

10. Ex frequenti repetitione peccatorum, vel confeſſionis generalis. Quia in timido exinde facilè generatur diffidẽtia, dubietas, &c. vt inferiùs dicetur.

11. Ex nimia ſolicitudine cauendi malum etiam minimum, ſeu ex indiſcreto puritatis ſtudio, aut inordinato Dei timore.

12. Ex diaboli ſuggeſtione. Qui Deo permittente poteſt mouere melancholicos humores in homine, per quos imaginatio vel errare poteſt, vel turbari, vel ad timorẽ inordinatũ induci.

13. Aliquando Deus ipſe vult aliquibus talem crucem ſeu cruciatum imponere, ob pœnam alicuius peccati, præſertim ſuperbiæ, confidentiæ ſui, contemptûs aliorum, &c. vel ad exercitium, probationemq́, ac proinde ob ſalutem & maius bonum eorum: quod de quibuſdam Sanctis legimus.

§ IV.

Quomodo cauſæ ſcrupulorum ſint auferendæ.

1. Inprimis per pharmaca à Medicis præſcripta, tolli poſſunt mali humores in corpore, melancholia naturalis & acquiſita, ſiue ex infirmitate, ſiue nimia triſtitia, aut vehementi cogitatione.

2. Per occupationem circa læta, vſum honeſtarum ac moderatarum recreationum, & auerſionem cogitationis à triſtibus.

3. Item ſtudia ſunt temperanda.

4. Vigiliæ, ac ieiunia nonniſi ex piorum ac peritorum, præſertim Confeſſorum, conſilio ſunt aſſumenda atque exercenda.

5. Conſortia ſcrupuloſorum deſerenda, & cum iucundis, honeſtis tamen, contrahenda.

6. Ignorantia, aſſiduo ſtudio depellenda.

7. Elatus animus ſubmiſſione proprij iudicij ad conſilia aliorum, deprimatur.

8. Vt autem in rebus agendis cõ-

ſtantia

ſtantia ſeruetur, & leuitas mutabilitaſque euitetur, aſſueſcendum eſt, id quod ſemel rectè deliberatum fuerit, viriliter ac perſeveranter exequi, neque ob leues cõiecturas, aut terrores apparentes in contrarium, à cœpto deſiſtere.

9 Peccatorum aut confeſſionum iteratio nunquam fiat temerè præſertim à timidis, ſed ob urgentem duntaxat neceſſitatem, (quo ad ſcrupuloſos) quamuis quoad pacatos, etiam propter aliquam ſpiritualem vtilitaté, fieri poſſit.

10 Contra dæmonem, eiuſq; tentationes, ac laqueos, oratio victrix præualebit: humilitas quoque & obedientia, cum frequenti Sacramentorum vſu.

11 Porrò voluntati diuinæ quis reſiſtet? Ergo tolerandum eſt libenter, quicquid Dominus imponit, & voluntas noſtra, eius ſubijciatur, cum plena ac ſincera ſui ipſius reſignatione. Dominus mortificat & viuificat, ad inferos deducit & reducit; mille modos habet ipſe, quibus ſic afflictos conſolari poterit. Et fortè hac via multa peccata impedit, in quæ prolabereris, ſi iſtis anxietatibus conſcientiæ nõ retraheretis.

12. Quoad nimium deſideriũ puritatis: Conſiderandum eſt, nos eſſe in ſtatu naturæ corruptæ, non integræ neq; poſſe abſq; ſupernaturali Dei auxilio benè meritoriéq; operari, ſecundùm menſuram donationis Chriſti.

Cauendum quoq; eſt, ne iſte conatus naſcatur ex proprio amore, qui velit omnem quantumcunq; minimam imperfectiunculam excludere, vt ex eo fruatur quiete: & ex nimia confidentia propriarum virium, vt Nauar: monet; quaſi ad tantam puritatem per naturæ facultatem peruenire poſſimus: ſed de hoc iterum redibit ſermo. Interim obſeruandum eſt illud ſanum ſapientis conſilium. Eccl: 7. *Noli eſſe iuſtus multum.*

Narrat Vincentius Belluacens: de quodam Monacho Ord: Ciſtercienſ: quod is ex indiſcreto feruore ſpiritus, conabatur aſſequi eam puritatem & innocentiam, quam Adam habuit in paradiſo, antequam peccaſſet. Et hâc ob cauſam magnum laborem ſuſcepit, macerando corpus ſuum ieiunijs & abſtinentijs, vigilijsq; multis, addens ferventiſſimas orationes. Volebat ille cibum ita ſumere, vt nullam inter edendum ſentiret delectationem: primos motus conabatur non tantùm reprimere, ſed etiam penitus extinguere, vt ne ſentiri quidem poſſint. Contendebat abſq; vllo peccato etiam veniali, in perfecta puritate viuere. Profectò magna fuit tentatio & diabolica, ad impoſſibilia inſtigans. Et cùm cerneret ſe eo peruenire non poſſe, in deſperationem lapſus eſt, exiſtimãs, ſe non poſſe vllo modo in hoc corruptionis ſtatu ſaluari: vnde uenialia peccata, arbitrabatur eſſe mortalia, ad ſacram Communionem etiam cùm ex regula tenebatur, accedere nolebat, atq; ita iugum obedientiæ perfregit. Talem fratris morbum pius & prudẽs Abbas vbi cognovit, pro eo cum multis alijs Deum deprecatus eſt, ſed nihil propter dæmonis aſtutias effecit. Tandem ad piam quandam, Deo valde deuotam, Chriſti ancillam confugit, vt ipſa feruenter pro eo oraret: cuius orationis efficaciam etiam in ſe expertus erat. Ipſe ad celebrandum ſe pa-

se parans, fratrem accersiri, sibiq; in Missa respondere iubet. De more frater, Confiteor (illa S. Virgine instanter cum lachrymis & suspirijs orante) dicit: & ecce ad singula verba, atri quidam lapilli ex ore Monachi decidere videbantur. Tunc illa animaduertens in hac visione, obstinationem desperationis, & tristitiæ nigredinem, à Monacho recessisse, Domino gratias egit. Monachus verò quasi ad se reversus peracto sacrificio, sacram Communionem accepit: atque hac salutari medicinâ perfectè curatus est.

§ V.

Remedia generalia contra omnia genera scrupulorum.

1. Vitare diligenter omnia peccata, non solùm actualia, sed & mentalia, nec tantùm mortalia, verùmetiam venialia (quantum fieri poterit) & præterea omnes occasiones peccatorum; atq; adeo firmiter statuere se velle benè viuere, omnia negotia cum deliberatione, bona intentione, & circumspectione, aggredi: nulli malo consentire, fœdas cogitationes non secùs ac scintillam in manum incidentem, statim excutere atque eijcere, vanas cogitationes non admittere, otiumq; fugere. Et hoc ipsum sincerè protestari, coram Deo, S. Angelo Custode, ac omnibus Sanctis. Tali itaq; proposito stabilito, curandum est, vt in omni eventu diligenter ac constanter custodiatur, obseruetorque: imò interdum renouetur, absque tamen nimio conatu & animi intensione: (hæc enim si supra omnes actiones reflecteretur, citiùs scrupulum injiceret) sed breviter tali proposito in memoriam revocato, procedendum est liberè in negotijs, non curando, si impertinentia vltrò se ingerant, vrgeant, & sentiantur.

2. Orationem quoque frequentem ad sedandos scrupulos esse efficacissimum antidotum, magistri spirituales docent omnes (quæ fieri potest, tam per se, quàm per alios.) Nam cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solùm residui habemus, vt oculos nostros dirigamus ad Deum, sicut docuit nos exemplo suo Iosaphat Rex, *2. Paralip. 20.* Et D. Petrus Martyr, oratione liberatus est à scrupulo infidelitatis, vt testatur S. Anton: *1. p. tit. 3. cap. 10. § 10.*

3. Obedire superioribus: præcepto, ac determinationi eorum acquiescere, singulare medicamentum est. Quidam discipulus S. Bernardi, adeò premebatur scrupulis, vt Missam celebrare non auderet. Sanctus autem dixit ei: vade frater, & in mea fide (hoc est, non in tua credulitate, quæ est erronea, sed mea, quam ego habeo de hac re, iudicans nullam culpam ei inesse) celebra. Obediuit ille, & omnis scrupulus in posterum extinctus est. Sed dicet scrupulosus. Vtinam talis esset Prælatus, qualis erat Bernardus (qui Sanctus & doctus fuit) crederem facilè imperanti, & acquiescerem consulenti: Nunc autē cum superioris mei parvam peritiam, & modicam aut nullam pietatem videam, non audeo meam conscientiam, suæ fidei committere. Respondet Gerson: Quisquis ita dicis & sapis; erras & deciperis: debes enim ei obedire non vt homini, sed vt Deo iuben-

iubenti, cuius vicem gerit, nisi præcipiat ea, quæ apertè sunt contra Deum aut præcepta regulæ.

Dices quodsi ille errauerit? ℞. Aut non errabit, Deo ipsum dirigente: aut si ille errauerit, Deus non imputabit tibi peccatum, atq; adeò excusatum te habebit.

Similiter obtemperandum est Confessori. Nam quando hic est insigniter pius, & egregiè eruditus, scrupulosus tenetur ei credere, imò nec alios consulere: alias peccaret saltẽ venialiter (*vt Nauar: in Consil: docet*) & si is quoque erraverit, pœnitens excusabitur à peccatò: imo & ab excommunicatione, si quâ irretitus esset, nec teneretur quærere absolutionem: ac proinde esset in bono statu salutis futuræ, gratiæ præsentis, & participationis suffragiorum, seu bonorum spiritualium omnium, quæ fiunt in tota Ecclesia. *Nauar. lib. 5. Consil: 2. de pœn: & remis.* Standum etiam est, consilio virorum bonorum peritorũque, submittendo se iudicio eorum. Vnde narratur in historijs Ord: Præd: quòd cùm quidam defunctus apparuisset cuidam fratri eiusdem Ordinis, interroganti de suis scrupulis, respondit: Consule discretos, acquiesce eis. Quod si hi quoq; errarent, consilium capiens excusaretur.

4. Ipse quoque scrupulosus, potest & debet sibi consulere, recurrendo ad iudicium suum, maximè, si doctus sit, imò verò antequam alios adeat, seipsũ priùs recolligat, & assuescat seipsum iuuare explorans suum opus, ac intẽtionem: perpendens an deliberatè fecerit, vel subreptio consensum subitũ extorserit: perpendat firmitatem, qua in bono proposito habet: consideret circumstantias omnes, aduertat se scrupulosum, & ita conscientiam deponat, hoc est pro peccato non reputet id quod ei peccatum esse videtur, & quamuis hæsitationem sentiat, non curet.

5. Multum quoq; proderit, auertere animum à cogitatione scrupulorum, rerum tristium, & aliorum ex quibus ipsi nasci possent: & occupare eum circa res iucundas, honestas, & vtiles.

6. Præterea, cõtemnendi sunt scrupuli, ita vt contra ipsos sæpiùs factitetur, non curando eorum murmur, contradictionem. Neque enim hoc scrupulosus temerè faciet, sed cum ratione probabili, credens se esse scrupulosum, eò quod experiatur se frequenter leui ex causa, & absq; solido fundamento dubitare, ac propterea turbari: aut sciens se ab alijs pro scrupuloso haberi. Nec refert quod euidenter, & certò non sciat esse scrupulum, quia sola credulitas scrupulosi, quando est in fauorem eius, reputatur pro certitudine, quæ in pacata conscientia esset absque vlla vacillatione.

Itaq; si frequenter contra scrupulos aget, tandem metum deponet, & tranquillam conscientiam acquiret. Non secùs ac ille, qui nauigare non audet, hic enim, si aliquoties conscensa naui, maria tranauerit, nauigationis pericula ampliùs non tantum non timebit, sed etiam lætus tale iter suscipiet. Et equus, qui ponte vel saxum pertimescit, si aliquoties calcaribus incitatus, ipsum conscenderit, tandem aliquando metum depo-

deponet: ita & qui scrupulis grauatur, si argumenta ex scrupulis consurgentia vilipendet, audacter in contrarium aliquoties agens, tandem scrupulorum obliuiscetur; & in actionibus liberè procedet. Sicut per oppositum, si quis eis vel semel auditum præbebit, iterum atque iterum obtemperare assuescet; pluribus sensim insurgentibus, in magnam perturbationem mentis incidet, & habitu scrupulorum contracto, pace internâ nunquam fruetur.

Docet benè Valentia *12. disp. 2. q. 14. pun. 4. q. vlt. quem sequitur Sanchez*, quod interdum præceptum est agendi contra scrupulos, videlicet, quando quis graue ex scrupulis & anxietatibus detrimentum patitur.

7. Plurimùm scrupuloso conducet (*Nauar. ait*) statuere ob oculos, per imaginationem, vultum illum speciosissimum & benignissimum Christi, qualem olim contemplabantur homines, dum conuersaretur cum eis, doceret simplices, sanaret infirmos, peccatores hilariter ac benevolè susciperet, amanter tractaret, liberaliter peccata remitteret, salutem promitteret, errantes moneret, mæstos solaretur, lapsos defenderet. Magni peccatores affectum & multum beneuolum, auxilium quoque promptum experiebãtur: quãtò magis decet, pias ac morigeratas (quamuis scrupulis agitatas, mentes) sibi polliceri de benignitate amantissimi Patris? certè displicet ei hæc anxietas, & parua de eius bonitate persuasio, ac si crudelis tyrannus, ne dicam carnifex esset, & hostis diligenter obseruans minimos nostros lapsus, nesciens nec volens compati infirmitatibus nostris. Equidem talibus imaginationibus grauis ei iniuria irrogatur: multoq; magis illis Deus irritatur, quàm grauissimis excessibus fiduciam in Deum non excludentibus, & veram pœnitentiam includentibus.

8. In perplexitate scrupulosorum, vita bonorum debet eis esse viuendi regula, quam intrepidè imitari debebunt: & tanto magis, quantò aut meliores fuerint: aut prudentiam eruditionemq; cum bona vita coniunxerint, quia semper creditur, eos habere bonum iudicium & affectum, seu intellectum & voluntatem. Neque fas est scrupulosos habere malam persuasionem de eis, credendo ipsos habere laxam conscientiam, suam verò meliorem, hoc enim superbiæ nota esset, melioribus se præferre.

9. Non debet scrupulosus confiteri dubia & scrupulos; sed ea solùm, quæ manifestè cognoscit esse peccata, absq; vlla hæsitatione: alias si voluerit omnia sua dubia semper confiteri, perpetuò manebit causa, occasio, & origo scrupulorum. Imò posset inueniri quispiam adeò scrupulosus, vt ipsi & suadere & facere expediat, vt non existimet aliquid esse mortale, nisi ita manifestum sit, quod posset iurare, illud esse mortale; neq; confiteatur nisi quæ iuramento confirmare valeat, quod fuerint peccata mortalia (*vt ait Sa, collaudatus a Sanchez*) & quod nunquam ea fuerit confessus: similiter, nõ putet se in mortale consensisse, nisi ita certus sit, vt id iurare audeat. Hoc autẽ ex qualitate scrupulosi iudicandũ est.

Fundamentum huius est: quia (*vt inquit Sanch. Mor. lib. 1. cap. 1. num. 20*) si dubitans est vir bonis moribus imbutus,

butus, timidæq; conſcientiæ. credendum eſt, eum perfectè conſenſiſſe: quia cùm mortale ingenti odio proſequatur, ſi ipſum omninò admiſiſſet, facilè diſcerneret & non dubitaret, ſed certò ſciret. Secùs de viro prauo ac perditæ conſcientiæ: nam cùm illud paruipendat, ſi non conſenſiſſet, nullam dubitationem haberet; modo quia dubitat, ſignum eſt quod conſenſerit.

Medinæ quoq; 1. 2. q. 74. a. 8. idem docet his verbis: Si quis dubitat, ſit vir probus, qui non cognoſcit ſe affectũ ad res turpes; inclinet in partem meliorem, & credat ſe non conſenſiſſe: ſi verò ſit homo deſidioſus, & conflictatur quotidie cum ſuis paſſionibus, & ſæpenumerò cadit, declinandum eſt in partem deteriorem, & exiſtimãdum quod conſenſerit.

10. Quando occurrunt diverſæ opiniones Doctorum, licebit benigniorem eligere bona conſcientia, quamuis ſit minùs probabilis, & minùs tuta: dummodò depoſita cõſcientia Ipſi adhæreas; & ſic bona fide agas.

11. Vtendum etiam eſt inſigni illa virtute Epikiæ ſiue æquitatis (*de qua D. Th. 2. 2. q. 120. D. Anto. hic, &c.*) præſertim in intelligendis præceptis ſuperiorum, ſtatutis & legibus, perſuadendo ſibi, non peccare eum, qui implet legem ſecundùm mentem legislatoris, licet verba offendat vel tranſgrediatur. *Exemplum.* Lex inſtituit depoſita reddi. Hoc autem aliquando ſolet eſſe nociuum, vt ſi gladius redderetur furioſo, & theſaurus impugnanti patriam. Similiter, ſi lex patitur duos ſenſus: qui in benigniore ſervaret; non peccaret, quamuis in duriore violaret. Hinc licitum eſt præcepta Dei, Eccleſiæ, Prælatorum, & Iudicum in foro conſcientiæ benignè interpretari, dummodò id rationabiliter fiat, & vis non inferatur intentioni eorum, neq; verba legis aut mandati detorqueantur, vel corrumpantur, ſed in proprietate ſerventur. Ratio eſt, Quia præcepta Dei & Eccleſiæ, non ſunt ad tollendam omnem ſpiritualem dulcedinem, qualis certè tollitur, quando nimis ſcrupuloſè & timidè interpretantur. *S. Anton.* Adhuc propter eandem virtutem: non peccat, qui in dubio obſeruat legem, ſecundùm conſuetudinem inter bonos & prudentes. Conſuetudo namq; radicata & aucta, aliquando etiam ipſam legem tollit & abolet: Nimirum in his quæ non ſunt intrinſecè mala, ſed tantùm extrinſecè, eò quod vetantur:) in his enim prævalet communis vſus & iuri derogat: (non autẽ in his quæ ſunt contra legẽ naturalem & Divinam.) & qui illa non ſervat, vbi & quando eſt impoſſibile, aut valde difficile, non peccat. Aut qui ideo non ſeruat, quia pro ſtulto haberetur, Et qui contra legem facit, non ex contemptu, ſed ratione alicuius periculi conſiderati, bona fide, credens ſibi hoc licere, nõ peccat. *D. Anton. Syl. For.* Ratio eſt, quia nec Deus, nec Eccleſia, per ſua præcepta intendit obligare ad vix poſſibile, ſiquidem onus eius leue eſt, *Matth. 11.* Et neq; Deus, neq; Eccleſia, intendit aliquem obligare, cuius executio fieret ridiculoſa, & obſervans ludibrio exponeretur, apud diſcretos & probos viros: aut ſi præceptum implens, fatuus reputaretur. *S. Antoninus.* Vnde etiam non acceptat

(*inquit*) Deus vota indiſcreta & ſtulta, ſed deteſtatur: diſplicet enim ei ſtulta promiſſio.

Porrò virtutis huius munus eſt, cõſiderare omnes circumſtantias legis, ſcilicet, intentionem authoris, tempus, loca, cauſas, præſentem neceſſitatem, vel periculum, &c.

12. Scrupuloſus non debet moveri quibusdam dictis, quæ videntur eſſe in fauorem & fomentum ſcrupulorum, in conturbationem verò ac terrorem ſcrupuloſorum.

Primum eſt. In dubijs tutior pars eligenda eſt: propter hanc enim propoſitionem, ſcrupuloſus eligit viam rigidiorem, quia ei tutior eſſe videtur. Sed hæc propoſitio benè intelligenda eſt. 1. Quod eligere viam tutiorem conſilij eſt, non præcepti: alias oporteret omnes ingredi religionem, in qua tutiùs viuitur, quàm in ſæculo. *V. addit ad cap. 3.*

Satis ergo eſt eligere tutam. Sicut n. diverſis vijs itur ad vnam eandemquè civitatem, licet vna ſit tutior quàm alia; ſic ad ciuitatem cœleſtem alius ſic, alius aliter vadit, & quidem tutò, licet aliquis tutiori modo & via.

Præterea hæc propoſitio intelligenda eſt, in vero dubio, in quo quis ſe habet, tanquam in æquilibrio, hoc eſt æqualiter, non magis propendens ad vnam partem quàm aliam: Scrupuloſus autem adhæret vni parti, à qua per leuem rationem dimouetur, & deterretur.

Secundum dictum eſt S. Gregor. relatum diſt: 5. cap: *Ad eius.* Bonarum mentium eſt, ibi etiam culpas ſuas agnoſcere, vbi culpa non eſt, idcircò ſcrupuloſi hac propoſitione moti, trepidant timore, vbi non eſt timor.

Hæc quoq; propoſitio benè intelligenda eſt, & prudenter interpretanda. Veriſſimùm enim eſt, talem diſpoſitionem mentis eſſe bonum ſignum, mentis ſcilicet timoratæ, Deum præ oculis habentis, etiam ei in minimo diſplicere vitantis: nihilominùs talis mens dirigenda & corrigenda eſt, ne degeneret & aberret. Quamuis enim iſta propenſio in bonum, ſit bona, ſecundùm ſe conſiderata, tamen ratione annexi poteſt eſſe inordinata, ac proinde non bona, ſcilicet ratione iudicij, inquantum malè iudicat, dicens aliquid eſſe tale, cùm non ſit, quod ex defectu ſcientiæ ac iudicij provenit. Itaq; hæc mens, ex parte, bona cenſenda eſt, non ex toto, vt autem ſit ex totò bona, regulis prudentiæ moderanda eſt.

Tertium dictum. Tene certum dimitte incertum. Scrupuloſis autem certior eſſe videtur durior ſententia, quàm benignior. ℞. In moralibus quæ tantam varietatem habent, nullibi poteſt eſſe certitudo euidentiæ (*quam dicunt Mathematicam*) ſola ciuilis, ſeu moralis inuenitur, quæ eſt per humanas coniecturas, rationeſque probabiles, hoc eſt, quæ omnibus aut pluribus maximè ſapientibus veræ videntur.

Colligitur autem certitudo moralis ex vno trium modorum: Ex peritorum authoritate, quod pertinet ad incipientes.

Ex propria eruditione, quod congruit proficientibus.

Ex circumſtantiarum circumſpectione, quoad perfectos.

Et cùm talis tantùm certitudo inueni-

ueniatur, tam in rigida, quàm in benigna sententia: illa quæ rigidior est, non debet prævalere contra benignam probabilitatem; sua asperitate, quoad probabilitatem; imò viceversa benignior potest esse certior, & Deo acceptior.

Quartum, quod opponitur, est: Qui adhæret opinioni laxiori, videtur se exponere periculo peccati mortalis: Nam si illa sit (sicut esse potest) falsa, & quidem facilius (eo ipso quod laxa est) contraria verò, quæ durior est, vera: nonnè operans secundum laxam peccabit? Et sic, *Qui amat periculum, peribit in eo*, Eccl: 3.

℞. Qui sequitur opinionem laxã, probabilem tamen, neque contra cõscientiam agit, etiamsi minus sit probabilis, neq; se exponit periculo mortaliter peccandi, formaliter, id est, ex intentione, & quòd illud peccatum ei imputetur, quia non temerè sed prudenter operatur, ductus videlicet ratione probabili: quamuis interdum id quod fit, ex parte sua sit peccatum, quod potest dici, exponere se periculo peccandi, materialiter. Sed hoc nihil nocet: quia operatio non requirit omnimodam certitudinem. Aliàs vix alicui operari liceret, cùm res practicæ difficillimæ cognitu, & varijs opinionibus subiectæ sint. Sufficit itaque sola probabilitas, quamvis non excludat de opposita opinione formidinem. Non enim Deus nos obligat ad habendam scientiam, hoc est notitiam certam & euidentem, (quæ nõ potest haberi à nobis) nec requirit illam in moralibus: sed est contentus, vt operemur benè, secundùm probabilem credulitatem, quæ hic inuenitur. *Nau: Cons: 2: lib. 5. de Pœniten: & remis.*

Quintum dictum ex Prou: 24. *Septies in die cadit iustus.* Hoc quoq; solet torquere scrupulosum: si quando in præparatione ad confessionem peccata recordari non potest. ℞. Casus iusti frequens in die, non est mortalis, vt declarat D. Th: sed venialis. Et præterea, vt Granat: addit, spectat ad peccata omissionis non commissionis; addo ego peccata quoque cogitationis. Numerus autem certus pro incerto ponitur, plùs minùsuè. Itaquè non eximitur etiam scrupulosus à tam frequenti lapsu: sed animatur, ne propterea sit anxius, tum quia tales casus sunt veniales. qui non necessariò subduntur clauibus Ecclesiæ in confessione, tum quia sunt difficiles cognitu, & multò difficiliores numeratu; tum quia misericordiæ Domini numerari non possunt, quibus potiùs niti debemus, quàm nostris conatibus.

Sextum, planè apparens terriculum: Si in articulo mortis esses, non auderes, cũ hoc scrupulo non expiato, mori.

Respondet inprimis Sylu. In articulo mortis multa facienda sunt, quæ extra ipsum facere non conuenit, nec expedit. Alioquin facilè in amentiam vel desperationem incideretur.

2. *Corduba.* Etiam in illo articulo scrupuloso consultiùs esset contemnere scrupulos, ex Confessoris aut docti viri iudicio.

3. Sicut licitum est in vita, ita licitum etiam erit in morte sequi opinionem probabilem, quamvis laxiorem. Nam sicut in vita, ita & in morte posset aliquis agitari scrupulis circa repetitionem confessionum, circa restitutiones: & sicut in vita non impu-

puta-

putatur sic operanti prudenter, ad peccatum, ita & in morte. Imò tunc vel maximè expedit conscientiam tranquillare, pijs ac doctis obedire, quàm maximam fiduciam de Deo concipere: ipsum non tanquam Tyrannum crudelem aut hostem suspicere, sed tanquam Patrem benignissimum, & infinitè, ineffabiliterq́; bonum, in despectum diaboli turbantis conscientiam bonam.

4. Si assuescas tempestiuè in vita, deponere conscientiam, & bonâ fide agere contra scrupulos successu temporis experieris, scrupulos priores nullius fuisse momenti, ac propterea non tantùm miraberis tuam præteritam vesaniam, sed etiam ridebis, in articulo verò mortis contemnes eos.

§ VI.

Nunc de specialibus, tàm scrupulis, quàm remedijs agendum est.

Scrupuli Varij sunt & possunt reduci ad Nouem Capita. 1. *Ad cogitationes.* 2. *Ad subitos motus.* 3. *Ad gesta & gerenda.* 4. *Ad Confeßiones.* 5. *Ad Communionem,* 6. *Ad deuotiones.* 7. *Ad curiositatem sciendi de sua salute.* 8. *Ad putatã carentiam scrupulorum.* 9. *Circa baptismum.*

Sed in particulari numerabuntur viginti genera scrupulorum.

In cogitationibus scrupulus triplex. *Turpitudinis, infidelitatis, & fœda blasphemiæ.*

Primus itaq; est, quando turpes cogitationes, etiam resistentibus, importune se ingerunt, & ideò dum incidũt in timidam conscientiam, eam conturbant, propter dubitationem, aut potiùs suspicionem consensûs.

Remedia 1. Nosse oportet, nunquam esse peccatum mortale in talibus cogitationibus; nisi cum voluntas deliberatè ac planè consentit, hoc est, spontaneè oblectatur illis voluptatibus internis, gaudens quod adsint eisq́; detinet eò quod illi placent: vel saltem cum periculo complacentiæ sibi in ipsis, vt superiùs declaratũ est.

Verùm, quando displicent excruciantque, signum est quod eis non consentitur, sed resistitur, atq; ideo cedũt in meritum propter illam molestiam toleratam. Sed quod tales seducit, est, quia ob animi pusillanimitatem, aut phantasiæ perturbationem, nequeunt discernere, inter cogitare, seu tentationem sentire, & consentire. Cùm tamen ista plurimum distent, neque semper statim ac sentimus, consentimus. Sentimus autem sæpius, etiam cùm nolumus, suppeditante nobis talia, carne corrupta: quæ etiam D. Paulo Apostolo satis molesta fuit.

Alios quoque Sanctissimos viros, turpes cogitationes infestabant: quia fomes, qui est procliuitas appetitûs sensitiui ad bona sensibilia rectæ rationi contraria, nobis nolentibus parit inordinata desideria, seu insurgentes motus subitos & indeliberatos circa varia genera peccatorum, quos cohibere, non est in nostra aut illius hominis potestate, propter corruptionẽ naturæ per peccatum originale. Est tamen in potestate nostra, cum Dei auxilio erumpentibus non consentire. Ponit quidam appositum huius rei simile: Cultro quamuis accidat rubigo, non tamen imputatur cultrario, quia non prouenit ex intentione eius sed ex conditione & necessitate mate-

riæ,

riæ, in qua ipse operatur: ita & turpes cogitationes quæ accidunt alicui, quia sunt præter intentionem hominis, & pullulant ex conditione & miseria naturæ corruptæ, absq; cooperatione & consensu eius, nullatenus imputantur ei.

Secundum remedium. Tales cogitationes sine nobis ortas contemnere, eis non respondere, non moueri, neq; immorari examinando de consensu. Nam si hoc feceris, statim nouæ difficultates, imò & vacillationes de cõsensu exorientur, te multò magis turbantes.

Tertium. Nihilominùs tollẽdæ sunt omnes occasiones, quæ possunt tentationes & tales scrupulos inducere, vt sunt cogitationes vanæ, otium, negligentia, curiositas, familiaritas quãuis honesta, si sit periculosa, præsertim cum altero sexu, aspiciẽdo, alloquendo, audiendo, &c. Tales enim occasiones solent non rarò causare, non tantùm scrupulos, sed etiam lapsus. Præcipuè verò turpes cogitationes, nullo pætextu admittantur, sed statim abijciantur.

Quartum. Occurrente occasione loquendi, videndi, antea recollige, & bono proposito arma te. Si deliberatè quodlibet opus aggressus fueris, & te tali armaveris fortitudine, non facilè succumbes tentationibus, neq; scrupulis agitaberis.

Quintum, Aversio facienda est à turpi cogitatione, & subroganda aliqua honesta.

Sextum. Difficultate crescente ad Christum suspirandum, signum crucis in pectore imprimendum, B. Virgo, S. Angelus Custos, & alij sancti implorandi: alia quoq; secundùm loci opportunitatem sunt facienda, absq; nimio tamen conatu, ne fortè magis invalescant & vrgeant. Quòdsi hæc non prosint, inferat sibi dolorem aliquem sensibilem, leuem tamen & discretum, vt puta, pungendo corpus acicula, vel ad modicum tempus subijciendo manui ignẽ papiraceum. Durantibus verò adhuc, consensum non præbeat, Deo se commendet, confidẽs in Dei misericordia, ei tales tentationes non nocituras, sed ad insignem coronam profuturas,

Septimum. Tales cogitationes de Confessarij periti consilio non confiteatur, nisi certò constet de consensu,

Secundus Scrupulus.

In cogitationibus, est circa fidem: Nam quibusdam solent in mentem venire cogitationes infidelitatis, quas dæmon, vt plurimùm suppeditat, ita vt eis videatur, aliquem sibi loquentem ad aurem audire, vel etiam seipsos intus dicentes: *Ego nego Deum, dæmoni me trado, Christus non est verè in Sacramento: Impossibile est in natura divina esse tres personas, Deus non est iustus.* Videntur inquam ista sibi dicere, vel dici, imò etiam consentire, atq; se esse hæreticos, & tamen in rei veritate neq; consentiunt, neq; hæresim admittunt.

℞. *Primùm.* Scire debent isti ex omnium Theologorum & Canonistarum doctrina, quod ad hæresim duo requiruntur; *Error* scilicet & *pertinacia.* *Error* quidem, qui sit contra fidem: *Pertinacia* verò consistit in eo, quod quis sciens & volens tenet aliquid contra Ecclesiam Catholicam, à

quo recedere non vult.

Porrò: qui invitus patitur tales errores, vel in fide dubietates, non est pertinax, ac proinde non tantùm non hæreticus, sed neque alicuius culpæ reus, quamuis sibi videatur consentire. *Sanch: Moral: lib: 2. c. 7. n 13*

Nauarrus autem Conf 5. lib. 1. Non desinunt *inquit*, habere fidem, qui scrupulis anguntur, etiamsi eos omninò expellere nequeant. *Conf: verò 9. lib: 3 n. 4* Non dicitur, *inquit*, dubius in fide, qui habet scrupulum, hoc est aliquod motiuum contra fidem (modo credat eam) sed qui deliberata mente ita dubitat, vt nullam partem credat. Idem docet cap: *Si quis de pœnit.*

Et in Manual: c. 11. n. 22. Subreptitia dubietas, & non deliberata, maximè illa, quæ renitente voluntate euenire solet, & contra voluntatem illam habentis, perdurat; vel non est peccatũ, aut solum leue. Et multò minùs scrupuli, qui contra fidem exoriri solent, & contra voluntatem hominis molestè perdurant.

Graff: lib. 2. Decis: c. 8. n. 9. Nullus est qui aliquando ex carnis stimulo, & scrupulo conscientiæ, non dubitet in fide: sed quia dubitationi, ex scrupulo conscientiæ, & ex primis motibus prouenienti, non insistitur, sed resistitur, conformando se fidei Ecclesiæ, ideò non inducitur hæresis. Et potiùs est pœna, quam culpa. Vnde & meretur; sicut & is qui invitus polluitur prauis cogitationibus.

℟. *Secundum*, Perpendendo rem deprehendemus, vel ex hoc, consensum defuisse, quod has tentationes patiens credit se Hæreticum; ac proinde, illud quod cogitat, iudicat esse falsum & hæreticum. Qui autem sic iudicat, non potest esse aut dici Hæreticus: Hæreticus enim contrarium potiùs reputaret falsum, & quod in animo versat, verum. *Sanch.*

Est quoq; aliud signum dissensûs, moraliter certissimum. Quia sic vexati, ingenti pœna afficiuntur, quasi odio habentes errorem, tanquam veritatis Catholicæ amantissimi. *Sanchez.*

Addunt Theologi & tertium signũ, Quod non tantùm, cùm illa tentatio durat, affliguntur, sed etiam cum primùm transijt, tristitia afficiuntur: signum itaq; est, quod deest pertinacia, requisita ad hæresim: qui enim pertinax esset, non tam facilè resipisceret. *Sanchez.*

℟. *Tertium.* Meminisse oportet tales infidelitatis cogitationes, multoties ex dæmonis suggestione prouenire, ad impediendam tranquillitatem bonarum conscientiarum, vt à Christi via talibus difficultatibus ac molestijs deterritæ retrocedant: vnde flagitiosis, rarò hæc accidunt, quia eos vinctos, & quasi suos dæmon possidet, finitque eos in quibusdam quietos esse, ad decipiendum. *Sanch.*

℟. *Quartum.* Aliquando etiamsi dæmon non suggerat, ipsa natura suppeditabit, nec tamen fides amittitur. Nam hæc eadem fides compatitur motus dubitationis, ob tres causas. 1. Quia dogmata sunt supra naturã, ad quæ intellectus ex se suaque naturali virtute pertingere non potest, sed tantùm fide adiutus, 2 Quia quamuis hæc sint reuelata à veritate infallibili, in se tamen evidenter non cognoscuntur, sicut cognoscerentur in patria; sed tanquam per nebulam & ænigma-

nigmata, obscurè apprehenduntur. 3. Vnde, quia intellectus ea credit ex imperio voluntatis & non ex se est assecutus, ideò non quiescit. *D. Th. de verit. q. 10. 12. Vide alia loca in tabula, V, Fides, 143.* Propterea omnibus, aut ferè omnibus tales cogitationes contra fidem exoriri subreptitiè solent, vt inferiùs ex S. Bonau: dicemus, & supra ex Graff: diximus.

℟. *Quintum.* Optimum consiliũ est tales cogitationes scrupulosum vexantes, prorsus contemnere, atq; ita se gerere, acsi nihil menti occurreret, in illis non occupari vel morari, sed animum ad alia divertere. Nam (vt dicitur *Sap. 9*) difficilè æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore: quæ in cœlis sunt, quis inuestigabit?

Dogmata fidei, cum tempore, & sensim Ecclesiæ reuelabantur, & nec dum omnia ei nota sunt, quamuis Sanctum Spiritum, omnem habentem scientiam, magistrum habeat: tu autem qui membrum Ecclesiæ es, & quidem satis hebes, vis omnia in præsenti statu comprehendere, & penetrare? In simili tentatione, satis est tibi credere, & profiteri, quod credit & confitetur Ecclesia: scrutari verò, cur, & quomodo, non iuberis imò prohiberis: ne erres, & à gloria opprimaris.

℟. *Sextum.* In reuerentiam mysterij, contra quod quis tētatur, exerceat, aliquod signum pietatis, vt genu flexionem, aut actum fidei, tentationi contrarium: vel dicat: Omnes errores damno, suggestionibus non consentio doctrinam Ecclesiæ in omnibus & per omnia teneo.

Tertius Scrupulus.

Tertius in cogitationibus scrupulus, rarissimus quidem, sed molestissimus est fœdarum blasphemiarum, circa Deum, aut Sanctos eius. Ita quod aliqui quicquid de Deo, aut Sanctis cogitaverint, vel imaginem sacram aspexerint, legerint, audiverintque, statim insurgunt turpitudines carnales. interdum autem videntur sibi quasi figuras quasdam lascivas, circa spiritualia aspicere, &c.

℟. *Primum.* Scire oportet ista phãtasmata, diaboli opera, vt plurimùm fieri, vt nos à bono auertat, cor distrahat, & in desperationem inducat, Dæmon est, qui non tantùm suggerit, sed etiam agit, homo patitur. Est iste latratus canum infernalium: est tanquam hominum perditorum obscænus sermo, circa ostium & fenestras honestissimæ puellæ fugere inde non valentis, & cum afflictione sua magna audientis. Non itaque censeri debēt ista peccata, sed potiùs afflictiones pro corona cœlesti comparanda: *Sicut respondit Greg. 7. S. Hugoni Episcopo.*

Secundum. Optimus modus vincēdi eas per contemptum, nihili faciendo eas, quia reuera sunt potiùs inanes terrores, quàm vera pericula. *Ita docet S. Bon. Opusc. de profectu Relig. cap. 3.* Tentationes, *inquit*, contra fidem, & à spiritu blasphemiæ, neq, eu.dere possumus, neq; vincere resistendo. Nã quantò magis eis indignamur & cum eis disputamus, aut sermones habemus; tantò magis virus earum diffunditur & accenditur.

Tertium. Consolandi sunt tales exemplis similibus. Multi eximiæ sanctita-

ctitatis idem sunt passi, & tamen neque fidem neque sanctitatem amiserunt. Sanctus Hugo Episcopus, per totam ferè vitam passus est spiritum blasphemiæ, sustinens turpes cogitationes de Deo & rebus Diuinis, noctu diuque cum summa amaritudine. *Lege in vitis Sanctorum editis per bonæ memoriæ Petrum Skarga 1. Aprilis. Idem accidit S. Euagrio, vide 14.* Decemb. *Sancta Catharina Senen. virgo innocentissima,* (30. Aprilis.) superauit humilitate, oratione, & taciturnitate, non respondens, neque curans eas. Gregorio 9. datus est digitus S. Mariæ Egniensis, ad resistendum tali spiritui blasphemiæ. *vide totam vitam eius* 13. Iunij. *Lege & alias medicinas apud Skargam* 1 April. 3. *in Appen.*

Quartum. Bono animo sint, qui hæc patiuntur, oportet, & ne vel modicū contristari debent. 1. Adeò enim non consentiunt (quamuis fortè sibi consentire videantur) vt etiam propterea affligantur. 2. Ne super eos gaudeat inimicus: ad hunc enim finem efficit talia diabolus, vt turbet eos. Cùm itaque viderit conturbatos, lætatur; sed cùm videt aliquos talia negligere, confusus recedit. 3. Quia corona pro afflictione manet.

Quartus Scrupulus.

Occasione quoque subitorum motuum, impatientiæ, iræ, inuidiæ, odij, scrupuli oriuntur. Qui si peruenerint ad verba, conuitii aut iuramenti, vel etiam ad verbera, absq; plena deliberatione, turbant conscientiam, non distinguentem inter voluntatem subreptitiam, & deliberatam, aut scrupulosè credentem se cum bona deliberatione ista admisisse.

℞. Sanè tunc perpendendum est accuratè, non tantùm opus, sed & animi præsentia seu libertas quæ per tales primos, seu sub tos motus præuenitur & præpeditur. Neq; credendum est, eos esse vitia moris, sed naturæ tantùm, non culpæ, sed pœnæ. Et Sanctissimi quiquè viri (excepta B. V. ex singulari privilegio) ab eis immunes non fuerunt, quamuis per Dei gratiam quàm plurimi resistebant, nōnulli ex fragilitate humana succumbebant, sed postea Deo auxiliante resurgebant. Prouenit hoc ex corruptione naturæ humanæ per peccatum originale: ob quod appetitus sensitiuus rebellis factus est rationi, tendens in exteriora inordinatè, & subministrans talia desideria, vltionis, &c.

Quintus Scrupulus.

Qui vexat circa res gestas, dum aliqui ob leues coniecturas suspicantur actiones suas præteritas fuisse peccata etiam mortalia & confessiones nō ritè factas, vnde communicaturi, aut celebraturi, sæpiùs reuertuntur ad Cōfessorem, & postquam recesserint à confessario, statim suboritur nouus scrupulus, qui eos æquè ac prior inquietos facit, stimulatq; vt iterum ad Confessarium redeant, cum magna eius molestia, aliorum offendiculo, & nullo suo fructu, vt inferiùs pleniùs dicetur.

℞. *Primum.* Tales scrupulosi perpendant suam conditionem, & ad quid obligentur sub peccato mortali, siue quatenus homines sunt ex lege naturæ, siue quatenus Christiani ex lege Euangelica, siue ratione sui status & mune-

muneris: Et cùm hoc cognouerint, considerent an omiserint, facienda, vel commiserint vitanda.

Secundum. Deliberent secum & actionem examinent, an fuerit peccatum. Nam multa excusant à peccato, vt oblivio, inaduertentia, &c. Deinde an fuerint mortalia vel venialia. Et an possint iurare, quod peccatum per oblivionem omissum fuerit mortale. Nam si veniale, non curent: si certum mortale, videant si opportunitas sit redeundi ad Confessorem, absq; eius molestia, & aspicientium admiratione, si Confessor occupatus & alij malè interpretarentur: vel iam vna cum alijs sumpturus est Eucharistiam, sumat cum lætitia cordis, in commodius tempus reijciens illius peccati confessionem, à quo iam indirectè absolutus est.

Sextus Scrupulus.

Est Scrupulus circa gerenda. Aliqui enim de his quæ sunt acturi, turbantur, & trepidant, nec liberè agunt, quia omnia suspecta habent, hærentes, an sit agendum, necne, sitne peccatum, vel licitum. Quod non tantùm simplicibus, verùmetiam doctis solet interdum accidere, qui sciunt quidem in genere iudicare, quid sit vel non sit peccatum, quid mortale, & quid veniale: imò & in particulari tale iudicium in aliorum causa proferre sciunt, sed in suis actionibus eadem libertate vti non valent. Sanè *Nauarrus* vir doctissimus, pariter pientissimus, sedecim (nisi fallor) annis, scrupulis agebatur & detinebatur, vt ipsemet quodam in loco fatetur. Et qui alios efficaciter iuuabat, seipsum iuuare tunc nequibat. Alij vt supra dictum est, multa eximia patrare possent, sed metuentes scrupulos occursuros, non audent.

℟. Superiùs exposita, his quoque conuenienter aptantur. Nimirum, vt prudenter ac deliberatè procedant in qualibet actione, consideratis negotij gerendi conditionibus, excitata & præmissa recta intentione: exempla quoque piorum ac sensatorum aspiciendo. Quòd si exempla defuerint, consilia petantur; & ita bona fide negotium intrepidè peragatur; nihil curando internas scrupulorum cõtradictiones vel distractiones. Qui enim tali diligentia actiones aggreditur, facit quod ex se est, & à peccato si quod esset excusatur. Magni autem refert, scire discernere inter mortale & veniale, aut nullum peccatum.

Septimus Scrupulus.

Est scrupulus circa possibilia. Aliqui discruciantur secum cogitantes hæc. Quid si comprehenderer ob fidem, & coniicerer in carcerem teterrimum, arctissimum, fœtidum, &c. Quid si tormenta acerbissima adhiberentur, hæc vel illa. Quid tunc facerem? Retineremne constanter fidem, an verò ob exquisitissimos, terribilissimosque cruciatus desererem, cum multo grauiori damnatione.

℟. 1. *Ex Gersone.* Non sunt faciendæ tales propositiones vel comparationes, quæ possent quidem euenire, fortè tamen nunquam accident. Quod si in mentem irrepserint, illis non est respondendum, determinando se ad aliquam partem (cùm non adsit de præsenti casus, quo quis teneatur face-

facere electionem) ne se exponat periculo peccandi ex vtraque parte; siue in proponendo recessum à fide, vt euidentur immania tormenta; siue in præsumendo de se, quasi valeat suis viribus tolerare illa tormenta. Itaque talis cogitatio excutienda est ex animo, & alia honesta assumenda.

Secundum. Dicendum est humillimè coram Deo, si talis casus se offeret: scio quidem nunc, quomodo etiam tunc me gerere debeam, quidq; agere: imò & in hac dispositione præsenti conseruari cupio. Verùm quid eligerem tunc, prorsus ignoro; nunc autem Deum (adiuvante eodem) offendere nolo, (vt quidam respondit.) Et nihilominùs quamuis meæ fragilitatis conscius, non audeam ob periculum arrogantiæ, certò promittere, me fortiter cum tormentis pugnaturum: tamen confido in Domino, quòd non me pateretur tentari supra id quod possem sufferre: Psal: 138. *quia oculi eius imperfectum meum vident*: & cuius instructione audeo dicere: *Ne nos inducas in tentationem.*

Tertium. Tota fiducia in Deo est collocanda, quòd ipse tunc potentissimè auxiliabitur, suppeditando patientiam: Psal: 9. *Ipse enim est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*: præsertim cùm non tam nostra, quàm eius causa tunc agitaretur. Habemus huius rei præclarum exemplum sanctæ Fælicitatis in Baronio, Anno Christi. 205. quæ ob fidem, comprehensa, & incarcerata fuit. Et quoniam prægnans fuit, tempus partus expectabatur: advenit tandem pridie martyrij. Et cũ in doloribus partûs vociferaretur, audiens Notarius Tyranni, subsannabat ei dicens: Quomodo cras acerbam mortem æquanimiter sufferre poteris, quæ pariens, tantam impatientiam demonstras? Respondit: Doleo & ploro, naturæ debitum hac ratione exolvens: verùm cruciatus per impios Tyrannos inferendos, gratia Dei in me superabit. Quod & rei probavit eventus: Nam in crastino ignominias & crudelem mortem, alacriter pro Christi fide pertulit.

Poteris legere in Vitis Sanctorum Petri Skarga, 30. Februarij. illis Martyribus, qui annis 30. à diversis Tyrannis, diversa & acerbissima tormenta passi sunt. Quomodo hi sufferre potuerunt? Deus suo auxilio eis præsto fuit & iuuit: idem nobis quoq; in tali casu succurreret: & pro sua bonitate non desereret. Non ergo respicere debemus hic naturæ nostræ vires, sed Dei præcipuè potentiam: neq; tormenta conferre cum fragilitate nostra, sed cum Dei auxilio, quod tunc adfuturum speratur.

Quartum. Satis est nunc habere firmum propositum cum Dei auxilio patienter tolerandi quamcunque tribulationem generaliter, non descendendo ad particulares, hanc vel illam, submittendo se voluntati Diuinæ, in omni ab eo permisso.

Quintum. Benignissimus Dominus noster, adeò bonus est, quòd non imputat nobis peccata, quæ forté faceremus, si in tali vel tali occasione essemus, sed tantùm quæ fecimus, facimus, aut facere deliberaté statuimus. Actum esset de nobis. De illis innocentibus pro Christo ab Herode occisis, Doctores quidam asserunt, quod si superstites fuissent, plures cum cæteris contra Christum fuissent, & eis, qui

qui crucifige clamitabant, se adiunxissent: aliqui etiam in pueritia mortui si ad ætatem peruenissent, damnari potuissent. Quod verum est absolutè, & in sensu diviso, hoc est, seclusa Dei ordinatione. Egregiè loquitur D. August: in hac materia contra Semipelagianos: Non imputat, *inquit*, nobis Deus quæ faceremus, si hoc vel illud nobis occurreret? sed quæ facimus circa illud quod occurrit. Quod si non occurrat nec se offerat memoriæ aut scientiæ cum qua peccaremus, gratiæ Dei imputandum est. *Lege Suarez de religione, t 2. lib. 3. cap. 6. N. 6. & c. 7. N. 5.*

Sextum. Porro si talis casus eueniret, tunc inprimis ad Deum adiutorem confugiendum esset; ut scuto patientiæ armet nos: perpendendum etiam esset quod deficiente patientia, dolor magis vigeret, apprehenderetur, sentiretur, & augeretur. Nam quanto vehementiùs animus per impatientiam reluctaretur, & tamen effugere non valeret, tantò maiori furia agitaretur: quod in omni adversitate præ oculis habendum est. Tunc quoquè actus fidei & charitatis erga Deum producendus esset cuius causâ mors toleraretur. Qui autem verè Deum amat, non gravatè suffert, quicquid Deus permittit, etiam difficillima: voluntati quoquè illius se libenter amans conformat.

Deinde, in mentem venire deberent grauia & multa peccata, quibus Deum offendimus, & pro quibus mille gehennas promeruimus. Profectò talia tormenta grauitati peccatorum nō correspunderent, sed multò inferiora essent, Et comparatione æternorum acerbissimorumq; cruciatuum inferni, hi momentanei, tanquam picti, ac umbra censentur,

O quàm plausibilis fauorabilisquè permutatio,

Præterea. Hi breui tempore durantes dolores, tandem transibunt, succedet merces in æternum duratura; voluptas, quæ oblivionem inducet omnium acerbitatum, replens omni consolatione, lætitia ac dulcedine. Exultabunt Sancti mirificè, quòd multa passi sint pro Deo, habentes autem copiosam retributionem, lætabuntur in cubilibus suis.

Talibus meditationibus animaretur & adiuvaretur in tormentis positus,

Octauus Scrupulus.

Est, circa peccata commissa, & eorum displicentiam, Circa commissa enim cruciantur supra modum, & quasi desperando.

℟. *Primum.* Hæc vehemens tristitia, multoties ex amore sui & non Dei, nasci solet, ideò moderanda.

Secundum. Ante casum cogitare debebant Dei iustitiam, & seueram punitionem: post lapsum verò, Dei cōtemplentur bonitatem & misericordiā, quæ tanta est, vt si quis omnium peccatorum mundi reus esset, quæ perpetrata sunt, patrantur, & perpetrabuntur; doleret autem sincerè, quod bonum Dominum offenderit, & firmiter proponeret in posterum non peccare; talis copiosissimam consequeretur gratiam, quod experti sunt plures electi & sancti Dei. Itaq; potiùs agant pœnitentiam, cum tranquillitate interna, & hilaritate, spe veniæ.

Tertium. Plus confidant in Divina cle-

clementia, quàm in vlla sua solicitudine, neque tantum sibi polliceantur de sua puritate, vt existiment, se aliquando posse præstare opera, quæ ex parte sua digna sint divina maiestate, aut se fore immunes à peccato. Quia semper dicendum est, Psal, 142. *Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Quartum. Abijciendum est quoddam inordinatum desiderium, quod est hoc. Optant aliqui omnia cum summa tranquillitate facere, ac frui statu, qui non est præsentis vitæ. Vnde si minima in gestis imperfectiuncula se prodiderit, aut aliqua cogitatiuncula in contrarium exorta fuerit, statim turbantur; eo quod frustrati sunt suo desiderio. Meminisse oportet, nos in statu viæ, non patriæ esse, in fluctuoso mari, in quo aliquando in tranquillitate, aliquando in tempestate nauigamus, cadimus, & resurgimus. Lapsus tamen non semper sunt æquales: Nam veniales frequentiores, mortales rariores. Et pro sanandis eis, inueniuntur remedia in Ecclesia; pro his quidem Sacramentum pœnitentiæ, pro venialibus sunt plura alia, præter Sacramentum pœnitentiæ. Adest quoque Medicus benignissimus & peritissimus, sciensq; compati infirmitatibus nostris.

Quintum. Observanda est doctrina S. Bonauen: ante confessionem præcedat diligens conscientiæ examen: post confessionem non cogitetur de dispositione propria, vel de peccatis, sed de mysterio Diuini Sacramenti: quod in maiorem eius reuerentiam cedet.

Nonus Scrupulus.

Anguntur quoq; aliqui dubitantes, an tantùm habeant dolorem de peccatis, quantum res ipsa exigit, & quãtum habere debent: præsertim, cùm videant, se magis dolere de morte, & adversitate filiorum, consanguineorũ, amissioneque rerum temporalium, quã de peccatis perpetratis.

℞. Non requiritur in contritione & dolore intensio, seu conatus sũmus, sed satis est, substantia contritionis, in quocunq; gradu etiam minimo. Substantia verò contritionis, consistit in detestatione seu displicentia peccati vera, per quam peccator nollet peccasse: ac proinde dolor intellectualis, qui consequitur talem detestationem, est qvasi tristitia vel cruciatus in appetitu intellectuali, per quem non est contentus ob peccatum admissum. Hinc Chrysostomus relatus *C. Talis de Pœnit: d. 3.* Quantulamcunque & quolibet breui tempore gestam non despicit Deus pœnitentiam. *Et infra,* Non patitur exiguæ etiam pænitentiæ amitti mercedem. Dolor quoque sensus (vt singultus, planctus, lachrymæ) nõ requiritur, ad remissionẽ peccati, quoad culpam. Quod autem magis sentiatur dolor ob mortem parentum, filiorum, vel propriam iacturam, nihil refert: neq; enim oportet, vt is dolor sit maior quovis alio, sed sufficit, vt homo pluris faciat peccatum, & ob ipsum perdidisse Deum, quàm quoduis aliud malum. Hinc quamvis filius magis & intensiùs persentiat & defleat mortem patris, quàm peccatum commissum, per quod amisit Deum: satis tamen est, si malit Deum non offendere, quàm

quàm patrem viuere, si quando daretur ei optio: qui dolor dicitur appretiatiuus, sicut primus intensiuus. Contingit ista diuersitas ex hoc, quòd hæc caduca sensu percipiuntur, Deus autem intellectu. Vnde ista apparentia quasi familiora & coniunctiora, magis pungunt appetitum sensitiuum, & propterea sensualitas maiori conatu cooperatur voluntati.

Decimus Scrupulus.

Eodem modo torquentur aliqui, quod videntur sibi non habere tantum propositum vitandi peccata, vt malint mori, cremari, grauissima tormenta pati, honoris ac bonorum iacturam subire, quàm peccare.

℟. Si quis perpenderet peccati grauitatem damna quæ nobis infert, supplicij acerbitatem, Dei bonitatem, vitæ æternæ amissionem, certè non esset magnum, paratum esse ista omnia subire Neque enim hoc est impossibile (& quod non fecerint alij) sed perfectum, imò ad beatitudinem necessarium. Nihilominùs comparationes tales non debent fieri: sunt enim periculosæ. Satis est habere tam efficax propositum, vt homo malit subire quoduis malum in communi, quàm Deum offendere; nec debet descendere ad varia mortis vel malorum genera; posito tamen casu in re ipsa, procedendum est, vt supra in 7. scrupulo.

Vndecimus Scrupulus.

Est circa confessionem, quorundam putantium, se nunquam satis perfectè & integrè confessos, eò quod aliquod peccatum aut circumstantiam omiserint, vel non satis clarè expresserint; vndè confessiones crebrò repetunt, & de eodem peccato sæpiùs confitentur, modò his, modò alijs verbis explicantes. Et dum clariùs se explicasse credunt, magis dubitant, & iterum conantur maiori claritate explicare, quæ eis statim post confessionem in mentem venit: atq; ita se suosq; Confessarios frustra fatigant, trepidantes timore, vbi non est timor.

℟. *Primum*, præscribendum est eis, vt omninò cessent à reiteratione confessionis eorum peccatorum, de quibus dubitant scrupulosè (id est absque solido fundamento) sintnè vel non, sufficienter ea confessi: & similiter de quibus non habent euidentem & certam persuasionem quòd sint mortalia. Alia ratio est de illis, qui in progressu temporis discendo, cognouerunt multa esse mortalia, quæ priùs iudicabant non esse, isti enim rationabilem causam habent iterandi.

Secundum, Satis est in confessione, ipsum peccatum distinctè & in particulari, cum debitis ac necessarijs circumstantijs explicare, ita ut Confessor benè intelligat naturam & grauitatē peccati mortalis. Cætera parum aut nihil curet, præsertim scrupulosus.

Tertium. Talis repetitio non tantùm non quietat conscientiam, sed etiam turbat magis, vt ipsimet experiuntur: sicut situlæ motio, aquam contentam, non clarificat, sed turbidam facit.

Quartum. Talis quoq; anxietas ex reiteratione prouenien[s], impedit habitationem Dei in eis per gratiam, cuius locus in pace factus est: nec placet ei nimius peccati timor, & immoderata puritatis cura. Quia quamdiu Deum ita timemus, non videmur eum satis

ſatis diligere, habentes eum de nimia ſeueritate ſuſpectum: minuitur quoq; in nobis fiducia accedendi ad ipſum, ob talem metum: quod ſimiliter Deo diſplicet, nobis autem ſummoperè nocet.

Quintum. Stultum eſt ſe fatigare in eo, quod ſibi eſt impoſſibile. Nemo autem ſua anxietate deuenire poteſt, vt certò & infallibiliter cognoſcat, ſe verè ac ſufficienter contritum atq; confeſſum eſſe, abſq; ſpeciali Dei reuelatione. Neque ipſe Deus vult nos certò ſcire, an habeamus verum dolorem & alia requiſita; ſed hæc omnia ſunt abſcondita ab oculis noſtris.

Sextum. Docet Nau: Ench: C. 21 n. 42. repetit idem Reginaldus in praxi. Quod mortaliter peccat, qui ſemel benè factam peccatorum confeſſionem iterat ſecundò, tertiò, & ſæpiùs, propter ſcrupulos, cum periculo amentiæ, ob nimiam de re triſti cogitationem, aut cum ſcandalo notabili Confeſſarij, vel notabili ſua infamia apud aliquē. Et ſi abeſt tale periculum ac ſcandalū, peccat venialiter: quia debet procurare conſcientiæ tranquillitatem, quā talis repetitio aufert vel minuit. Ideò ſemel ritè confeſſus, iudicio docti Confeſſarij, debet, & non renouare vulnus ſuum per has reiterationes; ſed poſteriorum oblitus, ad interiora ſe conuertat, de miſericordia Dei benignè ſperet, neq; eam ſecuritatem aut certitudinem quærat, quæ in hac vita abſq; ſpeciali reuelatione haberi non poteſt.

Septimum. Si non recordantur, an hæc vel illa mortalia in confeſſione manifeſtauerint, recurrere debēt ad diligentiam adhibitam in recogitatione peccatorum, ante confeſſionem, & ad integritatem obſeruatam in ipſa confeſſione; inuentaque mediocri diligentia, ac voluntate integrè confitendi, deponere debent dubitationem: præſertim ſi periti & pij viri aut Confeſſoris iudicio, cenſentur diligentiam debitam poſuiſſe in confitendo.

Octavum, ex Caietano & Nauar. Spiritualis medici conſilium talibus ſufficere poteſt ad moralem certitudinem, & ſerenam conſcientiam formandam. Quia cùm laborent tali infirmitate (ſcrupulorum) quæ in ipſis firmitatem iudicij circa talem materiam impedit, vehemenſq; timoris perturbatio conſtantiam ipſis adimit, & tot dubitationibus opprimit, vt rectè ipſi iudicare non poſſint, non eis aliud reſtat remedium, niſi iudicio prudentum firmiter ſtare, neq; ſe periculo grauis damni ſpiritualis, temerè exponere.

Nonum. Quando ſimiles dubitationes occurrunt, obſeruandum eſt, an ſcrupuloſi habeant aliquam coniecturam, quòd ſint confeſſi, & ſi hanc vel minimam deprehenderint, quamuis certò neſciant, credere debent ſe eſſe illa confeſſos, Quia, vt dictum eſt, credulitas ſcrupuloſi, quando eſt in fauorem eius, habenda eſt pro certitudine.

Nota hic. Quanquam nullus obligatur ad confeſſionem iterandam, ſemel benè factam, licitum tamen & ſanctum eſt, vbi conſcientia pacata eſt, abſq; tædio Confeſſorum, ac impedimento aliorum bonorum operum, ex deuotione iterare; ad minuendam pœnam tam ratione verecundiæ, qua pœnitens in confeſſione afficitur, quā ratione efficaciæ Sacramentalis abſolutionis, quæ & largitur & auget gratiam,

tiam, pœnam verò tollit, aut saltem diminuit.

Duodecimus Scrupulus.

Est nimia solicitudo confitendi omnia venialia, nullo prætermisso.

℞. *Primum.* Hoc non est necessarium. Docet enim S. Conc: Trid. *Sess: 14 c. 15.* quod venialia in confessione sine culpa taceantur, & multis alijs modis extra confessionem expiantur, scilicet sumptione Eucharistiæ, aspersione aquæ benedictæ, ieiunio, eleemosyna, recitatione orationis Dominicæ, tunsione pectoris, ingressu in Ecclesiam, &c. Atq; adeo non sunt necessaria materia confessionis, quamvis si aliquis velit ea confiteri, licitè fecerit.

Secundum. Sapiens benè consulit, Eccles: 7. *Noli esse nimium iustus.* Nimium est hoc, quia delicta (venialia maximè) quis intelligit? quis enumerabit? Nimium, quia hoc procedit ex inordinato desiderio puritatis. Nimiū, quia fiducia collocatur magis in diligentia propria, quàm in Dei bonitate.

Satis itaquè est in confessione explicare mortalia omnia, quæ post diligens examen occurrunt memoriæ. Et præter hæc, si libet, grauiora venialia, vt est semiebrietas, &c. singillatim & in particulari: leuiora verò in communi referre, ac succinctè.

Tertiusdecimus Scrupulus.

Est eorum, qui frequenter confiteri solent, & dum se examinant, nihil prorsus deprehendere possunt, quod in confessione manifestent. Cùm itaq; ex vna parte sciant, se à peccatis non esse immunes, ex altera, nullum inuenire possunt, conqueruntur & torquētur in animo, putantes se aut peccata non nosse, aut nescire ea inuestigare, & ex conscientia eruere, ac proinde neque benè confiteri.

℞. Turbari non debent. Res enim hæc est difficillima propter duo: 1. Quia cōsciētiæ anguli sunt obscuri, vnde & difficile cognoscuntur; propterea Psal: dicit: *Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me Domine.* 2. Quia peccata iustorum, sunt potiùs omissionis, quàm commissionis. Commissionis quidem, vt furta, adulteria, percussiones &c. quæ in faciendo consistunt, faciliora sunt, vt quæ in rerum natura aliquando fuerunt: & tamen, non rarò è memoria excidunt. Peccata verò omissionis, quæ non in faciendo, sed in omittendo facere, consistūt, eo ipso quod nunquam fuerunt, non comparuerunt, non se manifestarunt, non sunt visa, non audita, nullo sensu percepta, cognitu & memoratu difficiliora sunt.

Deinde horum peccata sunt, vt plurimùm venialia, quæ non valdè sensibilia sunt, sicut mortalia, quæ animum pungunt, & vulnus renovant, ac propterea facilè memoriâ tenentur. Non est ergo cur tristentur,

Quartusdecimus Scrupulus

Est adhuc circa confessionem. Inveniuntur aliqui qui tristes à confessione discedunt: eò quod Confessor eos, neq; monuerit, neq; spiritualem doctrinam dederit.

℞. *Primum.* *Soto 4. d. 18. q. 2. a. 4.* Officium per se Confessoris non est, interrogare pœnitentem, sed audire eū, verùm supposito aliquo defectu, necessi-

cessitate, vel vtilitate, omninò interrogare debet. Ita etiam de monitione, consilio, vbi, quando, & cui, necessaria sunt hæc. Alioquin vbi necessarium non est, frustra fatigari, tempus terere, alijs impedimento esse, imprudentiæ est: vbi autem adsunt omnia requisita, dolor, propositum, &c nulla necessitas est.

Secundum Procedit hæc exactio aut ex profunda humilitate, aut aliquando ex occulta superbia; vt videlicet collaudentur, ac propterea in vanam gloriam, aut fiduciam incauti incidant.

Quintus decimus Scrupulus.

Est circa communionem. Non enim desunt, qui etiam post confessionē, quanta potuerunt diligentia, factam, non audent accedere ad sanctam Cōmunionem, eò quòd se indignos existimant, metuentes illud seuerum D. Apostoli. *1. Cor. 11.* dictum: Qui, *inquit*, sumit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.

℞. *Primum* Ad hoc Sacramentū fructuosè sumendū, non requiritur euidens certitudo, quod sis in gratia Dei: hoc enim absq; speciali reuelatione Diuina sciri non potest, vt iam dictū est.

Secundum. Si talem euidentiam haberes, adhuc deberes iudicare, te esse tali sumptione indignum, dicendo cū Centurione: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.*

Tertium. Sufficit ergo coniectura, quæ certitudo moralis dicitur. Quæ inde cognosci potest, quod accedens ad sumendum tantum Sacramentum, tantam diligentiam in purganda conscientia posueris, quantam adhibuisses ad opus magni momenti, vel ex quo maximum lucrum expectares.

Quartum. Dignitas est duplex: Naturalis & moralis. Naturalis nō requiritur: neq; enim dignitas Angelica, huius Sacramēti dignitatē exæquaret. Sufficit itaq; moralis, ita ut nullius peccati mortalis (quod nondū sit expiatū) conscius sis, & quodcunque a te commissum sit detesteris, vt firmissimè proponas, illud te amplius Diuina ope non admissurum. Ad quod exequendū, vel maximè iuuabit ipsa Eucharistiæ sumptio, roburq; addet ad fortiter resistendum tentationibus.

Quintum. Non mouearis, quòd te sentias aridum, carne repugnāte spiritui, dummodo tu sincerè deuotionem desideres, & ad eam seriò, moderatè tamen coneris. Deum enim, qui audit desiderium pauperum, nostra verò omnia taxat, secundùm quod procedūt à voluntate, & non secundùm ea, quæ nobis inuitis, caro sensualitasque obtrudit, qualia sunt imaginationes volubiles, phātasiæ variæ, carnis illecebræ, stimuli, appetitiones vindictæ, inconstantiæ circa agenda: quibus dum non consentimus, non culpamur, quin potius meremur.

Sextum. Qui liber est à mortali, licitè ex humilitate, poterit abstinere a sancta communione, excusando se cum Centurione: *Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Idem licitè ex feruore deuotionis & charitatis, atq; ex confidentia, alacriter ad sanctam sumptionem se accinget, imitatione Zachæi, qui Dominum in domum suam suscepit gaudens. Longèq; meliùs est suscipere, quàm abstinere, tum propter motiuum excellentiùs, tum propter immensos fructus, quos talis sancta communio profert, virtute passionis Christi,

sti, cuius est memoriale. Inter alia verò quæ confert, est pinguedo deuotionis, corroboratio in charitate, auxilium ad superandas frangendasq; difficultates, quas caro spiritui affert in via salutis.

Sextusdecimus Scrupulus.

Est circa deuotionem. Affliguntur, aliqui, propterea quòd in suis orationibus, alijsq; spiritualibus exercitijs videntur sibi habere cor aridum, & carere devotione erga Deum, nullam spiritualem consolationem, suauitatem, teneritudinem sentire, dulces illas chrymationes, quæ talibus coniungi solent, non experiri. Vnde suspicantur se peccatis aliquibus occultis inquinatos, à Deo non diligi, & reprobos esse.

℟. *Primum.* Neque suauitas consolationis in pijs exercitijs est certum aut sufficiens signum gratiæ Dei inhabitantis: sicut neq; ariditas, peccati. *Nam vt Gerson testatur*, etiam flagitiosissimi consolationem quãdam sentire possunt, non veram sed falsam ac simulatam, non à Deo immissã, sed à dæmone subministratam, non ad vtilitatem habentis, sed ad subversionem decepti. Potest enim diabolus vires corporis quadam tranquillitate fouere, voluptatem fingere, atq; incautos eò perducere, vt etiam secundùm spirituales vires, multum inde gaudeant, magnaq; dulcedine fruantur, adeò, vt putetur esse vera, quæ tamen falsa fuisse postea ex effectu deprehendetur. Ex eis enim vel se erigunt in superbiam, vt imperfecti; aut in errore confirmantur & crescunt, vt hæretici: aut per indiscretas mortificationes in morbum incidunt: vel in bono deficiunt, ac in contraria virtutibus uitia præcipites ruunt, vt superbi & incauti.

Secundum. Vera & bona deuotio cõsistit in bona ac sincera voluntate, qua homo paratus est, se suaq; impendere, ad Dei obsequium: illiusq; beneplacitum in omnibus sequi.

Præterea benè interpretari, & æquo animo suscipere, quidquid Deus disponit, quod videlicet hoc facit ad maius nostrum bonum, Nam cum subtrahit consolationem, facit nè sit occasio præsumptionis, aut negligentiæ, vanæ iactantiæ, aut alterius periculi peccãdi: & adsit exercitium virtutis, instrumentum maioris meriti, dum servitur militaturq; Deo quasi proprijs impensis.

Itaq; totum Diuinæ misericordiæ committendum est, & humiliter de eius auxilio confidẽdum, faciendo, quod in se est, & simul petendo conseruationem & augmentum, bonæ voluntatis concessæ, ac demùm sentiendo de ipso tanquã de Patre amantissimo, & nostræ vtilitatis studiosissimo.

Tertium. Considerandum est, hoc tempus non esse metendi, sed serendi. Aderit tempus retributionis bonorum operum, in quo inebriantur eius dilecti ab vbertate domus eius. *Psal. 35.*

Quartum. Hoc quoque sciendum, quod in maiori periculo versantur, qui fruuntur dulcedine deuotionis: quam illi quibus hæc negatur. Si enim illi confidentes in illa consolatione negligant considerare imperfectum suum, periculum est, ne natura corrupta, arripiat sibi ex ea occasionem superbiæ, negligentiæ, &c. Isti verò cernentes suam imperfectionem, si in humilitate se exerceant, & pro virili suo ad perfecti-

fectionem aſpirent, aſſurgereq; conſcendant, acceptiores Deo erunt.

Decimusſeptimus Scrupulus.

Eſt in recitatione officij, & aliarum orationum. Nam aliqui ſolent iterare & reiterare omnia vel aliqua, putantes, ſe aut non attentè, aut non plenè protuliſſe verba, verſus, aut etiam omiſiſſe, vel integram horam non perſoluiſſe.

℞. Tales ſcrupuloſi, meritò debent abſtinere, à tali iteratione propter multa.

1. Quia hæc iteratio, non facit animum tranquillum, imò potiùs inquietum. Nam poſt iterationem, deprehenduntur eædem vel maiores imperfectiones: ac propterea multiplicantur occaſiones iterandi.

2. Quia per eam, ipſa quoq; attentio difficiliùs retinetur, & faciliùs amittitur. Siquidem attentio comes eſſe debet orationis, abſq; conatu vehementi: non autem obiectum vel ſcopus orantis. Qui autem adeò importunè per tot repetitiones extorquere attentionem nititur: de ea magis cogitat, ne effugiat, quàm de his, quæ profert: Ac proinde elabitur attentio ad verba, & verſatur cogitatio circa retentionem attentionis.

3. Deſcendamus ad cauſas repetitionis, quæ poſſunt eſſe ſex.

Nam vel ideò fit, quia non benè meminit, qvod recitaverit. Sed ad hoc ſufficit, tùm credulitas ſcrupuloſi, quod recitauerit: hæc enim apud eum debet æquipollere certitudini pacatæ cōſcientiæ; tum probabilitas; quòd ſit ſcrupuloſus, ſæpiùs ex leuibus coniecturis dubitans. Et propterea non repetens, nihil peccabit.

Aut quia credit ſe omiſiſſe aliquod verbum, vel etiam aliquos verſus. Sed horum omiſſio non inducit peccatum mortale, etiamſi ſit voluntaria: eò quòd non ſit omiſſio notabilis partis officij, quamuis ſcrupuloſus revera nō omiſerit. Quòd ſi certùm ſit eum omiſiſſe, ſuppleat poſt officium, & non iteret. Scrupuloſo tamen, neq; ſupplementum concedendum eſt, etiamſi dubitaret de Pſalmo vel Pſalmis omiſſis.

Aut quia credidit ſe attentionem ad ſenſum verborū non habuiſſe. Sed iſta non exigitur, etiam in doctis, quāvis vtilis ſit. Satis enim eſt, quòd habeat attentionem ad verba, vt rectè ac integrè proferat, referendo ea ad Deum: hoc eſt offerendo ea Deo ſecundùm ſenſum, quem in Eccleſia Catholica, pij doctiq; intelligunt animo laudandi Deum & petendi ea, quæ in illis verbis petuntur. Vel tandem cogitando aliquod pium de Deo, aut diuinis.

Aut quia exiſtimant, ſe neq; ad verba attentionem habuiſſe, & Dei memoriam è mente excidiſſe. Sed ſatis eſt, quod in principio habuerint intentionem orandi attentè, ſaltim ex conſuetudine. Nec requiritur, quòd tale propoſitum actu duret per totam orationem, ſed ſatis eſt, quòd non ſit retractatum; aut per negligentiam euagatio animaduerſa non ſit retenta. Sic enim durat illius intentionis virtus per totam orationem.

Aut quia exiſtimant ſe detrimentū vel iacturam perpeſſos eſſe: quoad impetrationem, meritum & ſatiſfactionē. Sed ad iſta tria obtinenda, ſufficit iſta vir-

virtualis attentio.

Aut quia putant se aliquo modo peccasse, vt puta, per vanas aut turpes cogitationes. Sed hoc peccatum, quod fortè ad breue tempus incidit, vt puta, delectatio morosa, vel consensus in vindictam, non per repetitionem, sed per pœnitentiam diluitur. Si veniale, multis alijs modis deletur absque eo quod per repetitiones contrahatur habitus scrupulorum.

Aut quia dubitat, an impleuerit, satisfeceritué præcepto Ecclesiæ de recitandis horis. Sed si habuit solam attentionem ad verba, & simul cogitationem deuotam seu reverentialem de Deo, certè satisfecit. Vel si saltim in principio horarum habuit propositum attentè recitandi, quamuis postea inuoluntariè euagationem passus sit, nihil refert. Hoc enim etiam sanctissimis euenit, & moraliter quasi impossibile est diuagationes in oratione non pati.

Verum quidem est, si aut à principio non haberet intentionem orandi; aut in progressu, habitam retractaret; aut emergentem & animaduersam euagationem, per negligentiam, & complacentiam retineret, seq; ad attentionem reuocare non curaret: non satisfaceret præcepto, sed teneretur reiterare officium. Atqui hoc, locum non videtur habere in scrupuloso morigerato. Qui ergo bona fide, & cum proposito attendendi, ad recitandum accedunt, etiamsi in fine Psalmi aduertant, se fuisse distractos, nihil curent, nec repetant: sed iterum atq; iterum ad attendendum mentem applicent, & prosequantur; etiamsi non recordentur, se omnia dixisse. Quod seruandum est non tantùm in horis, sed etiam in Missa, etiam quoad verba consecrationis. Quamdiu enim eis non constiterit euidenter, se aut verba aliqua nō protulisse, aut quoad attentionē, propositum mutasse, vel advertendo voluntariè circa alia vagatos fuisse credere debent, se suæ obligationi satisfecisse.

Decimusoctauus Scrupulus.

Est curiosæ indagationis vel dubitationis de sua salute.

℞. Impossibile, nedum difficile est, certò nosse, citra diuinam reuelationem, statum suæ animæ, an videlicet sis in gratia vel in statu salutis, aut in statu damnationis, aut sis saluandus vel condemnandus. Sunt ista abscondita ab oculis nostris, & nemo scit, amorenè an odio sit dignus. Nihilominùs confidens bonitati Dei volentis omnes salvos facere, cura per bona opera, vocationem tuam certam facere. Ille quidquid facit circa te & omnia, benè & iustè facit, ordinatque: & nemini facit iniuriam, imò etiam iniustis benè facit, & facit oriri solem super bonos & malos. Tu fac, quod tuarum partium est, Deus autem tibi non deerit.

Decimusnonus Scrupulus.

Procedit ex eo, quod quis ignorat se scrupulosum esse, sed potiùs se autumat esse pacatæ conscientiæ. Vnde credit se verè, & non scrupulosè iudicare, rationabiliterq; in omnibus procedere.

℞. Ita Phreneticus, tantò magis ægrotat quantò se liberum ab infirmitate firmiùs credit. Non tamen difficile

ficile est etiam hanc existimationem auferre. nam sæpiùs dubitare in vna vel pluribus materijs, vt in votis, excommunicationibus, peccatis, confessionibus, &c. & ex leui causa, euidens argumentum est conscientiæ scrupulosæ.

Præterea neq; hic quærenda est certitudo: satis enim est verisimiliter credere, se esse scrupulosum, siue suo iudicio, siue aliorum censura. Et ita liberè vti licebit omnibus prædictis remedijs.

Vigesimus Scrupulus.

Interdum homines solet subire talis dubitatio. Sumnè ego baptizatus, &c.

℟. In tali tentatione perpendendæ sunt circumstantiæ. 1. Si extant vel extabant Patrini, qui vulgò patres baptismi appellantur. 2. Si parentes fuerunt Catholici & diligentes in rebus fidei ac salutis: Nam si hæretici fuerint, præsertim verò Arriani, facilè est coniectare, quid fecerint, ex his quæ facere solent. 3. Consideretur locus, in quo quis sit natus, si in sylua, ciuitate, villa, vbi Ecclesia, vel propè, aut longè. 4. Tempus, si tempore belli vel pestis, quo Sacerdotes aut trucidati, aut mortui sunt. 5. Qui tempore natiuitatis adesse potuerunt. 6. Si obstetrix fuit perita, & solita in casu necessitatis, legitimè baptizare. 7. Si aliquando auditum est à fide dignis, hoc asseuerãtibus. 8. Si post talem discussionem & examen, notitia certa haberi non possit: solida verò argumenta pro parte negativa fuerint, omninò baptismus saltem sub conditione adhibendus esset, absq; solennitatibus, & priuatim, eò quòd ab alijs habetur & censetur baptizatus.

Verum, si leuis existimatio esset de parte negatiua, credendum est, quod sis baptizatus, neque aliqua turbatio admittenda.

Ad extremum autem, ita posses intra se discurrere.

Iterare baptismum non licet. Quòd si scirem me non esse baptizatum, certè vellem & desiderarem, imò & susciperem libentissimè: & nunc, si & quatenus necesse est, volo & cupio, & pro peccatis à me patratis, sincerè ob amorem Dei, doleo. Tale propositum habens, etiamsi re ipsa non esset baptizatus, salvaretur: quia tale desiderium seu votum, dicitur baptismus flaminis.

§ VII.

Quomodo se Confeßarius gerere debeat cum scrupulosis.

Hic adnotandæ sunt quædam animadversiones pro Confessoribus.

1. Inprimis curare debet, vt in di. iudicandis his difficultatibus sit peritus atque discretus. Nam scrupulosi solent seuerè se accusare de cogitationibus blaspemiarum, & aliorum nefandorum criminum; qui si inciderint in Confessarium imperitũ & indiscretum, is multò magis eorum conscientiam conturbaret, illi verò affligerẽtur vehementiùs, & in desperationem cõijcerentur. Discretus erat ille, de quo Gerson refert: Fuit, *inquit*, quidam pater in his rebus versatus, multàque experientia præditus, cui cùm Monachus agitatus molestissima blasphemiarum tentatione, quam (ob rerum fœdi-

fœditatem) explicare erubeſcebat; eã cùm tandem aperuiſſet, is ſubriſit & dixit: Impone manum tuam capiti meo. Quo facto, ſubiunxit pater. Omnia illa peccata, eorumque totum pondus ſuſcipio in me, dummodò tu in poſterum non excrucieris. Cùm autem ille Monachus vehementer miraretur, interrogauit eum Pater, ſi aliquando ei tales cogitationes placuiſſent. Quo reſpondente, ſe magnopere ab illis abhorruiſſe, ſubintulit, Ergo tu non eas agis, ſed pateris: Ac ita te fatigatum, vult dæmon in extremam deſperationem inducere. Et ſic Monachus diuturna qua vexabatur moleſtia, liberatus eſt.

2. Cauere Confeſſarius debet, ne curando ſcrupuloſum, aliquam vacillationem in ſe demonſtret; quin potiùs fidenter ac intrepidè remedia adhibeat. Nam ſi quando Medicus medendo hæſitauerit, & remedia timidè applicauerit, in ægroto non poterit ſe qui ſecuritas. Vnde qui in ſe nunquã ſcrupulos ſuperauit, non poteſt efficaciter eos in alijs curare.

3. Non agat Confeſſor cum ſcrupuloſo multitudine rationum (ſic enim ſuppeditaretur occaſio ſcrupulorum) niſi ad perſuadendum obedientiam, vt ſine diſcurſu captiuet intellectũ; de ſcrupulis non cogitet, nõ examinet, non diſcurrat. Iſta enim infirmitas eſt inſtar doloris capitis, quod vt ſanetur, ſomnum & quietem requirit.

4. Stabiliat in eo obedientiã quã promptiſſimam, vt abiecto ſuo iudicio, ſubmittat ſe omninò iudicio ſuperioris, Confeſſoris, viri pij ac prudentis: ita ut eorum iudicium in omnibus ſequatur, ſuo abiecto. Hoc enim traditur Tob: 4. *Conſilium ſemper à ſapiente perquire.* Et Prou: 3. *Non innitaris prudentiæ tuæ.* Alioquin nullo modo curari poterit.

5. Extra confeſſionem, rarò aut nunquam eum admittat, adeuntem ſe ob interrogationes faciẽdas de dubijs Hinc Vaſquez ait: Si ſemper ſcrupuloſus Cõfeſſariũ, aliũvè doctũ, circa ſcrupulos conſulat, nũquã exhauriet fontem ſcupulorũ. Vnde & verbis aliquãdo eos grauiter obiurgare debet; dicendo tales ſcrupulos eſſe amentias & quod deberet eos pudere, tales ſtultitias fouere in pectore, cùm ſint homines rationis capaces, & cauere debeat, tales ineptias alijs manifeſtare, ne ab eis vilipendantur, & pro fatuis habeantur.

6. Moneat, vt piorum pacatas conſcientias habentium, exempla aſpiciant, & imitentur, qui in magna tranquillitate interna vitam ducunt. Nec de eis ſiniſtrè opinẽtur, quaſi illi laxiùs vivãt, ſcrupuloſi verò cautiùs: alioquin nullũ habebũt vitæ exemplar.

7. Inſtruat, quod omittens aliqua legis humanæ præcepta, bono animo ſeu fide, videlicet, putans, quod in tali caſu lex non obliget, non erit mortale, etiamſi hallucinetur ſcrupuloſus, & lex obligaret. *Anton. Caiet. Rodriq.*

8. Generales confeſſiones & repetitiones confeſſionum, ſeu reiteratio-nem peccatorum, non facilè ad nittat, niſi magna & euidens neceſſitas acceſſerit. Et ſi dubitet de diligẽtia in examine, ſciat ſufficere mediocrẽ, ſuo vel Confeſſarij iudicio taxandam.

9. In confeſſione, non permittat ad particularia nimis deſcendere, quia eorum explicatione magis inquietaretur; ſed ſummariè peccata tangantur, dum-

dummodò Confessor intelligat mentē confitentis: animæ statum, & peccati speciem. Scrupulosi namq; multiplicant verba, adinueniunt exaggerationes cum magno suo pudore, & sine Sacramenti necessitate, imò aliquando cum contaminatione Sacramenti. *Gran: Exempli gratia:* Si quis peccauit cogitatione, sufficit dicere: Toties turpia cogitaui, ter, quater, & in eas cōsensi, seu delectatus sum. Nec requiritur, vt addatur, cogitaui tale vel tale quid. *Gran: de Pœniten.*

10. Scrupulosi cogitationes, semper in mitiorem partem & fauorem scrupulosi Confessarius interpretetur.

11. Credulitatem verò eius pro certitudine habeat, quando est in eius fauorem.

12. Non permittat confiteri dubia, & scrupulos quos habet, sed tantùm ea, quæ manifeste cognoscit esse peccata, alias perpetuò manebit, causa, occasio, & origo scrupulorum.

13. Imò si nimium vexatur scrupulis, non debet confiteri, nisi ea, quæ sunt euidenter peccata mortalia, & de quibus ita certus est, vt possit iurare ipsa esse mortalia, vel (si dubitat an ea sit confessus) se non fuisse illa confessum. *Sanchez, Sa, & alij.*

Nec debet aliquid putare esse peccatum mortale, nisi tale esse certò nouerit, absq; vlla hæsitatione: vt etiam superiùs adnotatum est. Hoc autem ex qualitate hominis scrupulosi iudicandum est.

14. Comprimat nimiam solicitudinem confitendi & enumerandi peccata venialia, quæ inquietudinem generat, & multis periculis exponit, Deo autem minùs grata est. Nam ea interdum procedit ex amore sui, & inordinato desiderio puritatis, (vt nihil remaneat in conscientia etiam minutissimi pulueris) nec rarò ex confidentia in viribus naturalibus. Vnde *Eccl: 7.* vetatur nimia iustitia, hoc est per excessum inordinatum.

15. Eruditus quoq; ac bonæ conscientiæ vir, admonendus est, quod ipsemet nollet in simili casu alteri dare consilium illud, quod pro se capit. Vnde colligere potest, se non ex recta ratione, sed inordinata passione ita opinari, quæ si abesset, aliter etiam de seipso iudicaret. *Caiet.* V. Scrupulus. Qui etiam debet alios viros pios ac prudentes aspicere, & in hoc æmulari, vt leuibus non moueatur, sicut nec illi.

Nec potest se illis præponere, credens se doctiorem aut meliorem, ipsos autem laxiores; eo enim ipso suspectus sibi esse deberet.

16. Doceat, vt aliquando sine confessione ad S. Communionem accedat, quamuis scrupulos sentiat. Si tamen in confessione vel minimum peccatū expresserit, debet absolui, si exigit, aut vult.

§ VIII.

De libertinis. seu dissolutis.

Scrupulosis per aliud extremum oppositi sunt, libertini, laxi, qui & perditi dici possunt. Hi enim post concupiscentias carnis euntes, & conscientiam cauteriatam habentes, non modò scrupulis non agitantur, sed neq; mediocri Dei timore mouentur, & in sua vita dissoluti sunt.

Remedium pro his, aliud post Dei auxilium, per orationem implorandum

esse

esse non poterit, quàm timoris Domini incussio. Introducetur autem timor.

1. Ex manifestatione pœnarum, quæ sceleratis infliguntur, post mortem in inferno: adeò certò, vt quà fide credimus esse vnum Deum, creatorem cœli & terræ, & ipsius Vnigenitum pro nobis hominem factum, & in cruce mortuum, debemus etiam credere eiusdem Christi veri Dei & hominis aduentum ad iudicium, in quo resumptis corporibus, sine fine victuri, omnes homines sententiam sunt excepturi, qua iustis æterna gloria, & iniquis æterna supplicia decernentur.

2. Ex suasione, ne talis, velit esse in seipsum crudelis, animam suam (quã post Deũ maximè facere debet, vt potè, nihil ea intimiùs, nihilq; chariùs habens) exponendo æternis suppliciis, à quibus vt nos liberaret Christus, acerbissimum ignominiosissimumque crucis supplicium subijt.

3. Ex aggrauatione periculi: siquidem contemneas misericordiam, sentiet iustitiæ rigorem, in illa terra miseriæ & tenebrarum, in qua sceleratis est finis sine fine, mors sine morte, defectus sine deficientia: ibi enim & mors viuit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Ibi damnati viuunt vt moriantur, semper moriuntur, & extingui non possunt. *Ad hoc propositum est pulchrum exemplum, in Speculo exemplorum. Verbo, Impœnitentia.*

4. Adijci potest, quod obstinatum esse in malo, diaboli est, non hominis qui in hac vita cadit & resurgit, semperq; aditum habet ad Christum benignum. Et quidem mutari de bono in malum ignominiosum est; de malo verò, in bonum, gloriosum coram Deo & Angelis eius, atq; coram hominibus, qui sicut malâ vita offendebantur, ita bona ædificabuntur.

5. Etiamsi nulla expectaretur remuneratio pro vita bona vel mala, ipsa tamen obligatio exigit, vt Deo obediamus ac seruiamus, tum propter eius summam excellentiam & maiestatem, tum propter tot beneficia, creationis, conseruationis, redemptionis, à malis præseruationis, & alia particularia in nos collata.

6. Imò, si per impossibile, neque beneficia ab eo accepta nos ad id obligarent, obligat tamen sufficienter humanæ naturæ conditio, quæ requirit, vt homo viuat, secundùm rectam rationem. Hæc autem dictat, bona sequenda esse, mala verò vitanda. Verùm dæmõ detinet quosdam in sua obstinatione, suggerens eis fallacissimum stultissimumq; præsidium. Quod videlicet incertum sit, an post spreta commoda & iucunditates huius vitæ, & post toleratos multos labores, sint habituri felicem exitum: hoc enim pendet ex vnius Dei beneplacito, ac decreto eius æterno, & immutabili.

Itaq; argumentantur sic. Aut sum ad salutem destinatus, aut non: si sum, etiamsi fuero pessimus, saluabor: si non, sed ad damnationem præscitus, quamuis fuero optimus, damnabor.

Auferat Deus talem cogitationem: tum quia falsissima, tum quia stultissima, tum quia periculosissima Deoq; iniuriosissima.

Falsa quidem in hoc: si fuero pessimus, saluabor, & optimus condemnabor. Nam si saluaberis, non eris pessimus: quia in articulo mortis emendabe-

daberis, & sinceram pœnitentiam ages, & ita finaliter non eris malus, neq; in malitia saluaberis, sed in iustitia: Vnde illi qui in peccato mortali moriuntur, peiores sunt. Similiter, si fuero optimus condemnabor; condemnaberis, quia ante mortem mutaberis, deserens bonitatem, & assumens malitiam, ac propterea non eris optimus. Meliores enim sunt illi, quos cùm venerit Dominus (hora mortis) inuenerit in bono opere vigilantes, ac perseuerantes.

Stulta verò talis cogitatio: quia non perpendit, quod etiam damnatus tantò minorem pœnam patietur, quantò pauciora & minora peccata habebit. Sicut & saluandi, tantò maius præmium consequentur, quantò diutiùs bonis operibus insudarunt. Vnde neq; saluandus neq; damnandus frustra abstinent à peccatis, & bona opera non negligunt, sed habet quisq; suum commodum, quod non advertere, stultum est.

Periculosa quoque, quia videtur hæresim sapere Deo eiusq; præscientiæ imputare, quod aliquis sit damnandus: hoc autem nullo modo stare potest, si vel ipsum hominem consideremus, vel Dei præscientiæ conditionem perspectam habeamus.

Et homo quidem liberum habet arbitrium ad bonum & malum, vtiturque hac sua libertate in eligendo: postquam autem elegerit quod ei placuit, nonnisi vnum exequi poterit, siue illud sit bonum, siue malum. Vnde homo eligens malum, est causa peccati, ac proinde suæ damnationis. Porrò Dei præscientia duo continet, scilicet finem & media. Deus enim ab æterno præsciuit finem cuiuscunque & media, quibus sit quisque vsurus: Sed hæc præscientia voluntatem non cogit, necessitatem libertati nullam imponit, nam ita liberè quemcunq; agere sinit, ac si præscientia nulla esset. Si aliquis sagacissimi iudicij, conijcit quempiam ex indicijs, alterum interfecturum, à quo ipsum abducit (tantùm abest, quòd adiuuet, aut consentiat) hic propter talem solertiam vel industriam, qua præuidet & prædicit, culpabilisnè est: Minimè.

Deus autem adeonè curti visus est, vt à longè præsciuisse non valuerit, qui ab æterno in sua æternitate, omnia præterita & futura, tanquam præsentia intuetur? Et tamen admonet dicens: *Declina à malo & fac bonum.*

Non ineptum in hac materia exemplum aut simile adduci potest de quodam infirmo & medico. Infirmus in corpore languebat, simul in mente, hoc sæpiùs dilemate vtens: si Deus sic vel sic præscivit, &c. vocatus medicus dixit: Domine, si Deus præsciuit, te fore sanum, absq; meis remedijs sanaberis. Si moriturum, etiamsi omnia pharmaca præberem, non te iuuarem. Convictus prudentis medici dicto, pœnitentiam egit.

§ IX.

De Monstruosis.

Non desunt alij mixti (vt ita dicam) feri, ac planè monstruosi, qui perditè viuunt, & tamen quibusdam scrupulis laborant, vt circa res fidei, circa blasphemias, quæ ipsi maximè abhorrent, circa vota, confessiones, &c.

Remedium pro his quoq; in Ecclesia Dei inueniri potest.

Inpri-

Inprimis enim deterrendi sunt à pessima vita. 1. Per orationem illis imponendam. 2. Nouissimorum meditationem ab eis faciendam. 3. Eleemosynæ largitionem. 4. Frequentē confessionem & Communionem. 5. Ieiunium. 6. Status periculosi considerationem. 7. Per constans propositum deponendi talem statum, & vitam emendandi.

Posteà recollectis, & aliquantulum cautioris, ac timoratæ conscientiæ effectis, poterunt eadem præscribi remedia, quæ iam posita sunt pro scrupulosis.

§ X.
De pacata conscientia.

De pijs autem, qui & cautè viuunt, & serenam conscientiam habent, nihil occurrit dicere: nisi quod Confessarij prudenter cum eis procedant, & ne turbent conscientiam monitionibus ac inquisitionibus minùs necessarijs, caucant.

Plura poterit confessarius iudiciosus ex hac doctrina elicere, & ea scrupulosis applicare, prout Deus dederit, & occasio, necessitasuè expostulauerit.

§ XI.
Subijcienda est doctrina, nouellis præsertim, ac scrupulosis Sacerdotibus apprimè necessaria.

1. Si Sacerdos sumptâ Hostia, deprehendat in calice loco vini ministratam esse aquam, etiamsi ipsam totam vel illius partem hauserit, non turbetur, sed statim dolorem concipiat de negligentia admissa; Ne autem Sacrificium imperfectum remaneat, in continenti suppleat, aliquo horum duorum modorum.

Primus est ex D. T. 4. d 13 qui Missalibus insertus & præfixus est, regulariterque est obseruandus, quando nullum imminet scandalum, vt puta cùm Sacerdos celebrat, præsente suo ministro tantùm, aut coram paucis prudentibus. Est autem iste.

Accipiat nouam hostiam, & (si aliquid aquæ remansit) alium calicem: vel extractâ particula Hostiæ. (si nondum deglutita est) effundat residuum aquæ in aliquod vas decens, vel ampullam. aut si modicum aquæ remansit in calice, superinfundat vinum consecrandum. Tunc præmissâ oblatione incipiat consecrationem vtriusquè speciei ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur*: prosequaturq; Missam more solito. (etiam eleuando) vsq; ad finem. Et post sumptionem Corporis & sanguinis Christi, sumat & illam aquam, quæ reuerenter tractanda est propter contactum Corporis Christi.

Secundus modus est ex Scoto, qui Nauarr. c. 25. n. 91. placet: possetque obseruari, in frequentia populi promiscui, ad euitandam admirationem & scandalum. Sufficit, *inquit*, solum calicem consecrare, & statim sumere, omnibus alijs omissis. Sciendum tamen est, necessarium esse oblationem præmittere, saltim mentetenus, hoc est cogitatione concipere, oblationem illius vini, quod siue Sacerdos, siue etiam minister (loco primæ ablutionis) infudit, super residuum aquæ, (& si nihil aquæ remansit, apponenda est alia.) Deinde in medio altaris consecret Sacerdos: incipiens ab illis verbis; *Simili modo post-*

postquam sumptum est; vsq; ad illa verba inclusiuè: *Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis.* Tandem sumat cum reuerentia, absq; aliqua mora, prætermissis alijs, ne populus errorem intelligat. Postmodum illam quoque aquam ebibat.

Quod si Sacerdos turbatus, nesciens quid facto opus sit, Communionem & Postcommunionem, atq; adeo Missam absq; tali supplemento, compleuerit, caueat ne iterum tunc celebret, neq; enim potest.

2. Aliqui consecrantes, nimis propè Hostiam & calicem, os tenent, quasi deglutire volentes, cum astantium offendiculo seu scandalo, vt auribus proprijs audiui. Hoc itaq; non est necessarium: quia etiamsi per cubitum distaret os à calice, adhuc præsentia materiæ non impediretur, neq; vis consecrationis minueretur,

3. Alij, vt (*Nauar: c. 16, de attentione*) asserit, verba consecrationis tanto conatu & aspiratione ab imo pectore tracta proferunt, vt scandalo sint auditoribus: alij nimis morosè. Alij volunt, vt halitus aut verba tangant materiam consecrandam, ideò & nimis ad materiam inclinantur, & halitu illam contingere curant, quod nō esse necessarium, sed neq; decens, *Azor.* (ni fallor) *monet.*

4. Alij discruciantur, credentes se non rectè proferre verba consecrationis. Sed satis est ea proferre benè moraliter; hoc est humano more, ita videlicet, vt si cum hominibus loqueret, intelligeret: & sermo haberetur pro intelligibili atq; claro.

5. Repetitio quoque in consecratione non est facienda, quia indecens est, nihilominùs si quis scrupulosus id faceret, forma consecrationis non viciaretur: ac proinde valida esset consecratio.

6. Reprehendit etiam Nauarr *vbi supra*; & peccare dicit eos, qui Missam tam submissè recitant, vt circumstantes non possint audire. Reprehensibiles quoq; sunt, qui adeò clamosè recitant, vt & aures aliorum offendant, & alijs celebrantibus impedimento sint. Vnde benè in Rubricis Missalium docetur, vt nec nimis altè dicatur, ne conturbentur alij: nec nimis submisse, nec nimis celeriter vel tardè, sed medioeriter, vt à propè circūstantibus possint audiri. Illi quoq; qui in eleuatione diutiùs Hostiā vel calicē tenēt eleuatā, corrigēdi sunt.

CAPUT IX.

In quo Praxis, seu practica curatio Scrupulosorum continetur.

EA quæ supra dicta sunt de Scrupulis, expedit breuiter colligere, & ad praxim reducere; ita vt scrupulosi etiam in defectu consiliarij, valeant se aliquâ ratione iuuare. Quod vt commodiùs exequi valeant, negotiū hoc in tres partes dividant: In præparationem suam; in pugnam cum scrupulis, & subsidium subiungendum.

§ Præ-

§. Præparatio.

Per quam Scrupulosus disponitur ad pugnam.

1. Recursus fiat ad Deum & Sanctos, per orationes crebras.

2. Protestatio de proposito firmo, in hâc pugna, non offendendi Deum, sed tantùm scrupulos eradicandi, cum eius benedictione & auxilio, ad serviendum ei in lætitia cordis: vnde si hac occasione stimulus aliquis discruciabit conscientiam, tu oppone hanc protestationem, exnunc pro tunc.

3. Fides bona, est protestationis comes: hæc autem summo conatu est conquirenda & comparanda, tanquam cardo & fundamentum totius istius negotij. Est autem bona fides, bona credulitas seu existimatio de actione aliqua quod non sit peccaminosa, sed licita. Quæ existimatio non debet procedere ex errore aliquo, deceptione, astu, malitia, neq; ex complacentia peccati, sed ex candore animi ita sincerè credentis, siue ob authoritatem peritorum, exempla piorum, siue ob authoritatem peritorum, exempla piorum, siue propter coniecturas verisimiles, discursusque rationis probabiles: & præterea ad bonum finem, scilicet ad pacandam conscientiam, pro Dei laude & gloria.

4. Sicut & mala fides dicitur, quādo quis, sciēs & volēs malum exeqvitur, contra suæ cōscientiæ credulitatē, quasi malitiosè contra eius existimationem agens.

5. Bonæ fidei fundamentum, est depositio conscientiæ: hoc est, erroris in conscientia, qui eam torquet & affligit. Depositio verò fit hoc modo. Dum aliquis legit, audit, perpendit, consideratq; exempla piorum: & conuersus ad se deprehendit, difformitatem seu discrepantiam in credulitate & actionibus suis, vnde censet se in errore esse, quem propterea reijcit à se: & tunc dicitur deponere conscientiam. Pergens autem vlterius, postquam amplexus est illam sibi contrariam opinionem, eam sincerè credit veram, paratus eam deserere, si ipsam falsam esse subolfecerit: vnde quando ex tali opinione operatur, dicitur bonâ fide agere.

6. Sanè ista bona fides & cum tali promptitudine, multùm valet iuuatque ad excusandum actiones hominis à peccato: & quidem coram Deo, qui intuetur cor. Nam cùm hæc interuenit, Deus non imputat actionem illam ad culpam. Exemplū si homo simplex ingrederetur monasterium, sine dolo & malitia, sed neq; sciens prohibitionem, credensque id sibi licere, nihil peccat: quia bona fide id facit.

7. Per contrarium mala fides ex non peccato facit peccatum, & ex veniali, imò etiam nullo, mortale. Vt si quis credens esse peccatum omittere Missam die Cinerum, & tamen omitteret; tale peccatum admitteret, quale esse crederet: eò quòd contra conscientiam suam dictantem sibi esse peccatum, ageret (quamuis in rei veritate peccatum non sit). Et hoc est mala fide agere.

8. Sed & hoc scitu est necessarium, quod tu sis scrupulosus, quod facile deprehendes, tum ex frequentibus

bus dubitationibus & perplexitatibus, circa agenda, (licitanè an illicita sint) circa acta, (conuenienternè, an non, gesta sint, vel etiam omissa, aut non integrè persoluta) in iudicando, consensinè, an non, &c. Tum ex assidua anxietate & turbatione animi, ob ineptum conscientiæ remorsum, seu punctiones; tum ex alijs, qui te aut monent, aut irrident, compatiuntur, aut talem esse cùm admiratione, vel subsannatione diuulgant; alij verò etiam tuum consortium propterea subterfugiunt.

9. Scias etiam, oportet, quòd Deus tanquam Dominus mauult conscientiæ tuæ serenitatem, ad seruiendum sibi cum iucunditate, quàm istas tuas terricitates, & animi fluctuationes, multa bona impedientes: Idem Deus, vti Pater & Creator tuus, benignus, atq; tui amantissimus est, tantum abest, quod sit severus, aut instar hostis crudelis, qui minimos tuos lapsus, obseruet, vt habeat occasionem te puniendi, vlciscendi, ac ob leuem defectum perpetuò damnandi.

10. Scire quoquè debes, quod non omne id quod in cogitatione tua oritur & comparet, prouenit ex deliberato animo. Multa enim præueniunt rationem, omnemque eius deliberationem, vt sunt subiti motus, qui non sunt in nostra potestate. Vnde etiam sanctissimos inuadebant, infestabant, & turbabant. Atque tunc constat nullum esse peccatum: quia actus sine aduertentiâ non est actus humanus. Vnde sicut qui peccat debet aduertere quid faciat: ita si quis impræmeditatè ex improuiso, & inopinatò visâ pulchra muliere, subitò raperetur in eius amorem, absque aliqua vel minima deliberatione: aut conspecto inimico, subitâ concitaretur iracundia, nihil peccaret; donec aduertat, quid agat, aut quid secum agatur vel quid in animo & appetitu sensitivo degat.

11. Dato etiam, quod cogitatio illa, aut etiam delectatio, cum aliqua aduertentia nostra versetur in animo; non tamen qualiscunque aduertentia sufficit ad peccatum mortale: siquidem duplex esse potest; Perfecta, seu plena, & imperfecta, semiplenauè. Perfecta aduertentia est, quando ratio considerat sensualitatis motum sufficienter, quoad plenam malitiam eius, ac proinde secundùm illas circumstantias, quibus homo potest moueri ad illum excutiendum, & quasi cum discursu quodam, deliberatione & examine (quamuis breuissimo tempore) an videlicet eligenda & amplectenda sit illa suggestio per consensum volũtatis; an verò respuenda per dissensum & displicentiam. Semiplena verò aduertentia est, cùm quis sentit motum inordinatum in appetitu, sed non venit in mentem, quod hoc rationi, aut Dei præcepto, aduersetur, neque plenè cernit, in quonam & quali motu aut periculo hæreat: vnde nihil est quod ipsum mouere possit ad excutiendum illud malum: sed est, sicut cùm quis nondum plenè à somno excitatus, sed eo ex parte ligatus, pollutionis contingentis illi, malitiam perfectè non aduertit, ideo non imputatur ei ad mortale donec planè aduertat, quid ei incumbit. Sicut & plena aduertentia comparatur dispositioni hominis, quando perfectè à somno excitatus est. Eodem modo homini in vigilia potest

potest adeò tenuis consideratio accidere, eò quòd intellectus aliò trahatur & distrahatur, ne cogitet delectationem esse malam, & contra legem Dei, cùm non sit in nostra potestate, semper recordari eorũ quæ oportet. Quod fieri potest ex aliqua causa naturali distrahente, vel etiam quia impetus concitatæ passionis, vtpotè vehementes, præualent, ita vt qui attendit, & advertere incæpit, integrè advertere non valeat, delectatione cursum suum faciente. Vnde talis consideratio leuis, non sufficiet ad mortale. Exemplum, si quis die ieiunij cœnet, advertens cœnam sibi vtilem ac delectabilem, ac de hoc tantùm ratio secum deliberat, examinat, & consultat, nihil de eius mortali malitia, quod scilicet contra præceptum sit, cogitans; hic non peccat mortaliter, propter advertentiam imperfectam. Et quod maius est, videt se agere contra naturalẽ temperantiam, videlicet, absq; necessitate, contra debitam quantitatẽ, tempus, & modum; sed de præcepto nihil prorsus cogitat, iste peccabit venialiter tantùm.

12. Nam cùm peccatum mortale sit dissolutio diuinæ amicitiæ, eiq; æterna damnatio debeatur, non est par credere, tanto supplicio hominem absque perfecta & plena consideratione, obnoxium fieri, & (vt multi Doctores dicunt) dedecet Diuinam pietatem, ob talem insufficientem deliberationem in tartara detrudere hominẽ, cuius ea fragilitas est, vt non semper ad obiecti malitiam perfectè aduertere, de eaq; deliberare, possit; vnde tunc non mortaliter, sed venialiter tantùm peccare poterit, liberque à damnatione perpetua erit. *Sanchẑ Moral: lib. 1. cap. 1. n. 6. & seq. & alij.*

13. Vltra plenam intellectûs considerationem, consensus etiam voluntatis exigitur ad culpam, quia nisi aliquid voluntarium sit, peccatum esse non potest, vt docet D. Aug. Hinc vbi aduertentia plena præcessit, & consensus plenus accessit; mortale peccatum est. Vbi verò advertentia semiplena fuit, ibi & consensus semiplenus, atq; adeò peccatum veniale.

14. Insuper, quando quis resistit, & conatur expellere illos motus inordinatos, sed ita tepidè, vt propter hoc statim secundò & tertiò regrediantur ad pulsandam mentem (vt Syluest. Graffijs, & alij docent) venialiter tantùm peccat, dummodo non consentiat, sed ei verè displiceant, neque adsit periculum propter talem negligentiam, succumbendi, seu consentiendi, in opus externum, aut delectationem externam. Tunc enim deberet torporem excutere, conatum augere, ad eijciendam delectationem; non tantùm divertendo cogitationem ad alia animo reuoluenda, verùmetiam carnem diutiùs affligendo, ac variè excruciando, & vsq; ad mortem decertando.

15. Decipitur aliquando scrupulosus, credens esse consensum, ex eo quod sentit quandam de peccato cogitato delectationem, & propterea tristatur. Verumenimuerò, non semper dum sentimus, consentimus, & valdè ista differunt. Nam potest in partè sensitiva esse commotio & delectatio, vt in illis qui per vim alicuius polluuntur; & tamen in ratione (quamuis sola) displicentia, imò quandoque cum

cum contentiosa resistentia. Insuper neq; sola perseuerantia delectationis post plenam considerationem, concludere potest consensum plenum. Quia appetitus sensitiuus rebellis est, neque subditur plenè imperio voluntatis, ac propterea potiùs voluntas patitur illas delectationes quàm agat. Hinc multas negligentias post plenam advertentiam excusare possumus à mortali, maximè eorum, qui ita dispositi sunt, vt potiùs mori decernant, quàm mortale admittere.

16. Materia quoque peccati circa quam versatur, consideranda est scrupuloso, grauisnè illa est an leuis, nimirum cum notabili irreuerentia Dei, & præiudicio proximi. Nam si leuis sit, non erit mortale, vt aliquot versus Psalmi, in officio omittere, aut etiam Psalmum paruum. Similiter, leuiter aliquē percussisse, aut rem paruā surripuisse, vel non grauiter infamâsse, vt dicendo quòd mentitus sit se excusando.

§ *Pugna cum Scrupulis.*

His doctrinis benè perpensis, iam scrupulosus erit præmunitus, ad ipsam pugnam: quàm in Dei nomine sic aggrediatur. Et primò excitet atq; extruat in se bonam fidem, hoc modo: Domine, video, quòd ego & in sensu, & in moribus, discrepo à viris doctis & pijs, neq; est possibile ipsos errare; potiùs ego allucinor, qui caput habeo læsum, & phantasiam conturbatam, confusamq;, ob frequentes vacillationes, metus & afflictiones quas ego sentio, & alij ex facie idipsum deprehendentes, mirantur: certè consultiùs faciam, si ego adhærebo opinioni eorum, meum verò errorem deponam: quod mihi licere, Doctores docent, præsertim *Sa, V. Dubium.* Et assumā bonam fidem, hoc est, concipiam bonam existimationem de opinione meo errori contrariâ, nimirum quòd illa sit bona, licita, ac in operatione tuta.

2. Et sic credens intrepidè, omnia in contrarium scrupulo faciam. Sic enim nihil peccabo, testante D. Anton. *p. 1. t. 2. c. 10.* Nam si vrgebit me, mussitans aliquid esse peccatum, ego candido (non fraudulento aut malitioso animo, negabo: si aggrauabit, asserens mortale, non credam ei, neque condescendam: si tanquàm dubium obtrudet, illud ego deponam, & quidem licitè docente Sa, *num:* 4. & ita bonâ fide fretus, omnia contra scrupuli stimulum faciam.

3. Vlterius, In confessione, illa tantùm proferam quæ mortalia esse, iuramento confirmare audebo, similiter super quæ iurare potero, quòd ea nunquam sim confessus. Vnde cætera venialia censebo, quæ alijs, præter confessionem, vijs abstergi possunt, ac propterea illa in confessione tacebo, & non recensebo.

4. Quòd si dubium, de consensu in peccata cogitationis, aut internæ delectationis, in mentem irrepserit; nō credam. Qui fieri enim potest, vt ego qui conscientiam nimis sensibilem ac timidam habeo, in omnem ferè cogitatiunculam, consentiam, ac peccem, & quidem mortaliter. Certè si ego in tali dispositione constitutus, consentirem, proculdubiò non dubitarem, conscientiâ ipsa sensibiliter reclamante. Et quamvis mihi scrupuloso videar consensisse, in rei tamen veritate, non consensi: & in ista bona fide, reij-

cio

cio hunc scrupulum: atq; ad contrarium agendum me determino.

5. Hac bona fide animatus & armatus, solideque fundatus, sæpiùs accedam ad sacram Synaxim, vel ad celebrandum, confessione Sacramentali nō præmissâ: cum protestatione, quod sim paratus etiam pluries confessionē præmittere, si hoc vera necessitas expostularet. Quamuis in hoc initio, aliquam notam scrupulorum acriùs pūgentium in memoriali facere non dissuaderem, per aliquot septimanas, ne de repente aliquis timor superueniens obruat conscientiam, nondum plenè purgatam, aut etiam vt concessa a Domino tranquillitate, apertè deprehendas illa, quæ notasti, fuisse vana terriculamenta. Hoc autem per duos aut ad summum tres menses faciens, postea talem conscriptionem tibi subtraherem vt sic paulatim, & quasi per gradus, ad consciētiæ serenitatē peruenias.

6. Eadem bona fide procedam, in recitatione diuini officij, & aliarum orationum. Nunquam repetam quidquid oblatret scrupulus. Promptum me profitebor ad integrè persoluendū quod teneor, sed repetere nolo, ne cōtraham scrupulorum habitum. Vnde formata mihi bona fide, vlteriùs pergam.

7. Hoc si factites pluries, Deo volente &cooperante, ad serenitatem facile peruenies: Quòdsi his non obtemperaueris, in magno periculo remanebis, & nunquam lætus Domino seruies.

8. Sed dum tu hæc facies, magna tempestas insurget contra te, fluctus turbationum circumdabunt, & coangustabunt te: Salutis tuæ hostis conabitur deterrere te ab hoc bono proposito, multis, varijs, ac horrendis suggestionibus. Et tunc magnâ fortitudine opus habebis, vt nihil penitùs mouearis. Suggeram tibi aliquot difficultates in hac pugna, vnâ eademq; opera te animabo; quatenus eas præuideas, leuiùs feras, & faciliùs superes.

§ *Subsidium.*

1. Si in hoc certamine, (dum resistis, & non obsequeris scrupulis, ad suggestionem eorum nihil facis, confessionem differs, in oratione à repetitionibus abstines, &c) aliquando in exercitijs spiritualibus, orationibus, sacramentorum vsu, senseris te, quasi destitutum omni deuotione, & loco eius abundare ariditatem, insipiditatem, desolationem, distractionem, pūcturas; nihil cures omnino: Omnia ista copiosè compensabuntur, quando redierit Domino volente tranquillitas; ac proinde consolationibus non priuaris penitus sed in aliud tempus eas tibi Deus reservat. Ad tempus itaq; renuntia his suavitatibus spiritualibus: cum præsertim, non propter eas Deo seruiendum sit, sed quia ille dignus est, nos verò obligati sumus, tanquam creatura eius & beneficijs deuincti, seu beneficiarij.

2. Aliquando mussitabit scrupulus, quod sis præsumptuosus & audaculus, committens te fortunæ, & non curās, siue benè, siue malè cesserit, siue salus siue damnatio sequatur: ac proindè periculo præsentissimo te exponis, tutam viam scrupulorum deserendo. Non est præsumptuosus, neq; periculo se obijcit, qui prudenter operatur, videlicet: Ex deliberatione & resolutione bona fide facta: ex consilio pruden-

dentis Confessoris, aut alterius pij & periti, exemplo ductus virorum bonorum, &c. Vnde non dubium euentum pro fine habeo, sed determinatè bonum expecto, ex Dei benignitate.

3. Interdum vrgebit dicens: Caue, ne talis tua resolutio sit malitiosa irritans Deum, & ad iracundiam prouocans, præsertim, si ad conscientiam tuam conuersus fueris, quæ tot puncturis configitur, tot scissuris laceratur, tot metibus discruciatur. Vnde apparet, te non posse bona conscientia, sed mala pessimaq, ad sacra accedere. &c. Facile hoc euades, si ad bonam fidem confugies. aliorum bonorum vitam, tibi ob oculos statues, insidias diaboli aduertes, conscientiamque tuam pro nunc languentem, & scrupulis debilitatam, atq; ideò iudicium rationis obfuscantem agnosces.

4. Quandoque persuadebit tibi, quasi bonus consiliarius, vt saltim hac vice confitearis, & deponas onus, quod te premit, ne forte sacrilegium in sumptione Eucharistiæ sine confessione committas, Deumque grauiter offendas: & postea cautiùs vivens, & ad defectus diligentiùs attendens, ad communionem deposita consciẽtia accedes. Non credas ei, decipiet te: iam dictum est scrupuloso satis esse mortalia, eaq; iurata confiteri; & cũ puncturæ istæ, aut dubia sint, aut ex læsa phantasia per scrupulos procedant, in Dei nomine animatus bona fide, accede audacter ad S. Synaxim, protestãs te etiam millies confiteri paratum, si hoc tibi & quieti conscientiæ conduceret. Non imputabit Dominus peccatum ei, qui cum bona credulitate in actionibus prodedit. Quòdsi fueris scrupulis obsecutus, decipieris; scrupuli verò non cessabunt, sed multiplicabuntur magis, habitusque eorum fortiùs firmabitur & radicabitur.

5. Demum, non raró insusurrabit, Blandiris tibi, cùm valdè procliuis sis ad hæc & illa peccata, sentiasque ipse intus te esse grauatum, ac plenum multis fœdis ac blasphemis cogitationibus. Tu bono animo esto. Neq; enim hîc blanditiæ sunt, sed conatus, ad eijciendos scrupulos, qui tuam inquietant conscientiam. Turpitudines autem quas sentis, proueniunt ex infelici conditione naturæ pecato infectæ & corruptæ. Et quamvis ex teipso contentus non sis, eò quòd sentias te valdè distractum his immundis cogitationibus, & (quod maius est) videris tibi consentire; ac proinde in malo statu esse, non turberis, videtur quidem tibi; sed non omne quod tale videtur, est tale. Iste cruciatus, quem geris propter hæc, demonstrat, quòd tibi displicent. Crede peritioribus, rectum iudicium habentibus, qui sic docent: & ne fidas tibi ipsi, qui distortam existimationem habes, ob phantasiam læsam.

6. Adhuc, aliquando occupabit te dolor & mæstitia, propterea quia credis te indulgentias non lucraturum, quæ dari solent confessis, & S. Communione refectis. aut hoc & illud toties (seu integrè) recitantibus. Si quidem tu interdum absque confessione communicabis, aliquando dubitabis, an omnia requisita ritè ac integrè perfeceris; repetitio autem tibi interdicitur. Verùm quia tu confusum & contusum scrupulis caput habes, male credis, & temerè seu absque ratione

ne doles. Nonnè confessus es, non ita pridem? Auderesnè tù asserere, priuatum esse indulgentijs eum, qui triduo ante Pascha confessus est, si quæ sunt eo die tales indulgentiæ? Minimè gentium. Sed esto, quòd tu non sis tunc lucraturus eas, non tristeris. Nam etiam non obtineres eas si in itinere esses, aut in lecto ob infirmitatem detinereris. Et tu in tali indispositione, æger es ac peregrinus, alienusque, à teipso & alijs recto iudicio pollentibus. Renuncia pro nunc indulgētijs, donec recuperes sanitatem, & assequaris conscientiæ serenitatem. Crede doctis, quòd non omninò eas omittis; sed commutas in magnam mentis consolationem, puritatem & sinceritatem, quæ ad multa tibi apprimè necessaria est. Interim te commenda, clementiæ Dei, qui tibi multis vijs poterit compensare, ac supplere [illegible] omissam indulgentiam, (si est omissa.)

7. Vt autem faciliùs scrupulorum laqueos euadas, conuersationes hominum frequentes fugias, vana & diuturna colloquia deseras, silentium cole, & strictissimè serua, non tantum oris, verùm etiam mentis seu cordis, vt abigat inde omnes vanas cogitationes. Certè vanis cogitationibus & colloquijs, facilè se ingeret scrupulus: & ab eis facilis erit transitus ad turpia & noxia: vbi te grauiùs conscientia torquebit. Salubre consilium est, semper Dei præsentiam ob oculos sibi statuere, & in corde retinere, de eo cogitando, cum eo sermocinando, ac de rebus ad salutē necessarijs tractando.

* *Si breviorem tractatum de Scrupulis desideras V. Theologiam P. Hermani. l. 1. tr. 1. c. 3. & Prologum Sent: Mor: dist: 4.*

CAPVT X.

In quo tres Casus aliquando occurrentes, circa dispensationem in Matrimonij impedimentis, deciduntur.

I. Casus.

Si quando literæ dispensationis perirent, quid tunc facto opus est?

℟. Sufficiet tunc testimonium alicuius omni exceptione maioris, vel coniecturæ probabiles. Nam scriptura non est necessaria ad substantiam & valorem gratiæ, sed statim ac concessa est, per verbum, *Fiat*; valida est in se, & perfecta, quoad substantiam. *Sanch. Moral. lib. 8. d 29. n. 2.*

Et idem Sanchez eodem *lib: 8. d. 32. n. 5.* Non destituitur viribus dispensatio, etsi is cui conceditur, literas cancellet concidatuè: Quia hoc solam renunciationem eius importat; quæ dum non est à Superiori acceptata, minimè vim dispensationis eneruat.

Deinde, quia esto ad dispensationis valorem expediri literas desideraretur: at vbi semel literis expeditis concessa est, non pendet eius firmitas, à literarum conseruatione. *Idem ibidem.* Et quòd in foro conscientiæ fas est vti, ante expeditas literas, *dist: 29.*

II. Casus.

Vtrum Officialis Episcopi, cui delegatur per rescripta dispensatio in Matrimonij impedimentis, possit eam facultatem subdelegare?

1. Quæstio hæc in terminis proponitur à Sanch: de Mat: *lib: 8. disp: 28. n. 43. fin.*

2. Et loquitur de delegatione facta à Principe, scilicet Pontifice,

3. Respondet negatiuè, Non ideò quòd sit electa industria personæ (propter illa verba. *Super quo conscientiam tuam oneramus.* Et, *Discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus.*) Quia per huiusmodi verba non censetur electa industria personæ: alias talis commissio, mortuo Officiali non transiret ad Successorem.

4. Sed quia vbi nudum ministerium vnà cum iurisdictione aliqua cōmittitur à Principe, non potest nudū ministerium subdelegari exequēdæ dispensationis, benè tamen iurisdictio illa, examinandæ veritatis, precum, testium receptio, &c.

Per oppositum, quòad delegatum inferioris principe, nam delegatus inferioris principe, ad vnam causam, non potest totam illam subdelegare, nec articulum iurisdictionem continentem, potest tamen articulum, qui nudi ministerij est. *Sanch: de Matr: lib: 3. d. 31. n. 10.*

5. Matrimonium ante dispensationem Officialis, non est validum. *Ibid: disp: 35. n. 18.* Et Filliucius, *Tract: 10. p. 2. c. 10. n. 363.* qui addit expresse, solo Officialem dispensare posse.

III. Casus.

Bona fides, potestnè hic habere locum?

℟. Potest.

Quando verò suffragatur?

℟. Quando ignorantia est inuincibilis, iuris humani aut facti, absq; tertij præiudicio. Et tunc non tenetur Confessarius admonere, vel quilibet alius, quando nulla inde speratur vtilitas: quia sequeretur perplexitas, vel scandalum ex separatione, vel difficultas. *Sanch: lib: 2. disp: 38. n. 6. Et infra.* Quòd verum esse credo, non tantum vbi iam est contractum matrimoniū, sed etiam ante illud contractum. Si enim Confessarius vel quilibet alius videat pœnitentem, ignorantiâ invincibili impedimenti laborantem, & credat probabiliter fore, vt monitis non acquiescat, nec fidem adhibeat, & læsa conscientia, sit matrimonium contracturus, & maxima difficultate, magnoq; scandalo suborto, possit à matrimonij contractu desistere, prudentissimè Confessarius aget, si taceat. *Subiungit.* Nauarrus ait, se vidisse dispensationes aliquorum, qui de peritorum consilio bona fide credebant esse legitimas, cùm tamen non essent, & tacuisse. Quia circa ius humanum errabant: ne eos (quos ignorantia excusabat) constitueret in mala fide, & nihilominùs vtentes dispensatione (inualida) peccarent. Et concludit statim posse Confessarium absoluere pœnitentem, qui probabili iuris humani ignorantia excusatur, si videat, monitionem non profuturam. Vbi clarè Nauar: loquitur, ante contractum matrimonium, quando virtute dispensationis inualidæ aliqui contra-

trahere volebant. *Subiungit.* Imò tenetur Confessarius in casu hoc tacere, ne sequantur inconuenientia dicta, præbeatq; peccandi causam his qui in bono statu sunt. *Hæc ibi.*

Lopez *Instr: p. 1. cap. 27. ibi.* Ad prudentiam, &c.

Et Corradus, *q. 141. in addit:* idem repetit, videlicet.

Quando Confessarius videt pœnitentem ignorantiâ inculpabili aliquid ignorare esse peccatum mortale, quando ex admonitione non speratur emēda, vel quando difficile est remedium & nullus speratur fructus, nisi multum inquietudinis & scandalum, tacere debet. Secus esset, quando pœnitens sciscitaretur, tunc aperienda est veritas.

AD TYROCINIVM APPENDIX.

Q*Voniam in literis Iubilei, nouæ sæpius clausulæ inseruntur, ac propterea nouæ oriuntur dubitationes practicæ, quæ vix possunt sub scientiam cadere (vt significavit* Suarez tom: 5. Disp: 7. Sect: 5. n. 5.) *neque de eis certa aliqua Regula dari potest, nisi vt ab hominibus doctis proprietas verborum consideretur, & iuxta principia iuris, vel alia à Theologis recepta, verba explicentur: & inter alias difficultates non minima est, de absolutione ab Hæresi, ideo de ea hic proponitur quæstio.*

In Iubileo, in quo conceditur facultas absoluendi à Casibus Bullæ Cœnæ, censeturnè concessa etiam facultas absoluendi ab Hæresi?

Pro resolutione huius difficultatis tria dicentur.

1. Status controuersiæ declarabitur.
2. Determinatio Quæstionis cũ suis probationibus subiungetur.
3. Apparentes rationes in contrarium diluentur.

Quoad Primum.

QVamuis non abs re dici posset ab Hæresi denunciata officiosè absolui neminem posse: à simplici verò & priuata quæ non est denunciata, posse,

posse, nihilominùs, quia sermo, est in Prouincia, vbi nec Inquisitores sunt, nec Hæretici denunciantur nec puniuntur; Et dubitatur: An qui denunciati non sunt, possint in Confessione absolvi, virtute Iubilei, concedentis facultatem supra Casus Bullæ Cœnæ. Ideò sciendum est, quòd in hac Materia sunt duæ opiniones: Altera affirmans posse Hæreticos non denunciatos absolui; altera negans posse eosdem absolui.

Doctores tam negantes quàm affirmantes, inferius recensebuntur.

Quoad Secundum.

NObis placet pars affirmans tanquam in se probabilis ac vera, ex parte Ecclesiæ benigna, quoad forum pœnitentiæ, in Iubileo omninò necessaria. Suadetur Primo: quia intẽtio Summi Pontif: in tali Iubileo est disponere, capacesque reddere vniuersaliter, efficaciter ac sufficienter, omnes Christi fideles, ex speciali & largissima gratia, ad suscipiendam plenariam Indulgentiam. Quodsi exciperetur talis Hæresis, non esset dispositio vniuersalis, sed particularis; nõ liberalis sed parca, & constricta. Vnde non solent excipi in Iubileis nisi illa, quæ vel non pertinent ad salutis & indulgentiæ consecutionem; videlicet sine quibus obtineri potest indulgentia, vt est irregularitas: vel quæ essent cum detrimento potestatis Ecclesiasticæ, vt deducta ad forum exterius: vel quæ nullam redderent Indulgentiam, vt status peccati ex defectu satisfactionis debitæ.

2. Exceptio firmat Regulam, sed in Iubileo Pauli V. Anno 1617. erat excepta Hæresis denunciata, ergo non denunciata, erat concessa: Et cùm non esset concessa expresè, dicendum est, quod sub specificatione Bullæ Cœnæ erat inclusa; nec apparet ratio, propter quam tunc tantùm includeretur, & non semper, vt patebit statim.

3. Confirmatur; quia in Iubileis non solet excipi regulariter hæresis ignota iudici Ecclesiastico, excipitur autem semper denunciata, & quidem aliquando specificè & expresè, vt in Iubileo Pauli V. Aliquando genericè & implicitè, vt quando reseruantur Censuræ deductæ ad forum exterius.

Et cùm ordinariè in Iubileorũ Bullis aliqua expresè excipiantur, occasio esset inserendi hæresim occultam, si intentio Pontificis esset eam reseruare.

4. Quando aliqua dispositio superioris potest exponi rigorosè & benignè, satis est pro saluanda ea, ac securitate conscientiæ, si exponatur in sensu benigno, dummodò vis non inferatur verbis & veritati, cùm proniores semper esse debeamus ad misericordiam, quàm ad rigorem iuris, vt inquit Author Candelabri Aurei. Hæc autem fauorabilis sententia, saluat etiã verborum proprietatem, nec verba extorquet.

5. Filliucius, qui affirmatiuam partem tenet, *par. 3. tract: 8. cap. 10. num. 265.* testatur duo. 1. Hanc esse opinionem multorum doctissimorum Virorum asserentium, quod in Concessione indefinita Casuum Bullæ Cænæ, etiam intelligitur Hæresis, nisi expresè excipiatur. 2. Quod vsus & praxis, ac responsio in sacra Pœnitentiaria talis est.

Idem

Idem docet *Eman: Sa: V. Excommunic: Bul: num:* 17. Concessis (inquit) omnibus casibus Bullæ Cœnæ, intelligitur concessus Casus Hæresis. (Addit) Ita declarauit S. Congregatio.

Idem tenet *Soto* 4. *d.* 22. *q.* 2. *a.* 3.

Idem *Corduba, Sum:* 48.

Idem sensit *Thomas Zerola Episcopus Minorensis*, in sua praxi Episcopali, *par:* 2. Et in Practica Pœnitentiali, cap: 15. q. 4.

In Candelabro de Absol: n. 16. *plures DD. citantur.*

Graffis lib: 4. *cap:* 15. *num:* 25. postquam docuit suam opinionem negantem, subiunxit. Aliter tamen habetur in praxi de hæretico occulto, incidente in excommunicationis Censuram. Hanc praxim allegans, *Suarez tom:* 5. *disp:* 7. *Sect:* 5. *n.* 12. ait: Fundari potest illa praxis in vulgari Regula, quâ priuilegium Principis latissimè est interpretandum, præsertim in beneficijs, quæ continent bonum animarum, qualis est facultas absoluendi à reseruatis. Nec obstat quod hæresis habeat specialem grauitatem in ratione culpæ, nam in ratione reseruationis non habet, cùm per Bullam Cœnæ eodem modo, & ijsdem verbis reseruentur reliqua crimina. Sicut inter percussiones Clerici, valde specialis est percussio Sacerdotis & tamē concessa potestate absoluendi à percussione Clerici comprehenditur & percussio Sacerdotis, quia quoad reseruationem, omnes inferiores ordines æquiparantur. Quamuis postea prosequens suam negatiuam soluat has rationes, quæ tamen solutiones facilè reijci possent: neque enim fauor fidei in abstracto accipitur, sed quatenus est in animabus: cætera quoq; ex dictis ac dicendis facilè intelligentur.

Quoad Tertium.

QVòd obijci solet Regula iuris 81. In generali confessione non veniūt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. ℞. Negando, quòd non sit concessurus in specie quoad hæresim ignotā: Quamvis quoad hæresim deductam ad iudicium, satis verificetur.

Idem intelligendum est de relapsis quòd scilicet possunt absolui, qui hæresim publice coram Iudice non abiurauerunt, cùm in iure tales tantùm relapsi censeantur. *Azor tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 14

Et hoc modo intelligenda est doctrina à nobis tradita in Examine approbandorum. tit. 13 *q.* 8.

2. Quoad alios Authores contrarium sentientes: multi multa afferunt, quæ nihil nostræ resolutioni officiunt. Nam vel incertæ sunt veritatis, vel intelliguntur tantùm de Bulla Cruciatæ, quæ in Hispania sedem habet, vel in quantùm esset hæc sententia in præiudicium Censorum fidei, seu Inquisitorum.

Inprimis *Henriquez lib.* 6. *de Pœnitentia, cap.* 16. sic ait: A casu hæresis exterioris per Clausulam generalem Bullæ Cruciatæ, aut plenissimi Iubilei (nisi aliter in ipso expresè declaretur) Cōfessarius absoluere non potest. Postea ipsemet se explicat statim subiungens: Quia Vrbanus IV. Paulus IV. Pius V. & Gregorius XIII. Pontifices, ita expresserunt per Bullā cum Consilio Cardinalium, amplissimè Censoribus fidei (qui in Hispania extant) concessam. In sua glossa addit quinque, 1. Quia, inquit,

inquit, causa fidei, (vt ait Glossa recepta) per generalem concessionẽ non datur legato, nisi exprimatur 2. Quod Emmanuel in Explicatione Bullæ, refert ita declarasse Gregorium XIII. Anno 1584. & olim Vrbanum IV. 3. Et ita habet praxis in Curia Romana. 4. Et in Hispania duo Prædicatores asserentes in Concione contrarium, coacti sunt publicè retractare per Censores fidei. 5. Soto autem locutus est ante declarationem Gregorij XIII.

Vbi clarè constat hic declarationem factam in gratiam Inquisitorum, seu Censorum fidei, ne eorum officio aliquod præiudicium fiat. Quæ ratio hic in Polonia cessat. Deinde loquitur de causa fidei; ac proinde videtur de foro exteriori intelligere saltim principaliter.

Azor negativam tenens, duo dicit: 1. Si secundùm iura & rationes veriusque opinionis iudicandum esset, probabilior prima sententia apparet, scilicet affirmativa. In odijs enim & pœnis apellatione clausulæ generalis, non intelliguntur quæ specialem habent rationem; vt nomine Clericorum non intelliguntur Episcopi nec Religiosi, in Priuilegijs tamen & fauoribus censentur comprehendi, etiam quæ specialem habent rationem. Et quamuis statim subijciat, simpliciter dicendum secundam sententiam esse veram; & magis stylo cõsuetudiniq; Romanæ Curiæ adhærendum, tamen subiungit huius rationem, ne derogetur inquit, priuilegijs Inquisitorum, si eis sunt concessa. Nam Pontifex non solet, inquit, alijs huiusmodi facultatem concedere, neque per tales concessiones generales derogare priuilegijs Inquisitorum.

Hic autem desunt Inquisitores quibus derogetur. Porrò de hoc stylo & vsu allegat Mandosium dicentem Absolutiones ab hæresi extra Curiam, committuntur Inquisitoribus illarum partium, & in Curia nemo se intromittit, nisi S. Inquisitio, ac illius præfecti.

Hinc dicendum videtur, vbi neque Inquisitores sunt, neque Fidei Censores, potest & debet per generales clausulas Bullæ Cœnæ intelligi hæresis occulta, cùm nemini præiudicium fit per eas, imò populorum consolatio maxima: alioquin magna esset conscientiarum perturbatio; si pœnitentes paterentur repulsam neq; eis pateret regressus ad Ecclesiam, ob defectum Inquisitorum. Ergo opinio quam multa absurda sequuntur, non est amplectenda.

2. Addit. Aiunt quidam, ita est declaratum à Gregorio XIII. Anno 1576. & Pio V. Anno 1572. Sed dubitans subiungit: Si ita est, bene est. Verùm huiusmodi, inquit, viuæ vocis oracula, sæpè nobis certò non constant. Ergo & Azor cui placet magis negativa, incertitudinem aliquam in probationibus agnoscit.

Sanchez vir doctissimus negativam tenens, addit, de hoc esse motum proprium Gregorij XIII. quem inquit, ad verbum affert. *Manuel in addit: ad Bullam, &c.* allegat quoque Roias de Priuilegijs Inquisitorum.

Hic motus Gregorij XIII. in Bullario quoq; ponitur, in quo mentio fit Pij V. (Credo alium non inueniri) Sed eius motus (cuius initium est, offi-

cij

cij nostri: Anno 1576. 22. Sept.) Summa illi met præfixa est hæc: quod Confessores in vim Priuilegiorum Cruciatæ S. eligendi, neminem ab hæresi absoluere possunt.

Ergo de Bulla Cruciatæ specialis est ratio seu respectus: Tum quia Illa ordinariè semper durat, ac pro inde nulla vnquam reservatio locum haberet. Tum quia in Hispania in qua hæc Bulla viget, magnus zelus est, & solicita disciplina circa fidem. Tum quia concessio facultatis absoluendi hæreticos, labefactare videretur Priuilegia & Iurisdictionem Inquisitorum.

3. Posset aliquis obijcere periculum incertitudinis, vel falsitatis in hac opinione, aut etiam inualidæ absolutionis. Propterea breuiter dicimus, quòd tria sunt quæ efficiunt, vt Ecclesia in aliquo casu suppleat defectũ, & det iurisdictionem. Error Communis, Probabilis opinio, & dubium. Hinc *Less. lib. 2 c. 29. n. 65.* In errore Communi ius ipsum, inquit, confert iurisdictionem extraordinariè, ad singulos actus propter bonum Commune.

Et infra, *n.* 68 Non solum error Communis, sed etiam probabilis opinio efficit, vt Ecclesia, det iurisdictionem, etiamsi fortè opinio illa sit falsa; vbi allegat alios DD. & subiungit: vt si probabile sit talem posse absolui à reseruatis vel censuris, & aliquis ex hac opinione operaretur, validum erit Ecclesia supplente defectum, si fortè subsit: alias si factum esset irritum, grauissima sequerentur incommoda, & animæ illaquearentur scrupulis; vt addit Henriq: statim citandus.

Henriq: lib: 2. de Pænitentia, cap. 14 m 3. & 4. Quando ignoratur ius difficile, & Confessarius atque Pœnitens, inculpatè putant, per Sapientum opinionem in praxi probabilem, adesse iurisdictionem; Ecclesia sanè confert iurisdictionem in hoc occulto foro,

Et in glossa sua litera g. Nec enim minus potens est opinio Sapientum, quam error vulgi.

Thomas quoque, *Sanchez de Matrim: lib: 8. d. 21 n. 20 & seq.* ait: In dubio, valori actûs iura maximè favent.

Summa ergo summarum est;

Quod in Iubileo, in quo datur facultas super Casus Bullæ Cœnæ, hæretici non denunciati, & relapsi, qui coram Iudice hæreses non abiurauerunt, intrepidè absolui possunt.

Non possunt autem.

Hæretici denunciati.

Relapsi, qui abiurauerunt,

In Italia & Hispania, ac vbicunque sunt Censores fidei, seu Inquisitores, nisi hoc specialiter exprimatur in literis Apostolicis,

EXAMEN APPROBANDORVM ad Sacras Confeſſiones excipiendas.

TITVLVS I.

De Sacramento Pœnitentiæ in genere.

Habet quæſita 14.

QVÆSITVM I.

Ad quem finem ſunt inſtituta Sacramenta nouæ legis?

℟. Ad ſalutem humanam. Colligitur hoc ex Conc: Trid: *Seſſ: 7. Can: 4.* Et ex D. Thom: *3. p. q 61. a. 1.* Suar. *tom: 3. diſp: 6.* Bellarm: *t. 2, lib: 1. c. 22.* Caniſ: *in Cath: cap. 4. §. 6.*

Bellarm: verò, *ibidem*, ſic dicit: *Sacramenta inſtituta ſunt ad iuſtificandum, atq; vt ſint ſigna & cauſæ inſtrumentales gratiæ Dei.*

Caniſius, *vbi ſupra*, docet: *quòd Sacramenta inſtituta ſunt, 1. vt ſint præſentiſſima remedia contra peccatum. 2. ut habeamus certa, & efficacia ſigna Diuinæ gratiæ erga nos. 3. vt ſint velut ſymbola & externæ notæ Chriſtianæ profeſſionis, quibus Dei & Eccleſiæ filij ſe mutuò agnoſcant colligenturq;.*

QVÆSITVM II.

Salus (ad quam Sacramenta ordinantur) quotuplex?

℟. Duplex. Prima ſeu proxima, vel inchoata per gratiam, *quæ* à Theologis iuſtificatio dicitur. Et vltima ſeu conſummata per gloriam, quæ beatitudo appellatur. *D. Th: Epheſ: c. 2. lect: 3. & alij.*

QVÆSITVM III.

Gratia (quam cauſant Sacramenta) quotuplex eſt?

℟. Duplex. Communis & Propria. Communis omnibus Sacramentis, eſt gratia habitualis, quæ multis nominibus appellari ſolet.

Dicitur enim gratia gratum faciens. *Item*, iuſtificans, ſanctificans gratia virtutum (infuſarum, tam Theologalium, quàm Moralium) & donorum; ſcilicet, Spiritus ſancti.

Quia virtutes & dona hæc gratiam habitualem comitari ſolent. *Suar: to: 3. d. 7 ſec: 2.*

In hac gratia communi, tota efficacia Sacramentorum potiſſimùm verſatur. *Suar: t. 3. in comment: a. 1. q. 62.* In eadem gratia ſpecialis ſingulorum

Sacra-

Sacramentorum fundatur, neque aliter datur hæc, nisi quatenùs fundatur in illa.

Vocatur autem hæc (propria gratia) gratia Sacramentalis. Et nihil aliud est, nisi auxilium Dei, seu actualis eius concursus, in quolibet Sacramento, ad consequendum vniuscuiusque Sacramenti effectum. Siquidem omnes Theologi, conueniunt in hoc, quod singula Sacramenta, habeant proprias Sacramentales gratias, quas efficiunt. D. *Th. 3 p. q. 62. a. 4.* Suar. *to: 3. d. 7. sect: 3.* Vnde necesse est, vt distinctos habeant effectus, quos distinctæ distinctorum Sacramentorum gratiæ producunt. Itaq; gratia sacramentalis includit supponitq; gratiam, gratum facientem, & addit illud auxilium, seu actuale Dei subsidium, motionemuè eius gratuitam, ad aliquem certum Sacramenti effectum. *D. Tho vbi supra, Soto 4. d. 1. q. 3. a. 2. Gregor: de Valent: to: 4. d. 3. p. 2.*

Quamuis (vt vnum adhuc maioris claritatis causâ addam) gratia Sacramentalis etiam dici possit, ipsa gratia habitualis, seu gratum faciens, quatenus per tale Sacramentum, datur ordinaturque ad talem finem, & quatenus ei debetur, coniungiturquè ex diuina institutione tale auxilium. *Soto & Suar vbi supra.*

QVÆSITVM IV.

Quotuplex est illa gratia communis omnibus Sacramentis?

℟. Duplex. Prima: & Secunda, quæ augmentum gratiæ dicitur. Colligitur ex D. Th: *1 2æ. q 114 a. 5. 6* & Suar: *tom: 3. in 3. p* D. *Th: disp: 7. sec: 2.* Tolet, *in summa Cas: lib: 2. c. 16 n 8.*

Prima vocatur, ante quam immediatè homo Deo gratus non fuit, sed mortuus per peccatum originale vel mortale. Vnde duo Sacramenta, scilicet Baptismus & Pœnitentia (quæ sola hac prima conferunt gratiam) dicuntur Sacramenta mortuorum.

Secunda verò gratia appellatur, quādo in homine gratia, seu vita spiritualis inuenitur, sed augmentum tantùm illius accedit. Vnde reliqua quinq; Sacramenta dicuntur viuorum, in quātum præsupponunt vitam spiritualem in homine, & augmentum gratiæ conferunt.

QVÆSITVM V.

Gratiæ Sacramentali qui effectus correspondent, in singulis Sacramentis?

℟. In Sacramento Baptismi proprius effectus correspondens gratiæ baptismali, est regeneratio in vitam spiritualem, seu inchoatio vitæ spiritualis.

In Sacramento Confirmationis, augmentum spiritalium virium, ad constanter confitendum fidem, & strenuè pugnandum aduersus hostes eius.

In Eucharistiæ Sacramento. Conseruatio, & nutritio charitatis, (in qua vita spiritualis consistit) in quātum per alimentum diuinum roboratur homo, ne à calore concupiscentiæ, seu propensione amoris proprij, absumatur eius vita spiritualis, seu gratia.

In Pœnitentia. Curatio spiritualis ægritudinis, seu resurrectio, aut restitutio vitæ spiritualis.

In Extrema vnctione. Conualescentia perfecta, seu reparatio virium spiri-

spiritualium, per remotionem reliquiarum morbi; Corroboratio ad pugnam contra dæmonem, in hora mortis; & dispositio ad citiorem ingressum, in vitam æternam.

In Ordine. Potestas regendi multitudinem & exercendi actus publicos.

In Matrimonio Auxilium, ad moderandam effrenatam carnis concupiscentiam, ac proinde ad continentiam coniugalem, seruandam fidem, iustitiam, charitatem, & concordiam inter se (mutuo supportando se inuicem) ad honestam prolis propagationem. *Qui voluerit poterit legere D. Th: 3. p. q. 65. a. 1.* Valenz & Suar: *supra hunc articulum D. Th:* Bellarminum *2. c. 26.* Et Suar: *t. 3. d. 7. S. 3.*

Nota. *Ex Gregor: Valz t. 4. d. 3. p. 2.* cùm dicitur: quòd per quodlibet Sacramentum, datur auxilium peculiare ad Sacramenti effectum: intellige indistinctè, siue efficiendum, siue tantū conseruandum. *Qui voluerit; poterit ibidem videre reliqua.* Et Suar: *vbi supra, §.* Dico secundò.

QVÆSITVM VI.

Quod sunt Sacramenta?

℟. *Septem.* Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium.

Quorum numerus sumitur ex proportione ad vitam corporalem, cùm Sacramenta ordinentur ad vitam spiritualem. In vita autem corporali primò requiritur generatio, deinde augmentum ad perfectum statum. Tertio, nutritio continua ad conseruandum corpus. Quartò, medicina, propter occurrentem corporis ægritudinem. Quintò, expulso morbo, necessarium est aliquod remedium confortativum, vt conualescat corpus perfectè, & amissas vires recuperet per confectiones, rotulas, &c. Præterea, ad conseruationem totius naturæ, necessaria est potestas propagandi genus humanum per cohabitationem licitam maris & fœminæ; & facultas gubernandi homines.

Hæc omnia in vita spirituali inueniuntur.

Baptismus, ad regenerandos homines, in vita spirituali.

Cōfirmatio, ad dandum augmentum, robur, ac virilem statum.

Eucharistia, ad conseruandam & nutriendam charitatem.

Pœnitentia ad curandam spiritualem ægritudinem, occurrente peccato actuali.

Extrema vnctio, quasi ad instaurãdas vires, & reliquias ægritudinis ex toto auferendas.

Ordo ac Matrimonium, ad bonum totius communitatis ordinantur.

Nam per matrimonium, propagantur homines vitæ spiritualis capaces.

Per Ordinem, ad regendum illos spiritualiter, in vitam æternam.

QVÆSITVM VII.

Quomodo Sacramenta sunt necessaria ad salutem?

℟. Sacramenta ex natura rei, seclusa institutione Christi non sunt necessaria. Potuit enim Deus sine Sacramentis visibilibus saluare. Henriquez *lib. 1. c. 4 n. 1. ex Scot: & Gabr.* Suar, *to. 3. in Commentario, ar: 1. q. 61.* Bel. *c. 22.* Sed posita Christi institutione Sacramenta sunt necessaria ad salutem. Verùm quia necessitas hæc, non est vniformis in omnibus Sacramentis, sed varia in varijs; ideò Doctores declarant

hanc

hanc variam necessitatem, varijs etiam modis

Bellarmin. *to: 2. l. 1. c. 22* Suar: *to: 3. d. 6. S. 1. §. Dico secundò, & copiosiùs in commentario art. 4. q 65.* D. Th: Henriqu: *lib. 1. c. 4.* Vtentes illa distinctione, de necessitate medij & præcepti. (cuius membra declarant, Suar. *vbi suprà & disp. 40.* Valent. *2. 2æ. to. 3. disputatio: 7. q. 2. puncto 2.*)

Mihi placet modus, quo vtitur D. Thom. *3. p. q. 5. a. 4.*

Videlicet; Necessarium ad salutem duplex. Simpliciter, sine quo salus nullatenus obtineri potest. Et vtiliter, seu ad benè esse, sine quo salus haberi quidem posset, sed non tam benè aut commodè. Itaq; tria Sacramenta, Baptismus, Pœnitentia & Ordo, omninò sunt necessaria, s. simpliciter, Baptismus quidem siue in re, quando copia adest, siue in voto, quando deest opportunitas, omnibus ac singulis absolutè.

Pœnitentia his qui post Baptismum peccauerunt mortaliter.

Ordo verò est necessarius non singulis, sed Ecclesiæ in communi, hoc est fidelium vniuersitati; sine quo neq; Hierarchia Ecclesiæ consistere posset, neque alia Sacramenta confici.

Reliqua Sacramenta, sunt vtilia, seu necessaria ad benè esse: in quantùm per illa conuenientius salus hominum promouetur. Nam Confirmatio quodammodo perficit Baptismum. Extrema vnctio Pœnitentiam. Matrimonium verò Ecclesiæ multitudinem, per honestam propagationem conseruat, ac proinde saluandorum numerum auget.

Eucharistia, est Spiritualis vitæ consummatio, & omnium Sacramentorum finis. D. Th: *3. p. q. 73. a. 3.*

QVÆSITVM VIII.

Peccatnè Christianus non suscipiens Sacramenta, quæ tantùm vtilia sunt, & non simpliciter necessaria?

℞. Non peccat, nisi duo occurrant: Præceptum & contemptus. Et quidem præceptum habet locum in Eucharistiæ Sacramento suscipiendo. *Soto 46. d 1. q 6. art: 4.* Suar: *to: 3. d. 18. S. 1. & dis 69. & 70.* Et ideò secundùm determinationem Ecclesiæ tenetur homo sub mortali peccato suscipere Sacramentum Eucharistiæ semel in anno.

Contemptus autem potest interuenire in duobus Sacramentis præcipuè, In Confirmatione & Extrema vnctione. Vbi sciendum est ex D. *Th: 3. p. q. 65. a. 4. ad 3.* Quod aliud est non curare suscipere Sacramentum, quod non est de necessitate salutis (id enim non est peccatum.) Et aliud contemnere, quòd superbiam & vilipensionem importat. Vnde homo Christianus, qui tempore quo expediret recipere, diceret: Nolo recipere Confirmationis aut Extremæ vnctionis Sacramentum, quasi dignitatem meam non deceat, subijci rebus his, quas & homines viles, & pueri capiunt. Hic proculdubio peccaret mortaliter. Henriquez *lib. 1. c. 4 n. 3.*

QVÆSITVM IX.

Quis finis Sacramenti Pœnitentiæ?

℞. Remissio peccatorum, vel iustificatio hominis lapsi in peccatum mortale post Baptismum.

QVÆ-

QVÆSITVM X.

An Sacramentum Pœnitentiæ, habeat illa tria, more aliorum Sacramentorum, scilicet. Materiam, Formam, & Ministrum?

℟. Habet. Et quidem materiam tam proximam quàm remotam. Materia enim proxima seu ex qua Sacramentum constat, sunt actus pœnitentis, videlicet, contritio in corde, confessio in ore, & in opere satisfactio. Horum verò actuum obiectum seu materia circa quam; sunt peccata, de quibus pœnitens dolet, & quæ confitetur, & pro quibus satisfacit. Remota itaque materia sunt ipsa peccata actualia post Baptismum commissa, non quæ acceptentur, & maneant, sed quæ per detestationem destruantur, sicut ligna sunt materia ignis. D. *Th. 3. p. q. 84. a. 2.* Soto. *4. d. 14. q. 1. a. 1.* Henriq. *l. 4. c. 9.*

Hæc autem eadem peccata, contrita, confessa, & satisfacta, sunt & dicuntur materia proxima.

Porrò peccata mortalia dicuntur materia principalis & necessaria, propter quæ principaliter Sacramentum hoc, est institutum, & sine quo hæc remitti non possunt.

Venialia vero, sunt quidem materia sufficiens, sed libera & non necessaria: cùm absq; hoc Pœnitentiæ Sacramento, non tantùm in re, sed etiam in voto, deleri possint. *Henriquez ex Conc: Trid: Tolet: lib: 3. c. 4.*

Forma, est absolutio, Minister verò, Sacerdos. *Hic nota.*

Quòd quamuis Sacramentum hoc essentialiter constet ex materia & Forma, non tamen omnis seu tota materia ad essentiam pertinet. Suar: *in Commentar: a: 2. q. 94.* D. Th *Et d. 18. sect: 2.* Nam Contritio & Confessio sunt integrales & essentiales partes. Satisfactio verò non est essentialis pars, sed integralis tantùm, ideò non supponitur formæ, neque præcedit eam, sed sequitur post eam. Suar. *sect: 3. & disp: 20. sect: 3 §. Hic ergò.*

QVÆSITVM XI.

Per Sacramentum Pœnitentiæ, deleturnè omnis culpa?

℟. Ita: & aliquando quidem directè, aliquando verò indirectè. Directè illa quæ manifestatur in confessione. Indirectè, quæ per obliuionem inculpabilem vel inaduertentiam, aut etiam ignorantiam inuincibilem, non exprimitur: semper tamen is, qui sic omisit peccatum mortale, habet annexam obligationem, ad manifestandum illud, & subijciendum clauibus Ecclesiæ in Confessione, quando in memoriam venerit.

QVÆSITVM XII.

Dimittiturnè etiam pœna?

℟. Pœna æterna dimittitur vnà cum culpa, sed temporalis non semper tota remittitur. *Conc: Trid: Seß: 6. c. 1. 4.* Suar. *t. 4. d. 10. S. 6. vt infra quæsito 18 dicetur.*

QVÆSITVM XIII.

Quomodo dimittitur æterna?

℟. Concomitanter seu ex consequenti, *Suar: d. 26. s. 2.*

Declaratio. Quando per gratiam remittitur culpa, tollitur auersio animæ à Deo, in quantum anima Deo per gratiam coniungitur, ac consequenter simul

simul tollitur reatus pœnæ æternæ. Sublato namq; principali, aufertur accessorium vel concomitans: potest tamen remanere reatus alicuius pœnæ temporalis.

Qui hoc profundiùs scire desiderat, legat D. Th. q. 86 a. 4. Caiet. *ibid. &* Poret. Suar. *in tertia parte* T. 4. *dis. 10 sec. 2, & 3. per totum. Decis: lib. 1. c. 7.*

QVÆSITVM XIV.

Sẽpernè remanet reatus pœnæ temporalis dimissâ culpa mortali?

℟. Non semper. *D. Th. 3. p. q. 84. a. 4.* Suar. *to 4. dis: 10. s. 3. § Prima est.* Quia aliquando tota pœna remittitur, aliquã-do plus, minusuè, secundùm modum propriorum actuum, qui sunt materia pœnitentiæ. Quod non est ex defectu misericordiæ diuinæ, sed ex defectu pœnitentiæ hominum, quia scilicet aliquorum conuersio ad Deum non est tanto spiritûs feruore facta, vt sufficiat ad tollendam etiam pœnam temporalem. *Poret: ar: 4. append:*

TITVLVS II.

De Ministro Pœnitentiæ.

Habet quæsita 22.

QVÆSITVM I.

Quæ & quot conditiones requiruntur in Confessario, Ministro Sacramenti, Pœnitentiæ?

℟. Sex, Potestas, Scientia, Prudentia, Bonitas, Sigillum & Fortitudo. *Barth: Med: Inst. l. 1. c. 3.*

QVÆSITVM. II.

In quo differunt, Potestas Ordinis & Iurisdictionis?

℟. De his potestatibus variè DD. loquuntur, magnusq; conflictus est de eis inter authores, vt etiam adnotatur in marginibus apud *Tolet. l. 1. c. 3.* Respondetur tamen directè. Quod in multis differunt; præsertim verò in octo. 1. In ipsa re, eò quod sunt res distinctæ. Huius autem realis distinctionis signum est, separabilitas ab inuicem, *Suar: t. 4. d. 16. s. 3. §.* Ex his. Siquidem & iurisdictio potest esse absq; ordine, vt quando non Sacerdos recipit beneficium Parochiale. *Suar. §* Vnde. *Tolet. n. 3.*

Et Episcopus confirmatus habet iurisdictionẽ, etsi non sit Sacerdos. Quã potest Sacerdotibus delegare, non tamen per seipsum vti. *Henr. l. 6. c. 1. n. 3.* Et ordo potest stare absq; iurisdictione. vt patet ex Conc: Trid. *Seß: 14. c. 7.* Et Suar. §. *Tertius modus,* colligit ex Concilijs, Sacerdotem posse carere omni iurisdictione ad absoluendum.

2. In origine seu modo quo acquiruntur. Nam potestas ordinis ex vi ordinationis, per impressionem characteris, datur. Potestas verò iurisdictionis,

ctionis, per commissionem factam à Deo vel homine. *Henriq.* Seu prælationem super aliquam multitudinē, susceptionem alicuius officij: & per extrinsecam delegationem. *Suar.*

3. In functione seu actione propria. Quia potestas ordinis, est potestas consecrandi & offerendi Eucharistiam, atque conferendi Sacramenta, per quæ gratia datur. *Soto 4. d. 20. q. 1. a. 1.* Tolet: *lib. 1. c. 63. n. 1.* modo tamen infra, *q.* 4. dicendo. Iurisdictio verò est potestas excommunicandi, absoluendi, dispensandi, indulgentias cōcedendi, leges Ecclesiasticas condendi. *Tolet.*

4. In obiecto seu materia circa quam. Potestas enim Ordinis refertur, ad verum naturaleq; Christi Corpus in S. Eucharistia. Iurisdictionis autem potestas tota versatur, in Christi corpore mystico, (quod est, fidelium congregatio) ordinando, regendo ipsum, ad eius vtilitatem. *Cath: Trid:* de Sacramento Ordinis §. *His igitur.* & *Tolet:*

5. In subiecto. Nam potestas ordinis est in quolibet Sacerdote. Iurisdictio verò, non in omni Sacerdote, sed in supremo Prælato; in aliis verò, prout ab ipso sunt delegati. *Tolet.*

6. In essentia seu natura. Quia potestas ordinis, est qualitas quædam impressa animæ, per quam homo potest conficere corpus Christi & à peccatis absoluere, quæ dicitur character impressus in ipsa Sacerdotis ordinatione. *Tolet.* per quē deputatur, vt possit esse iudex animarum, in foro pœnitentiæ. *Suar.* Potestas verò iurisdictionis, est noua potestas superaddita ordini. *Henriquez.* & extrinsecùs adveniens. *Suar.*

7. In duratione. Quia potestas Ordinis est immutabilis & indelebilis; sicut & character. *Henriq.* in annotation: ex *Conc: Trid:* & ex *D. Th:* Iurisdictio verò potest amitti, auferri & restringi. *Henriq. n.* 3. *Suar:* §. Ex his ergo.

8. Potest addi. In ratione æqualitatis & inæqualitatis. Quòd potestas ordinis sit æqualis in omnibus: sed in potestate iurisdictionis sunt gradus quidam: Minor enim est in Parocho; Maior in Episcopo: Summa & vniuersalis potestas super totam Ecclesiam, in Papa.

Posset addi nona differentia, quæ tamen ex supradictis elicitur. Videlicet; Quod potestas Ordinis, datur in & per Sacramentum, ex vi ordinationis, seu per impressionem characteris Sacerdotalis. Potestas vero iurisdictionis, extra Sacramentum, per electionem, collationem iudicij Sacramentalis cōmissionem, ac iudicandorum consignationem.

QVÆSITVM III.

Ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, absoluendumq; à peccatis mortalibus, quæ potestas requiritur?

R. Vtraq; potestas requiritur simul. Et neutra sola sufficit. Neque enim solam iurisdictionem habens absoluere potest à peccatis, cùm potestas clauium fundetur in charactere Sacerdotali. *Suar, t 4. d 24. sect: 1. §. Sed difficultas.* Sed neq; solum Sacerdotium sufficit, nam etiam iurisdictio requiritur. *Conc: Trid: Sess: 14. c. 7.* Omne enim iudicium requirit iurisdictionem;

Suar. § *De potestate.* Quam iurisdictionē nemo habet ex vi suæ ordinationis, vt statim dicetur.

QVÆSITVM IV.

In ordinatione Sacerdotis, conferturne simul etiam potestas iurisdictionis?

℞. Quamuis hoc aliqui asseuerēt, vt videre est apud *Suar.* §. *Difficultas.* Dicendum tamen est, quod sola potestas Ordinis confertur. Sed hæc duplex est; scilicet supra Corpus Christi verum seu naturale. Et hæc datur Sacerdoti, quando confertur potestas consecrandi & offerendi Eucharistiam; & super Corpus Christi mysticum, quæ est potestas remittendi & retinendi peccata. Quam Episcopus per alium actum tradit, dicens: Accipe Spiritū sanctum, quorum remiseris, &c, *Suar. sect. 3 Dec. lib. 1. c. 13. n. 1.*

Non tamē inde colligi potest, quòd illis verbis conferatur iurisdictio. Quāuis enim iurisdictio in foro Pœnitentiæ sit potestas absoluendi, non tamen omnis potestas absolvendi est iurisdictio. Itaque per illa verba (in ordinatione) datur Sacerdotibus vera & præcipua potestas, operatiua in tali iudicio, per quam Sacerdotes deputantur, vt possint esse iudices animarum in foro pœnitentiæ, ita quòd constituuntur quidem iudices, sed solùm aptitudine; videlicet, vt possint absolvere, quando habuerint subditos: non tamen actu, quia non possunt hanc potestatem exercere, & exequi, nisi eis assignentur subditi, quod fit per collationem iurisdictionis. Nam iurisdictio & subiectio subditi, sunt correlatiua, seu tanquam relatio & terminus. *Suarez ex Concil. Trid. colligens.*

Exemplo (quamuis non per omnia quadret) vtcunque illustrabitur res. Datur Doctoribus facultas docendi, qui tamen actum exercere non valent, nisi auditores habeant. Et homo habet potentiam generandi, & sufficientem in suo ordine, nec tamen generabit, defectu correquisiti.

QVÆSITVM V.

An in aliquo casu non Sacerdos possit ministrare Sacramentum Pœnitentiæ?

℞. Nullo modo potest: neq; aliqua necessitate vrgente, neq; dispensatione accedente. *Suar. disp. 24* Estq; de fide. Quia in *Conc. Trid. Sess. 14. Can. 16.* ita definitur. Hinc apparet contrariam opinionem antiquorum, iam desertam, correctam & antiquam esse. *Sot. 4 disp. 18. quæ. 4. a. 1. Concl. 3.*

QVÆSITVM VI.

Quæ scientia requiritur in Confessario?

℞. Duplex potest assignari. Eminens, omnibus numeris absoluta. Et sufficiens.

Eminens est, quando Confessor, vtrâque Practicâ Theologia pollet. scilicet, Morali & Sacramentali. Iuris quoq; præsertim Canonici peritiam habet Constitutionesque Synodales tenet.

Sufficiens, latitudinem habet, nam pensatis circumstantijs locorum, temporum, ac personarum, iuxta prudens iudicium, aliquando maior, aliquando minor requiritur: adeò vt interdum satis sit intelligere ea, quæ frequentiùs accidunt, & quæ ab omnibus

bus communiter ſciuntur eſſe mortalia, & reſeruata; noſſe reſtitutionum radices; Cenſurarum valorem: votorum & ſimoniæ ſignificationes callere; de difficilioribus ſcire dubitare. Nam cùm dubitat, poteſt legendo vel alios conſulendo cognoſcere, quid agendum ſit, & quomodo procedẽdũ, atque adeo dignè ſuo munere fungi. Item. Formam abſolutionis. Hæc autem infima ſcientia dicitur. quâ minor eſſe non poteſt, niſi pœnitentis ſcientia & conſcientia ſuppleat.

QVÆSITVM VII.

Hæc ſcientia ſufficiens regulariter, ad quot capita reduci poteſt?

℞. Ad tria. Ad ſcientiam inquiſitiuam, iudicatiuam, & medicatiuam.

Ad inquiſitiuam pertinet noſſe & intelligere Præcepta Dei, Eccleſiæ, Septem capitalia peccata, & peccata ſenſuum; aliena diuerſorumque ſtatuum.

Ad iudicatiuam: quod ſit diſcrimẽ, inter mortale & veniale, quæ ſint circumſtantiæ peccatorum, quæ peccata ſint reſeruata, quæ Cenſuras, & irregularitates annexas habeant, quæ reſtitutionem famæ vel rerum; quando deneganda vel differenda eſt abſolutio pœnitenti, & ſi ſit in ſtatu damnationis, propter voluntatem perſeverandi in peccato.

Ad medicativam pertinet, obſtinatos in peccato emollire, & conuerſionem perſuadere, per incuſſionem timoris, ob pœnas inferni, incertitudinem horæ mortis, ac ſeueritatem iudicij diuini: per repromiſſionem gloriæ, ac beatitudinis æternæ & per pias conſiderationes, ac exempla, quæ omnia ſuppeditabuntur ex libris ſpiritualibus.

Timidos conſolari.
Scrupuloſos tranquillare.
Tepidos excitare,
Proficientes iuvare.
Ferventes temperare.

Hîc duo ſunt notanda. 1. Dicta cogitatio non eſt ſic exigenda, vt Confeſſarius memoriter ſciat, omnes excommunicationes, omnes caſus reſervatos, irregularitatis ſpecies, *&c.* Satis eſt, quod audiens confeſſiones reminiſcatur, vel ſaltem hæſitet, vt ad quærendum conſilium moueatur, 2. Peccat grauiter Sacerdos, ingerens ſe huic miniſterio, abſq; ſufficienti ſcientia, neque excuſare poteſt obedientia, aut commiſſio per Epiſcopum facta. Quod ſi Sacerdos ex ſcrupulo dubitet ſe ſufficientem, in tali tantùm caſu, ad iudicium ſuperioris dicentis eum eſſe idoneum, debet deponere dubium, idq; quando euidentiſſimè contrarium non conſtat.

QVÆSITVM VIII.

Quæ Regulæ ſunt ad diſcernendum peccatum mortale à veniali?

℞. Hæc res ſicut ſcitu eſt neceſſaria, ita explicatu difficilis etiam viris doctis pijſq;. *Sayro lib. 1. c. 13. n. 27.* Tum quia *D. Aug. in Enchirid. c. 8. dicit.* Quæ ſint leuia & quæ ſint grauia peccata, non humano ſed diuino ſunt penſanda iudicio. Tum quia *Gerſon lib. de vita ſpirituali animæ, lect. 5. lit.* Z admonet ſic: Exigere unam aliquam certam regulam generalem, qua vniverſaliter poſſimus, in vnaqvaque morali actione, peccatum mortale diſcernere à veniali, perinde abſurdum eſt, atq; talem à medico quærere, quâ poſſimus,

mus, inter omnes cibos salubres & insalubres discernere. Nam in vtrisq; ob circumstantiarum mutationem, nihil inest firmitatis. *Prax. for. pœn lib. 15. c. 4. n. 29.*

Nihilominùs quòd certo & infallibiter iudicio humano determinari non potest, probabiliter & verisimiliter discerni posset, per quasdam obseruationes generales, quas pro regulis vsurpare possumus.

Cùm itaq; varias ex DD. colligere possimus. *Sayro clau Reg: l. 2. c. 13. n. 27. Prax. for. pœn. vbi supra. Valent. t. 2. disp. 6. p. 3. Sanch. Op. Mor. lib. 1. c. 1. n. 4. Lopez instruc. c. 1. Barth. Med: l. 1. cap. 8. Sum. Cor. c. 1. n. 3. Roder. c. 61. n. 2.*

1. Placet tamen illa, quam *Azor. t. 1 l. 4. c. 9. q. 8.* proponit, credens nullam aliam certiorem melioremq; constitui posse (vt quæ communi consensu à Theologis adhibetur) quàm, illā quæ ex materiæ peccati grauitate aut leuitate, pondus trahit. Ea, inquit, peccata sunt venialia, quæ charitatem DEi aut hominis grauiter non lædunt, alioquin lethalia ex suo genere erunt. Hæc est summa. Qui plura legere apud ipsum cupit, poterit. Idem ferè in *Prax. for. pœn.* dicitur. Illud, inquit, habendum est peccatum mortale, ex suo genere, quo grauem iniuriam, Deo aut proximo, aut nobis ipsis inferri, naturalis ratio dictat. Hanc approbat *Sanchez*, & aliam adijcit, dicens.

2. Quando aliquid tanquā valde graue, & necessariū præcepto aliquo humano, grauiter præcipitur, eius trāsgressio est mortalis. Requiritur itaq; (inquit ipse) & materiæ grauitas, & legislatoris animus grauiter præcipiēdi; quod deduci poterit ex legis tenore, ac pœna adiuncta.

3. Potest quoq; aliquid lucis adferre ad præsens negotium, descriptio peccati mortalis, traditur à *Nau. in Ench. prælud: 9. n. 8.*

4. Neque illa regula displicere debet, quam *Sum. Cor 1. c. n. 3.* habet.

Omnis, inquit, actus, qui repugnat iustitiæ, & charitati Dei & proximi, de quibus data sunt præcepta Divina, naturalia Ecclesiastica, & statuta humana, propter bonum commune, est peccatum mortale ex suo genere.

Quæ autem non sunt contra huiusmodi præcepta, sed præter præcepta, in quantum non obseruant modum, quem præcepta intendunt, nec charitati Dei & proximi, contrariantur, sunt venialia ex propria natura.

5. Sed neque illæ quatuor regulæ sunt spernendæ, quas tradit *Lopez* mutuatus ex *Bart. Med.*

1. Omne quod est contrà præceptū Dei vel Ecclesiæ eius, cum sufficienti deliberatione, & in materia graui; est peccatum mortale.

2. Quidquid est contra amorem Dei, vel proximi notabiliter, est mortale.

3. Quod vergit in grave proximi detrimentum, vel contra honorem Dei pugnat, in materia, quæ magni sit ponderis: est mortale.

4. Peccatum, quod in aliqua trium harum regularum, non comprehenditur, habendum est pro veniali.

Has regulas variè explicatas, recensere volui, vt quisque pro suo gustu, quam voluerit eligat. Quod in similibus, ob eandem caussam, feci.

QVÆSITVM IX.

Peccatum ex natura sua mortale, quot modis transit in veniale?

℟. Duobus modis. Imperfectione formæ seu actûs; quando non adest plena & perfecta deliberatio, quæ actum perficit. Et imperfectione, seu paruitate materiæ. *Prax. for. pœn. lib. 15. c. 4. 30. Deci. lib. 1. c. 6. Sayre. lib. 2. c. 12. n. 8.* Posset primus modus subdiuidi, vt in particulari sint tria membra. Vnde *Sanch opere Moral lib. c. 6.* censet tribus modis ex mortali veniale fieri posse. (sed nos in explicando nonnihil immutabimus.)

1. Ratione imperfectæ deliberationis. Nimirum, quando ratio adeo tenuem habet considerationem, propter aliquam distractionem, vt non plenè aduertat malum cogitatum, quoad totam malitiam, seu omnes circumstantias, quibus moueri possit ad illud excutiendum, sicut fit in non plenè excitatis a somno.

2. Ratione imperfecti consensûs. Sed hæc imperfectio consensûs, prouenit ex imperfecta deliberatione præcedenti. *Item.* Quando voluntas habet firmum propositum expellendi suggestiones, tentationesvè peccati mortalis, & prætereа conatur expellere, sed negligenter ac tepidè, (absq; tamen periculo plenè consentiendi) tunc illa negligentia est communiter venialis, similiter ob defectum pleni consensûs, (vt aliqui autumant.) At transiret in mortalem, quando afferret verisimile periculum expressè consentiendi in mortale.

Tradit Sanchez *Regulas quatuor, discernẽdi cõsensũ perfectũ ab imperfecto*, vide ibi.

3. Ex paruitate materiæ, vt furari solidum à diuite.

Scire debes hic, quòd ad mortale etiam in tentationibus, & delectationibus internis, duo requiruntur. Alterum ex parte intellectûs, vt ipse eam aduertat, attendat, & secum deliberet, quoad plenam malitiam obiecti cogitati. Alterum ex parte voluntatis, vt ipsa consentiat supposità plena perpẽsatione malitiæ, ex quauis parte, vt didictum est paulò fusiùs in Tyrocinio, *p. 3. c. 9. n. 11.*

* Circa deliberationem ex parte intellectûs, & consensum ex parte voluntatis, hæc scias. Signa imperfectæ deliberationis hæc sunt. 1. Si tenuiter & quasi dormiens apprehendisti esse malum. 2. Si post vbi meliùs cõsideras, judicas te non fuisse facturum, si ita apprehendisses. 3. Si vehemẽtissima passione, apprehensione, vel distractione laborâsti, vel turbatus fuisti, ita ut ferè nesciueris quid ageres. Signa verò imperfecti consensûs sunt. 1. Si ita dispositus fueris, ut licèt facilè potueris exequi peccatum non tamen sis executus. 2. Si quis dubitet num consenserit: præsertim si sit timoratus. 3. Si quis soleat ita esse affectus, ut malit mori, quàm expressè mortaliter peccare. Quia talis nõ tam facilè consensit. 4. Si quis valdè timidè & suspensè se processisse meminit. 5. Si semisomnis fuit, non plenè sui compos &c. iudicetque se id non fuisse facturum, si plenè vigilasset. V. Sanchez operum Mor. l. 1. c. 1.

QVÆSITVM X.

Veniale autem ex natura sua, quot modo fit mortale ex accidenti?

℟.

℟. Quinque modis.

1. Ratione finis mortalis, ad quē illud veniale dirigitur à peccante; vt si quis iocosa aut irrisoria verba proferret, vt alius blasphemet, aut ad lasciuiam prouocetur.

2. Ratione contemptûs; vt si quis præceptum leue violaret, quia ipsi aut præcipienti, subijci non vult, sed vtrūq; aut alterum paruipendit.

3. Eò quod in veniali vltimus finis constituitur. Quod hinc conijcietur, quando aliquis tantoperè veniali peccato adhæret afficiturq; vt sit paratus transgredi præceptum sub mortali obligans, vel aliàs Deum mortaliter offendere: vel adeò appretiat illud veniale, vt parato sit animo, illud admittere etiamsi esset mortale, Aut propter illud explendum, necessaria ad salutem omittat.

4. Ratione scandali quod est quādo præbetur alicui occasio ruinæ, dicto, facto, seu prauo exemplo, etiam absq; intentione ipsam præbendi: vt si quis ob alterius imprudentem narrationem, vel iocum, laberetur in peccatum mortale consentiens delectationi mentis, quæ occasione illius sermonis vel ioci irrepsit.

5. Ratione conscientiæ erroneæ aut dubiæ, dictantis esse mortale, vel id dubitantis. Vt si quis perpetraret peccatum veniale, credens se facere mortale, vel saltim dubitans; tunc enim est mortale ex dictamine conscientiæ vel dubitatione, *Sanch. ope. mor. l. 1. c. 5. n. 6. Prax. lib. 15 c 4. n. 32. Sayro l. 2 c. 12. n 12 Decis. l. 1. c. 6. n. 19. Quamuis* Sanchez. *loco erroneæ conscientiæ, ponat,* periculum in mortale incidendi; quod est vniuersaliùs. Et Prax; *loco scādali subrogat* graue nocumentum, siue animæ, siue corporis.

QVÆSITVM XI.

Quæ bonitas de necessitate in confessario requiritur?

℟. Quoniam quæstio hæc, supponit aliquam bonitatem necessariò requiri in Confessore, & explicari cupit, quæ sit illa: ideò directè respondendū est, quod est duplex.

Altera de iure naturali, scilicet fidelitas, vt fideliter cum intentione seria, non ficta, non ludicra, negotium exequatur. Nam si iocosè & non seriò proferret formam absolutionis, nihil faceret. 2. De iure positiuo, vt censuris non sit irretitus, modo quo infra dicetur Q. 13.

Neq; inuenitur alia bonitas, quæ requiratur in ministro de necessitate: hoc est, ad validè ministrandum Sacramentum, sed solùm ad benè esse, videlicet, vt sanctè, licitèq; ministret absq; Dei offensa: Et talis bonitas est, vt non habeat conscientiam peccati mortalis.

QVÆSITVM XII.

Confessarius conscius peccati mortalis, peccatnè ministrando Sacramentum, præsertim exigente subdito?

℟. Peccat mortaliter. Ita *D. Th. 3. p. q. 64. a. 6.* docet. Sed debet conari, vt habeat contritionem, scilicet dolorem, merè propter Deum eiusq; amicitiam. De qua si dubitet ex probabilibus coniecturis, debet confiteri, & sic reponi in gratia. *Medulla part. 3. cap. 1. §. 6.*

Quodsi in vtroq; difficultatem sentiat, sibi

at, sibi imputet, quod cùm ad tale officium ineptus esset, ausus fuerit ipsum suscipere. Itaq; alium ministrum substituat, aut bonis modis differat, aut certè si instat necessitatis casus, seriò recolligat se, & cum Dei auxilio, non erit impossibilis acquisitio contritionis.

QVÆSITVM XIII.

An excommunicatus possit esse minister huius Sacramenti?

℟. Excommunicatus vitandus, nimirùm ob notoriam Clerici percussionem, vel quia nominatim denunciatus seu publicatus est, (in his enim tantùm duobus casibus, vitandus est excommunicatus, tam in diuinis, quàm extra) potest validè absoluere in casu extremæ necessitatis ipsius pœnitentis, vt cùm est in articulo vel periculo mortis, neque alius idoneus inuenitur. Extra casum necessitatis Sacramentum est inualidum, nisi pœnitens ignoret excõmunicationem; vt si in vno loco sit excommunicatus, & recesserit ad remotissimum, ibiq; ad confessiones audiendas admittatur; tunc enim absolutio bonâ fide suscepta valida est, conferente Ecclesiâ tunc iurisdictionem, propter bonum commune. *Nauar. c. 9. n. 10.*

Porrò excommunicatus non vitandus, scilicet, extra illas duas causas hic expressas, validè absoluit. Quia occultus, benignitate Ecclesiæ non est priuatus iurisdictione, quamuis pœnitens sciat Sacerdotẽ esse excommunicatũ, dummodò pœnitens habeat aliquã cõmunẽ necessitatẽ etiam citra extremam, & nõ possit commodè differre, vt si tempore communionis Paschalis, non adsit alius idoneus Confessor. Peccatum esse Sacerdotem inducere, etiam tunc ad ministrandum hoc Sacramentum, absq; vlla necessitate, & obligatione illius: *Suar. de censuris Sayro.*

QVÆSITVM XIV.

An debeat interrogari pænitens de peccatis, quando & quomodo, seu quo ordine?

℟. Debet interrogari pœnitens per Confessarium. 1. Non de omnibus necessariò, sed de mortalibus præsertim: nisi aliud pœnitentis conditio desideret. 2. Neque de his quæ poterat pœnitens commisisse, sed de ijs tantum, quæ communiter eius statûs homines admittere solent. 3. Præterea consueta peccata tantùm inuestigari debent, & vsitatiora, non quæ perditissimi inuenerunt.

Neque semper tenetur Confessor interrogare, sed tunc tantum, quando animaduertit, & credit esse necessarium ad integram & fructuosam confessionem. Videlicet, quando existimat pœnitentem, ob ignorantiam, inconsiderationem, metum, ac verecundiam, malitiamuè, omissurum. *Suar: Disp: 32. sect: 3. & 4.*

QVÆSITVM XV.

Quomodo interrogandum?

℟. Prudenter, discretè & cautè (*cap. omnis vtriusq;*) præsertim in carnalibus; *Nauar. c. 5. n. 4.* Et præterea à remotis, non de propinquo. à minoribus & cõmunioribus, ad maiora & magis particularia: à cogitationibus ad verba, ad visum; ab his, ad opera.

QVÆSITVM XVI.

Quo ordine?

℟. Prudentiæ confessoris committitur, prout ei expedire videbitur. Regula-

gulariter autem solet inchoari à Decalogo, postea deuenitur ad præcepta Ecclesiæ. Hinc ad peccata capitalia septem. Demùm ad peccata diuersorum statuum, quæ ab aliquibus dicuntur peccata omissionis.

QVÆSITVM XVII.

Quæ & quot sunt diligentiùs in interrogationibus obseruanda?

℞. Quinque, aut sex.

1. Vt species seu natura peccati distinctè, & in particulari explicetur.

2. Numerus peccati: Non semper certus; nam aliquando sufficit verisimilis.

3. Vt circumstantiæ (inter quas frequentior est conditio pœnitentis, & complicis) declarentur. Ista verò tria necessariò obseruanda sunt in mortalibus.

4. Radix restitutionis, consideretur.

5. Peccata diversorum statuum. Quamvis non rarò vota occurrere soleant, & peccata reseruata.

Nota hic, Quodsi Confessarius suspicatur pœnitentem in anteactis confessionibus, non adhibuisse numerum peccatorum, neque ipse de hoc se accusat, vel dubitat; relinquat eum in bona fide, & non interroget de hoc. Nam præsumere debet, Confessarios functos esse suo officio. *Fornarius cap. 2. n 4. & Suar. Nau. Henriq. & alij Sa verò V.* Confessio. *n. 40. sic dicit.* Rustici, qui bonà fide sine numero confessi sunt, nō sunt cogendi ab alio Confessore, numerum omissum dicere, repetita confessione, si facilè deprehendi potest, quid soleant facere: Sed placet, quod idem subiungit ex Nauar. Quòd etsi non sint cogendi ad iterandas Confessiones: tamen quantum fieri potest, conetur Confessarius vt præfati explicent verisimilem numerum peccatorū mortalium.

* *Monendi ergo in tali casu rudes, ut dicant numerum à præterita confessione quem sciunt vel saltim putant additis particulis plùs vel minùs. Deinde præteritarum Confessionum verisimilem, si fieri potest. Si fieri non potest, obligandi, vt in sequenti confessione numerum secundùm posse exprimant. Nam cùm integritas Confessionis sit de iure Diuino, seruanda est quantùm possibile.*

QVÆSITVM XVIII.

Confessarius omittens interrogationes, peccatnè?

℞. Si interrogationes erant necessariæ, & Confessor eas non adhibet, ex negligentia vel respectu humano, scilicet, timore, pudore, aut etiam ex malitia, peccat mortaliter: Est communis sententia.

Rationem assignat Suar. *t. 4. d 32. S. 3. n. 8* Secus si id faciat, ex inaduertentia vel obliuione.

QVÆSITVM XIX.

Quid si Pænitens interrogatus, neget?

℞. Si Confessor euidenter scit pœnitentem tale peccatum commisisse, & propterea interrogat, nihilominùs pœnitens negat: tunc si id Confessor sciat ex aliorum relatione, tenetur in hoc iudicio magis credere pœnitenti.

Si ipse Confessor suis oculis vidit, vel auribus à pœnitente aliàs audiuit, neq; probabiliter existimet illum es-

se alteri confessum, sed euidenter deprehendat eum mentiri, non tenetur stare dictis eius: sed potest in hoc foro secreto, ad bonum pœnitentis, vti suâ scientia, ad conuincendum eum. *Suar. ibidem.* Potest quoq; legi *Cand. aur: de sigil: Confes. n. 35.* Henriq; *l. 6. c. 20 § 6.*

* *Oppositum insinuatur vt probabile in 2. Sent. Mor: d. 58. conc. 5. & sequitur Fornarius in sequenti quæsito citandus.*

QVÆSITVM XX.

Potestnè aliquãdo Confessarius interrogationem dissimulare?

℟. Potest: Quando pœnitens per ignorantiam inuincibilem (hoc est, quam adhibitâ diligentia superare vel excludere non potest) est in statu de se malo, vt quia contraxit in tertio gradu, nesciens esse tertium gradum, vel id esse vetitum; Confessor autem rem totam benè nouit, sed neq; de hoc à pœnitente interrogatur, neq; sperat fructum suæ monitionis, sed potiùs scandalum, vel graue detrimentum, aut magnum incommodum, cui remedium adhiberi non tam facile posset. Tunc, inquam, potest & debet Confessor tacere, & pœnitentem in sua bona fide relinquere. *Suar* vt supra, *sect: 4.*

De bona fide, *habes plura in fine Tyrocinij* Sa quoque, V. Confessio *n. 40.* addit: Rustici si se putant benè confessos, non sunt interrogandi, de aliquo, præteritæ confessionis, nisi Confessor intelligat aliquid necessarium defuisse.

Fornarius, *vbi supra.* Cum pœnitens tacet peccatum, quod Confessarius aliundè certò scit illum commisisse, relinquat eum in bona fide.

Hæc tamen non impediunt, quin Confessor possit & debeat, non quidem acriter, sed tamen leniter, etiam de his interrogare, iuxta doctrinam superiùs datam. *tit: 2. q. 17.*

QVÆSITVM XXI.

Quid faciet Confessor, qui malè absoluit pænitentem?

℟. Procurabit Confessor prudenter pœnitentem sibi iterum confiteri, & in ea confessione, generaliter eum interroget, an de omnibus præcedentibus doleat, & vt ipsa (si necesse sit) quantùm potest confiteatur: ita enim noua absolutio cadet in totam illam superiorem materiam, quæ vno verbo sufficienter nunc explicabitur. Quod si pœnitens non potuerit induci, vt eidem Sacerdoti iterum confiteatur, tunc clariùs admonendus est, de errore commisso in confessione, non tamẽ exprimẽdo ipsum. Hoc autem totũ intelligẽdum est, quando sine scandalo, infamia, Confessoris vel pœnitentis, aut alio graui incommodo, id fieri potest. Alioquin sufficiet Confessori, sui peccati pœnitentiam agere, & pœnitentem relinquere vt per contritionem, & alias confessiones faciendas, iustificetur. saltim indirectè, quod satis erit ad salutem pœnitentis, bona fide, & ignorantia iusta, eum à supplemento excusante. Nisi fortè pœnitens esset in articulo mortis, nullum Sacramentum ampliùs recepturus, ac propterea periculo æternæ damnationis exponeretur: tunc enim postponenda esset omnis difficultas, vt subueniatur tali proximo.

Similiter, si Confessarius consuluit malè, seu decepit pœnitentem in re pertinente ad salutem animæ eius, propter

pter quam deceptionem manet pœnitens in occasione peccandi; tenebitur Sacerdos illum monere, vel illuminare, iuxta regulam charitatis, & prudentiæ, vitando scandalum quoad fieri potest. *Suar: d. 32 s. 6. Et de cas: lib. 1. c. 23. num. 23.* * *V. sent. Morales l. 2. d. 75. n. 10.*

QVÆSITVM XXII.

An ad defectum supplendum, vel propter aliam causam absolutio absenti dari possit?

℟. Absolutio ab excommunicatione, potest dari absenti, ignoranti, imò inuito, & in mortali peccato existenti vnde si Confessor decepit pœnitentem, potest hoc remedio vti, scilicet absoluere etiam absentem. Nam graue onus esset pœnitenti, iterum quærere absolutionem. Sed absolutio à culpa, non potest ferri, & dirigi ad pœnitentem absentem vbicunque fuerit: imò neque ad præsentem ignorantem, quid circa ipsum agatur. *Caietanus Sum:* V. Confessio. *num. 15. cond. 11.* Alioquin talis confessio & absolutio super absentem data, inualida erit. *Suar. dis. 20. s. 3. & d. 32. s. 6.* quod & Clem: 8. definivit.

TITVLVS III.

De Contritione.

Habet quæsita 10.

QVÆSITVM I.

Quæ dispositio requiritur in pœnitente?

℟ Propter varias opiniones. Primò respondebitur per negationes, deinde per affirmationes.

1. Itaque: non est sufficiens dispositio ad Sacramentum pœnitentiæ, effectumq; eius, voluntas confitendi recipiendiq; absolutionem, etiamsi peccatori non inhæreat complacentia peccati, si nullus dolor adsit: quia ipsum requirit Conc: Trid: *Sess. 6 c. 6. & s. 14. c. 4.* Suar. *tom. 4 disp. 20 sect. 1.* Medal. *p 3. c. 6. n. 6.*

2. Nec satis est qualiscunque dolor, sed exigitur efficax, includens non tantùm velleitatem sed etiam absolutam seu propositum non peccandi de cætero. Côc: Trid: *vbi supra.* Suar. *d. 20 sect. 11 § Atq, hinc sit. & sect. 4. § Deinde,* Nam quoties displicentia de peccato talis est, vt habeat solam velleitatem non peccandi, compatitur secum voluntatem peccandi. *Suar.* Voluntas autem efficax & absoluta, significatur per verbum, *Volo*: inefficax & velleitas sola, per verbum, *vellem.* Suar. *d. 3. s 3.*

3. Iste dolor non sufficit si concipiatur ex motiuo meré naturali seu humano, etiam honesto, vt propter infamiam, vel aliud temporale detrimentum. *Suar. sect. 4 §* Secundo.

4. Neq; sufficit dolor ex motiuo par-

particulari, (quale esset ex turpitudine vnius peccati, vel quia alicui virtuti aduersatur.) *Suar. d. 3. sect. 5.* Sed ex vniversali esse debet: qualia sunt illa duo vt minimum à Conc: Trid: requisita & explicata; scilicet ex metu gehennæ, (quò reducitur detestatio peccati, ob amorem vitæ æternæ, amore concupiscentiæ. *Medul. p. 3. c. 6. n. 14.*) Et ob fœditatem peccati vniversaliter.

5. Neque sufficit dolor particularis, de quibusdam peccatis. Sed debet esse vniuersalis & integer de omnibus peccatis ex vi motivi vniversalis. *Suar. 4. sect. 4. § Quinto.* Nec sufficit dolor, quod non doleat de peccatis. *Suar. d. 20. sect. 1.* Quod videtur quidem esse contra, *Nauar. c. 1. n. 18 & c. 10. n. 4. & Sa, V. Contritio. n. 5.* Nihilominus & ipse Nauar: *c. 10. n. 4.* monet sic: Quodsi dolor non peruenit ad hoc, ut proponat in posterum à peccatis abstinere, vel dicat quis se non posse concubinam deserere, odium deponere, officio (quod absq; mortali peccato exercere nequit) renunciare, non est absoluendus.

Imò etiamsi hunc defectum in cõfessione fateatur, non tamen habeat displicentiam perfectam, neque de vitãdo peccato (ob vehementem passionẽ, & affectum ad peccatum) firmum propositum: non erit sufficienter dispositus.

6. Ad eandem dispositionem, non sufficit dolor naturalis, id est, solis viribus naturæ elicitus & productus; sed debet esse supernaturalis, qui sine gratia excitante, & adiuuante, exerceri non potest. *Suar: d: 20. sect: 2. §. Circa. & d. 3. sect: 6 & d. 20, sect: 2.* Et D. Th: *q. 84. a: 1. ad 2.* hos actus originem ducere ex inspiratione interna asseruit. Conc: Trid: ipsum dolorem, appellat donum Dei, Spiritûs S. impulsum. Et sess. Can: 3. Si quis dixerit sine Spiritus Sancti inspiratione, & eius adiutorio, posse aliquem pœnitere sicut oportet, anathemata sit.

7. Et quamuis sufficientissima dispositio ad Sacramentum sit perfecta contritio: non tamen necessariò requiritur, neq; extat alicubi præceptum habendi eam, ante susceptionem huius Sacramenti. *Suar: d: 20. s: 1. ass. 3.*

8. Neq; exigitur attritio illa, quam homo bona fide putaret contritionem. *Suar. s. 1. §.* Sed obijcies.

9. Est itaque dispositio sufficiens & necessaria ad hoc Sacramentum effectumq; eius, attritio vera integra, seu vniuersalis, atq; supernaturalis. *Suar: ex D. Th: sect: 1. §* Quarta.

Vera quidem, hoc est realis, seu in re existens, & non in opinione consistens. Quia attritio existimata vel putata potiùs deceptio ac error est, quam attritio, sicut neque putare se Sacerdotem, est esse Sacerdotem. *Suar: d: 20. s. 1. asser: 3. & §. Tertio.*

Quamuis enim ista existimatio excuset à noua culpa, si sit inculpabilis: nũquam tamen supplet, neque continet medium necessarium ad effectum Sacramenti, secundùm *Suar: Sect: 4. § Tertio.* Cæteræ particulæ iam declaratæ sunt.

COROLLARIVM.

Ergò pœnitens debet curare, vt diligenter præparet conscientiam ad confessionem, debito modo peragendam Et vitare negligentiam in examinanda sua conscientia.

QVAE-

QVÆSITVM II.

Quomodo intelligendum est, Sacramenta efficere ex attrito contritum?

℞. Hoc tribus modis intelligi posse, docet *Suar: disp: 5. s. 3 §. Quartus.*

1. Propriissimè. Quando homo mutat dolorem imperfectum, in perfectum, virtute Sacramenti.

2. Minùs propriè. Quando dolori imperfecto, addit amorem, similiter virtute Sacramenti.

3. Latissimè, & quasi æquiualenter, seu quoad vltimum effectum, qui est gratia & remissio Contritionis, peccati. Quia absq; mutatione actus, hoc est manente intrinsecè attritione, infunditur homini gratia, & charitas in Sacramento.

QVÆSITVM III.

Quomodo contritio & attritio differunt?

℞. Multis modis. 1. In essentia, quæ ex diuersis motiuis attenditur. Nam attritio est quidem efficax detestatio, & (qui consequitur) dolor de peccato, sed ex metu gehennæ à Deo infligendæ, vel ex consideratione turpitudinis peccati, contra Dei regulam admissi. Contritio verò est detestatio aut dolor, sed ex amore Dei super omnia, quatenùs peccatum est contra bonum Dei in se, (hoc est contra Deum infinitè bonum, & consequenter super omnia diligendum (eiusque dissolvit amicitiam. *Decis: lib. 1 c. 2. n. 3. 4. 5.* Medul: *p. 3. c 6. n. 17.*

2. Quoad actum; quia attritio est detestatio imperfecta, contritio verò perfecta.

3. Quoad effectum; quia attritio solitariè sumpta, remotè & insufficienter disponit ad gratiam, cum Sacramento autem sufficienter.

At contritio ex se sufficienter etiã absque Sacramento in re. *Suar: tom: 4. disp: 5. sect.* 1. Et Tolet: *l. 3 c. 4.*

QVÆSITVM IV.

Contritio & attritio in quo conueniunt?

℞. 1. In hoc quod vterque actus est supernaturalis, scilicet ex dono Spiritûs sãcti, & ex motiuo supernaturali, cadẽs super omnia peccata cõmissa, & nondum ritè confessa, cum dolore de præteritis, & proposito firmo cauendi in futurum. *Suar: & Medul. p. 3 c. 6 n. 3. & 17.* Addit idem *n. 12.* quod etiam attritio est dolor, per quem nobis displicet peccatum commissum, supra omne odibile, cum proposito vitandi illud, supra omne vitabile. Quãuis Suar: *tod 5. s 1 §. Atque hinc sequitur.* neget, per attritionem, semper necessarium esse peccatorem detestari peccatum, supra omne detestabile.

2. Vterque item actus includit voluntatem confitendi, cum spe veniæ. *Hæc est communis & clara.*

QVÆSITVM V.

Quomodo quis probabiliter posset cognoscere se habere contritionem, vel attritionem?

℞. Ex tribus. 1. Ex instinctu diuino, vnctio enim Dei docebit omnia. 2. Ex coniecturis iudicio humano, perpensis benè conditionibus contritionis & attritionis, & præsertim motiuis

uis doloris, ex quo, scilicet, motivo, dolor procedat. 3 Ex quibusdam signis, vt si quis pudore afficitur vel admiratione, aut sensibili tristitiâ premitur, quod tam facilè peccata admiserit: si forti animo non vellet incidere in peccatum, etiamsi præterita occasio incurreret: si seriò vult satisfacere pro commissis: si proponit firmiter, non tantùm non admittere peccatum in futurum, sed etiam omnem occasionem peccati mortalis, toto conatu vitare: si vitam emandare efficaciter desiderat: si peccatum ita odit, vt mallet omnia mala in communi pati, quã peccare. (Non tamen requiruntur comparationes in particulari ad eligẽdum magis hoc vel illud genus mortis, quàm peccatum.) Quodsi etiam ad lachrymas, ob id ventum fuerit, tãtò potentius signum erit, quantò firmiùs emendatio nis desiderium accesserit, & multo magis, si vitæ novitas, quæ certissimum est veræ pœnitentiæ argumentum. *Bell: t. 3. de pœnit: l. 2. c. 5.* In authoribus inueniuntur varia signa. *Prax: for: pœn: l 2 c. 5. f 2.*

QVÆSITVM VI.

Contritio quibus modis acquiri potest?

℞. His duobus: Recursu ad Christi auxilium per orationes & alia pia opera. Deinde adhibendo motiua ad tale negotium accomadata, atque disponentia.

Motiua verò quibus ad cõtritionem moueri possumus, plura excogitari possunt.

1. Naturalis conditio peccati. Est enim peccatum quod iam naturæ monstrum in se teterrimum, turpissimumq; perniciosissimum homini, Deo contrarium.

2. Vitæ nostræ, inter tot pericula cõstitutæ. breuitas, eius duratio ignota, terminusq; incertus.

3. Dei vbique præsentis & omnia scientis excellentia, ac maiestas, eius in nos beneficentia inexplicabilis, vt Patris, vt sponsi, sua dona, in nobis conseruantis, nos sustinentis, omnia bona, tâm animi, quàm corporis nobis largientis, omnia mala à nobis avertentis, magna præmia promittentis, & præparantis.

4 Grauissimum odium, quo Deus semper persecutus est peccatum, seuerissimis illud legibus vetans, & pœnis grauissimis puniens illius reos, adeò vt etiam *Filio* suo non pepercerit, ob susceptas in se nostras iniquitates.

5. Peccatoris summa ingratitudo, nequitia, præsumptio, & indiscretio, in maximam Dei cedens iniuriam. Is enim, per peccatum negat supremo benefacto i Deo debitam obedientiam, eripit ab eo vniversalissimum imperium. & dæmonem præponit, denuò crucifigat, & quidem non semel aut bis, sed multoties, idq; ob leuissimas caussas, aut etiam absq; omni caussa sæpiùs: neq; ad id multùm stimulatus, imò quasi per ludum & iocum nihili faciendo lædere eum, qui habet potestatẽ vitæ & mortis, qui peccatores seuerè iudicaturus ac puniturus est, in quo vivimus, mouemur, & sumus, qui potest animam mittere in gehennam. *Prax: for: pœn. lib. 2. de prudèntia. Conf: c. 5. sect: 3. c. 1. n. 39. & c. 10. n. 4* Et multò plura motiua Dominus DEVS inspirabit Confessori pio & prudenti. plurima quoque ex assidua librorum

ſpiritualium lectione ſuppeditabuntur.

QVÆSITVM VII.

An contritio aliquando ſit in præcepto?

R. Quæſitum hoc ſupponit Contritionem eſſe præceptã ſicut reuera eſt, diuino ac naturali iure. *Suar. t. 4. d. 15. ſ. 3:* Et quoniam de ipſa implenda præceptum eſt affirmatiuum, ideò non obligat pro ſemper, & ſtatim, poſt peccatum commiſſum etiamſi opportunitas adſit, ſed pro determinato tempore; vt Suar: *ex D. Th: Alen: & Bonau:* colligit. *ſe. 5.*

Quamuis ad euadendum periculum mortis, ac damnationis; fugiendum graue periculũ diuinæ deſertionis, quale eſt in dilatione pœnitentiæ; ad vitandam iacturam ſpiritualium bonorũ, omniumque ſuorum bonorum operũ, quam patitur homo permanendo in peccato mortali; & excutiendam nimiam negligentiam propriæ ſalutis; ſaluberrimum tutiſſimumq; conſilium fit, vt ſtatim ac cogitatio ipſius peccati ſubit, aut aliquid excitat ad pœnitentiam faciendam, adeſtq; opportunitas exercendi ipſam; fiat, & non differatur. S. *A. tot: p. 3. tit: 14. c. 18. Caiet: ſum: v.* Contritio, *& alij.*

Quæritur itaq; hic directè, de tempore, quo hoc præceptum datum de habenda contritione, obliget. Omiſſis autem ſubtilitatibus ſcholaſticis, breuiter dicitur, quod præceptum de contritione, poteſt eſſe duplex: Alterum proprium, directè cadens ſupra ipſam contritionem, ſeclusis omnibus alijs occaſionibus ocurrentibus: Alterum extrinſecum, ſcilicet, in gratiam alterius alicuius occaſionis, aut finis.

Primum igitur præcetum proprium contritionis, quo quis obligatur, eſt in articulo mortis, ſiue naturalis: ſiue violentæ, aut probabili periculo vitæ, ſi antea obligatio non ſit impleta, hoc eſt, poſt lapſum in vltimum peccatum mortale. *Suar: ſect. 6,* allegans *D. Th.*

Secundum præceptum extrinſecum obligat in ſex caſibus.

1. Quando miniſter Eccleſiaſticus, peccati mortalis conſcius, adminiſtraturus eſt aliquod Sacramentũ, vel actum alicuius ordinis, (qui miniſtrũ ſine peccato requirit) exercitaturus, tũc enim vel conteri, vel confiteri (ſi tantum attritus ſit) tenetur.

2. Sacerdos aliquâ neceſſitate vrgente celebraturus, non habens copiam cõfeſſoris, cõtritionẽ habere obligatur.

3. Recepturus Euchariſtiam neceſſariò (ubi non adeſt Confeſſoris copia) vel aliud Sacramentum viuorum, præmittere debet contritionem.

4 Si occurrat vehemens tentatio, & occaſio peccandi, ad quam vincendam iudicaretur neceſſaria diuinæ amicitiæ recuperatio.

5. Quando commune malum Reipub: imminet, cui abſque feruore orationis ſubveniri non poteſt, tenebuntur membra illius communitatis, vt exaudiantur & impetrent Dei auxilium, inſinuare ſe in gratiam Dei, per contritionem: niſi malient, cum ſola attritione, confeſſionis remedio vti. Hæc Suar: ex alijs DD. *diſ: 15. ſ. 6. §.* Pro reſolutione.

6. Ex neceſſitate dilectionis Dei, cuius præceptum obligat ante mortis articulum, & non poteſt impleri per

eum,

eum, qui est in peccato mortali, nisi redeat in gratiam Dei per contritionē. Itaque propter actum dilectionis, necessaria tunc erit contritio. *Suar: se: 6.* §. Superest.

Hoc autem præceptum dilectionis Dei, non habet tempus præfixum à lege positiua, sed prudenti arbitrio hominis committendum est, vt iudicet ex circumstantijs, an incipiat esse nimia dilatio. Et subdit notatu dignam doctrinam Suarez.

Quod præceptum affirmatiuum non obligat quidem, nisi in articulo necessitatis, sed ista necessitas non est intelligenda de sola necessitate articuli mortis, aut alterius extrinseci nocumenti seu damni, sed de quacunq; necessitate mortali, quæ immineat & moveat ad rectè honestèq; viuendum, secundùm rectam & prudentem rationem: Idem placet Gangerico in *sum: Cai: v. contritio. & Petro Soto, ibidem citato.*

QVÆSITVM VIII.

An debeat quis conteri de singulis peccatis an verò de omnibus in communi, & quando?

℟. Est inter aliquos etiam modernos opinionum diuersitas. *Sot: 4. d. 17. q. 2. a. 3: Decis: l: 1. c: 5. n: 3.* Nos tamen respondere breuiter decreuimus, cum distinctione. Dupliciter enim loqui possumus de contritione, in ordine ad confessionem, s. per se seu regulariter. Et per accidens, hoc est in aliquo casu. Si itaq; loquamur de cōtritione per se: tunc secundùm doctrinam D. Th. exigitur singulorum peccatorum specialis ac propria eisdem correspondens, contritio. Siquidem quilibet regulariter tenetur præmeditari peccata sua ante confessionem, & in ipsa confessione distinctè recensere: vtrumq; autem, non sine amaritudine animæ suæ faciet. *D. Th. 3. p. q. 87. a. 1. & suppl. q. 2. a. 6. & 4. d. 17. q. 2. a. 3. q. 3.* Caiet: in tertia p. Et in opusc: *tomo 1. tract. 4. q. 2.*

Quòd si loquamur de contritione in casu: videlicet, quando deest opportunitas temporis, vel obliuio accidit inculpabiliter, nimirum post diligentem recognitionem & præparationem, tūc sufficit vnam pœnitudinem seu contritionem extendere ad omnia peccata vniuersaliter, siue ante, siue in ipso actu confessionis. Quæ est multorum opinio, præserim Suar: *to: 4. disp: 3. sect: 8. & disp: 4. sect: 6. Et disp: 20: sec: 2: §* Circa tertium. *Et se: 4.* §. Quinto libro. *Et* § Non multa.

Caiet: in Sum: v. contrition. 5, eligēs benignam opinionem, dicit sic: Homo, qui multa habet mortalia, in generali detestetur omnem suam mortalem in Deum offensam, cum animo vitandi de cætero. Sic namq; contritio generalis est contritio virtualiter attingens omnia & singula commissa, etiam oblita, nec exigitur ad salutem, habere singulas contritiones iuxta singula peccata, nec secundùm numerum, nec secundùm species peccatorum, sed sufficit ista communis, terminata ad singula mortalia etiam in communi. Itaq; iuxta *Caiet. & Suar:* doctrinam, respondebitur directè ad quæsitum, quòd non tenetur aliquis conteri de singulis in particulari, sed vna contritio in communi sufficit, quæ tamen se extendat ad omnia peccata mortalia com-

commiſſa in communi, producta ſiue ante confeſſionem, ſiue in confeſſione; & ſiue in principio eius, ſive in medio, ſiue in fine. Nam contritio, neceſſariò debet concurrere ad confeſſionem Sacramentalem. ſed non eſt præceptum, quando id faciendum ſit determinatè.

QVÆSITVM IX.

An formale propoſitum non peccandi ſit de neceſſitate Contritionis?

℟. Per ſe & ordinariè eſt neceſſarium ad contritionem, vel attritionem formale, hoc eſt, actuale, & expreſſum in voluntate, propoſitum non peccandi in futurum mortaliter. Quamuis per accidens, in caſu inaduertentiæ aut obliuionis, non neceſſariò requiratur: vt ſi quis bona fide verè deteſtetur peccatum, quod confitetur, & non aduertat, ad formale propoſitum cauendi in futurum; ſatisfacit per illud virtuale propoſitum; quod in efficaci deteſtatione includi cenſetur, & reuera includitur. Suar: *d. 20. ſect: 4* § Sitnè propoſitum. & ſupra *diſp. 4. ſect: 3.*

Similiter in caſu mortis proximæ; Tunc enim de propoſito vitæ futuræ, non ſumus multùm ſolliciti. Nec talis obligandus erit ad habendum propoſitum ſub conditione, ſi vixero. Suar. *d. 4 ſ: 3.*

QVÆSITVM X.

Quæ occaſio à pœnitente deſerenda?

℟. Occaſio proxima, quâ pœnitens ſi vteretur, ſemper aut frequenter in peccatum mortale caderet, perpenſis ſuis circumſtantijs, ſcilicet, fragilitate & experientiá, iudicio ipſiuſmet pœnitentis aut confeſſarij. Nec ſatis eſt ad hoc, quòd aliqua occaſio ſit proxima; vt pœnitens & Confeſſarius credant, quòd niſi pœnitens ſe abſtineat ab ea, interdum ſit ob eam peccaturus mortaliter; dummodo adſit firmus animus non peccandi. Nau. *c. 3. n. 13. & 14.* Et *Prax: for: pœn: l. 2. c. 8. n. toto.* Neq; propinquitas occaſionis expēdenda eſt, ex difficultate vſûs ipſius abſque peccato. Nam vt S. Leo dicit, militi & negotiatori exercentibus artes ſuas, difficile eſt abſtinere à peccatis quibuſdam, non tamen impoſſibile. Nauar: *c. 3. n. 12. Deciſ: c. 28.*

TITVLVS IV.

De Confeſſione.

Habet quæſita decem.

QVÆSITVM I.

Confeſſio generalis totius vitæ, ſi eſt neceſſaria, vel vtilis valdè. Et an poſſit in ea quis omittere aliquod peccatum, aliàs confeſſum?

℟. Ex natura ſua non eſt neceſſaria: ſed maximè vtilis, 1. Ad exercitium humilitatis. 2. Pœnæ diminutionē. 3. Ad conſilium accipiendum, & directi-

rectionem in vita spirituali per Confessorem faciendam. Gratia tamen subiecti, sic, vel aliter dispositi, aliquãdo est necessaria, aliquando vtilis tantùm, aliquando nociua.

Necessaria his, quorum præteritæ confessiones inualidæ erant, vt infra Quæsito 7. dicetur.

Aliquando vtilis: vt his, qui pacatâ vel persuasibili conscientia sunt præditi, & ob aliquem honestum finẽ, volunt iterare confessionem.

Alijs nociua, scilicet scrupulosis, qui non modo pacarent conscientiam hac ratione, sed etiam valde turbarent. In qua confessione, celare aliquod peccatum mortale, alias ritè confessum, & validè absolutum non est peccatum: quia peccatum mortale, alias benè cõfessum, non est materia necessaria confessionis.

QVÆSITVM II.

Quæ peccata de necessitate confitenda, quæ de congruitate?

℟. Peccata mortalia certa vel dudubia, sunt de necessitate confitenda; venialia de congruentia. Hoc est: vtile & honestum est, hæc confiteri, ex quo sunt materia legitima. Possunt tamen sine culpa omitti, tam ex toto, quàm ex parte, pro arbitrio pœnitentis. *Suar: ex Conc: Trid: disp: 22: s: 8.* Possunt etiam, tam in particulari, quàm in communi, sine numero, ac circumstantijs recenseri.

QVÆSITVM III.

Quot sunt circumstantiæ peccatorum in confessione explicandæ?

℟. Circumstantiæ ab aliquibus plures, ab alijs pauciores numerantur: communiter tamen traduntur septem in hoc versu.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quãdo. D. Th: 12. q 7. a: 3. *ex Cic. & Arist.* Vbi Arist: addit octauam *Circa quid*, sed ista comprehenditur sub *Quid.* Posset addi circumstantia scandali, sed hæc reducitur ad (*quomodo*) sicut & erronea conscientia, vel confidentia. Adhuc posset adnumerari circumstantia, *cum quo.* sed & ista reuocari potest ad circumstantiam (*quibus auxilijs*) vel certè ad (*quis*) vt infra dicetur.

Declarat itaq; breuiter D. Thom: has circumstantias sic: Considerandum est, inquit, in actibus, quis fecit, quibus auxilijs, vel instrumentis fecerit, quid fecerit, vbi fecerit, cur fecerit, quomodo fecerit, & quando fecerit.

Et quoniam circumstantiarum notitia Confessoribus & confitentibus est appimè necessaria, ideò paulò fusiùs declarabuntur.

Igitur circumstantia (*Quis*) quærit de persona peccantis, non quidem ex nomine, sed secundùm conditionem, quæ accidit personæ, siquidem circumstantia est conditio extra substantiam actûs, attingens aliquomodo actum humanum. *D. Thom: a: 1* vnde *Valent: d: 2. p: 2.* circumstantiam hanc declarat sic: *quis:* id est, *qualis.*

Tales conditiones sunt officium personæ (si ratione illius tenetur aliquod nocumentum vel malum impedire, & non facit) status, votum, iuramentum, Religio, consanguinitas & affinitas; vt, si matrimonio iunctus, voto, religione, aut iuramento adstrictus, carnis peccatum perpetrauerit. Huc reduci potest circumstantia, (*cum quo*)

quo) dum enim quæritur, *quis*, poteſt intelligi, non tantùm propria perſona peccantis, & confitentis, ſed etiam ſocij criminis.

Quid, non ſignificat ſubſtantiã actûs, in quo peccatum verſatur (vt eſt, eſſe alienum in furto) ſed conditiones eius, quæ ſunt qualitas & quantitas ; vt docet *Suar: d: 22. ſ 4. Azor: t: 1. lib: 2: cap 4:*

Vnde *Rodriq. ſum: c. 53 n: 1. Lopez, Inſtr: c: 29: Henriq:* loco (quid) ponunt (quantum.) *Candel: verò*, (qualis.) Qualitas autem eſt, vt ſi res ablata ſit ſacra vel profana. Quantitas, vt quantum quis furatus eſt, vel quàm grauiter percuſſit. Quod interdum neceſſarium eſt propter reſtitutionem, ſatisfactionem, aut etiam reſeruationem, (quando furtum in tanta quantitate eſſet reſeruatum) vel propter excommunicationem ob percuſſionem Clerici, ad ſciendum, ſi Epiſcopus abſoluere poſſit.

Huc reducitur circumſtantia (circa quid) & propriè indicat perſonam, circa quam, vel contra quam peccatur, vt paulò ante dictum eſt: *Suarez, & Henriquez.*

Vbi ex iure poſitiuo ad locum ſacrũ determinatur, in quatuor caſibus, qui ſunt contra venerationem & immunitatem loci ſacri, ſcilicet in furto, in ſanguinis ac ſeminis effuſione, necnon extractione confugientium ad Ecclefiam.

Quibus auxilijs. Hic quæritur de inſtrumentis peccati (ſi vſus eorum prohibitus eſt) vel ſi ad explicandam grauitatem nocumenti, eorundem declaratio neceſſaria eſt, vt, ſi gladio, bombardâ, baculo, vel pugno. Et de concauſis peccati, hic quæritur : quo, quia poſſunt eſſe homines, (ſi inducti ſunt ad conſortium peccati) ideò circumſtantia quoq; ſcandali hic poteſt habere locum. Similiter, ſi contra Catholicos pugnando, acciti ſunt infideles in auxilium. *Roder: c: 5: n: 9.* ex *Med. l: 1: c: 9: §: 2. Azor.* Huc etiam reduci poteſt circumſtantia (cum quo) non ex nomine complicem declarando, ſed ex ſtatu ſeu qualitate, vt ſi coniugatus, religioſus, virgo, filia confeſſionis (ſecundùm D. Th: 2. 2dæ: q: 154: a: 1:2,) Si cum deſponſata, *Lopez, & Roderiq:*

Cur, ſeu propter quid. Finem actûs extrinſecum inſinuat ; ſiue actus ordinatus ad talem finem mortiferum, ſit ipſe quoq; mortalis, (vt cùm quis occidit propter furtum) ſiue non : vt iocoſa verba proferre, propter inductionem ad peccatum carnale.

Quomodo, Inueſtigat modum accidentalem, vt ſi ex erronea conſcientia, non depoſita. Si ſcandaloſè, vel ſolicitando eum, qui non erat paratus peccare. *Lopez.* Fraudulenter (in ludo alearum) vel ſincerè. Ex confidentia obtinendæ veniæ, per confeſſionem (ſed hoc potiùs alleuiat, ſi ſit cum propoſito non perſeuerandi, ſed abſtinendi à peccato. *D. Th: 2: 2dæ, q: 21: a: 2. 3: Deciſi l: 1: cap: 20: n: 3: Nau: c: 6: n: 4:*) vel per Bullam ; tunc enim ſi pro tali, exceptio in Bulla apponitur, excludi à participatione illius gratiæ. Detur à participatione illius gratiæ. Detur tractio, ſi priuatim vel publicè fuerit facta. Hoc enim neceſſarium eſt, propter ſatisfactionis modum imponendum.

Similiter, ſi peccatum eſt ex ſcientia vel ignorantia. Quia in ordine ad cenſuras Eccleſiaſticas, neceſſarium ſæpè eſt, cognoſcere hoc, cùm in illis

in illis soleat apponi particula; *Qui præsumpserint.*

Modum verò peccandi ex consuetudine seu relapsu, non esse necessarium explicare, docet *Cano*, nisi dum Confessor iudicat expedire, *Suarez.*

Quando. Circumstantia temporis, ieiunio vel orationi consecrati, rarò, aut nunquam est confitenda, nisi peccatum fiat proposito violandi tale tempus *Nau: n. 11.* seu (quod idem est) fit directè contra temporis sanctitatem *Med. §. 5.* vel ratione contemptûs. *Decis.* Aut speciali præcepto, tempus, sit præscriptum ad actionem: aut prohibitum. *Suar: d: 22. sect: 4.*

Hinc quando tempus duplici vel triplici præcepto est præscriptum ad aliquid agendum; *v. g.* ad Sacrum audiendum, concurrente in vnum diem, Dominicâ, & Festo: similiter ad ieiunandum, ex voto, præcepto vigiliæ, & quatuor temporum, tunc transgressor omnes hos titulos exprimere debet, vt docet *Nau: & Lopez.* (quamuis *Suar.* distinguat.) Quoad perseuerantiam verò in peccato: tunc tenetur aliquis exprimere in confessione, quando aut mora valde notabilis fuit, vt inimicitiæ per mensem vel annum. *Henriq: l. 5. c: 6. n. 6.* vel quando non potest numerum peccatorum recensere, tunc enim sufficiet tempus durationis in tali statu explicare. *Nau. n: 15.* Aut etiam propter remedia consequenda. *Sa, V. Confessio n. 22.*

* *Probabile est sufficere; Non audiui Missam die festo. Item: Fregi ieiunium. Vide l. 2. Sent: Mor: d. 62: conc: 10. Si accedit votum, explicandum est ob specialem malitiam.*

Hic sunt obseruanda duo; 1. Non omnes hæ circumstantiæ semper in omni peccato possunt inueniri. *Cand: de conf: n. 36.* Et quando inueniuntur: non semper sunt explicandæ, sed tunc tantùm quando vel speciem mutant, vel (secundùm aliquos) notabiliter aggrauant, vt statim dicetur.

2. In explicatione circumstantiarum, curandum est, ne alterius peccatum, vel complicis persona temerè diffametur in particulari. An autem aliquando ex causa rationabili possit hoc fieri, diligentiùs perscrutandum est.

1. Sciendum itaq; est, quod socij criminis persona, dupliciter potest exprimi in confessione: Ex nomine proprio & conditione; Ex nomine quidem, vt dicendo: Peccaui cum Petro. Ex conditione, vt peccaui cum consanguineo, in primo, secundo, tertio, gradu.

2. Ex proprio nomine, rarissimè licitum erit explicare personam alterius peccatoris, vel etiam complicis: posset tamen occurrere casus magnæ necessitatis, propter salutem spiritualem pœnitentis, peccatoris, complicis, aut propter bonum commune. Itē ad capiendum consilium vel auxilium, vt ipse pœnitens possit cauere peccatum, vel ab alio auertere. Nam si hoc licitè potest fieri extra confessionem, propter rationabilem causam, cur non potiori iure in confessione? cùm hic meliùs & tutiùs consulitur famæ proximi, vbi secretum maius & arctius est. Nam sub eodem sigillo Sacramētali, celantur delicta pœnitentis, & complicis.

3. Atqui reuelare personam complicis ex qualitate, gradu, & conditione,

sæpius

sæpiùs accidit, sed magnam prudentiam requirit: Inprimis enim diligentia adhibenda est, vt absq; coniectatione confessoris de persona complicis, totum peccatum, cum omnibus circumstantijs necessarijs propaletur. Quod, si fieri non posset, pœnitens confiteatur Confessori personam complicis aut etiam se non cognoscenti, vel (vt Caiet: docet) aliquâ arte transformatus curet, vt ex voce non discernatur: aut tandem confessionem differat, nō quidem ad longum tempus, sed ad vnū atq; alterum diem, si speretur ignotus Confessor, vel cui possit fieri integra confessio, absq; hoc, quòd conijciat complicis personam; charitas enim obligat ad istas diligentias faciendas. Cuius obligatio cessat, si prædictæ cautelæ adhiberi non possent, sine magna difficultate, & graui incōmodo: neq; enim illa obligat cùm tanto dispendio, vitare iacturam proximi, sed tantùm, cùm facilè fieri potest. Quod intelligendum est non solùm quando communio imminet de præcepto, sed etiam, si facienda sit ex devotione.

4. Tunc igitur, cùm alius non adest Confessor, nisi notus, quid est faciendū? Si enim integrè pœnitens confitebitur, Confessor deveniet in notitiam complicis. Si tacebitur peccatum vel circumstantia necessaria, pœnitentis conscientia non erit quieta; & obligata ad iterum coram alio Confessario confitendum plenè illud peccatum, quòd nunc in aliqua vniuersalitate dictum est. In tali casu, diversæ & contrariæ sunt opiniones. Communior tamen & securior est affirmatiua, quæ censet tunc pœnitentem teneri ad integram confessionem faciendam, etiamsi Confessor sit cogniturus complicis personam. Est inquam communior, tum quia habet quàm plurimos classicos Authores, quos enumerat *Suarz in 3. part. tom. 4 disp 34. sect. 2 num. 3.* inter quos & D. Thom. annumerat; tum quia etiam contrariam tenentes, hanc affirmatiuam communiorem asserunt. *Graff. l. 1. c. 20. n. 35. Nau. cap. 7. n. 3.* Tutior etiam est. Quia si aliter fieret, & celaretur peccatum, vel circumstantia necessaria, propter hoc parvum nocumentum proximi in confessione, daretur occasio sæpiùs id faciendi; nec possent vir & vxor liberè exonerare suas conscientias, quoad peccata, quæ inter se committunt, eò quòd cognoscantur à Confessore; & praui homines facilè inuenirent similem prætextum, non confitendi integrè.

5. Dices: Atqui diffamatio est illicita. ℞. Diffamatio formalis semper est illicita, quia est intrinsecè mala, atque ideò contra legem naturæ. Est autem formalis, quando aliquis manifestat crimen alterius intentione diffamandi, vel absq; iusta causa. Quod hic non facit pœnitens, neq; enim intendit proximum infamare, sed suum peccatum integrè confiteri, exigente hoc Sacramenti conditione. Vnde materialis tantùm dicitur ista diffamatio. Diffamatio quidem, quia est cum aliquo detrimento famæ proximi: materialis verò, quia sine animo infamandi, & propter rationabilem causam: quæ sic est licita.

Porrò causa rationabilis est hæc: nam posita institutione huius Sacramenti, exigit natura iusti iudicij, vt iudex integrum peccatū cognoscat, etiāsi fieri

fieri nequeat, absq; cognitione personæ, cum qua quis peccauit. Hæc enim eò ipso, quod voluntariè se fecit sociam talis criminis, voluntariè etiam se subdidit tali cognitioni, talis iudicij, in tali foro. Et prætereà multæ & magnæ vtilitates spirituales inde dimanant. Vide in Suar: copiosiùs hæc tractante.

6. Instabis. Cur itaq; dicitur, & in Tyrocinio fol: *24.* & f. *191.* dictum est; vt in confessione caueatur, & præpediatur reuelatio complicis. ℟. Aliqui enim hoc dicunt, sequentes contrariam opinionem. In Tyrocinio autem, vetatur ne id absque necessitate & rationabili causa passim fiat. Multi enim in confessione temerè effutiūt & produnt suos complices, cùm possent peccatum integrè explicare, & personam complicis periculo infamiæ non exponere: simplices verò non tātùm complices patefaciunt, sed & suos offensores accusant, quòd est illicitum semper.

7. Quæres. Si necessitatis est integrè confiteri, explicando sic personā complicis: cur dici solet à DD: quòd quando Confessor vir bonus est (hoc est, qui neq; extra confessionem est diffamaturus, neque aliquod nocumentū verisimiliter illaturus, & potiùs est profuturus, quàm obfuturus) tunc potest pœnitens ita confiteri integrè, quamuis Confessor sit deuenturus in notitiam ipsius complicis personæ in particulari: secùs si probabiliter timeretur eum reuelaturū confessionem, &c.

℟. Hoc dicitur, non ideò, quòd non sit necessarium (secundùm hanc communiorem sententiam) explicare integrè peccatum; sed quia dato Confessore improbo, reuelatore confessionis, solicitatore ad malum, occulto hæretico, corruptore aliorum; extrinsecus prouenit, quod quædam peccata celentur, videlicet, propter periculum imminens, vnde tunc sufficiet confessio integra formaliter, hoc est, intendendo confiteri ea, quæ dici possunt, & debent: modo quia periculum salutis aut vitæ verisimiliter timetur, ideò quædam dici non debent, sed omitti, (quod spectat ad integritatem materialem tantum, quæ est enumeratio omnium peccatorum, quæcunq; in re sunt. Huius rationem videre poteris in *Suar: d. 23 s. 2. ex D. Th. & alijs, summa eius est.* Quia lex positiua (qualis est de confessione) non obligat cum tanto dispendio: & in casu proposito nullum tale periculum impenderet alicui ex materiali detractione, sed hoc remanet in alto silentio intùs. Vide *Suar: disp: 34. sect: 2. n. 11.*

8. Ista coniectatio Confessoris multò minùs impedit integritatem confessionis, quando altera persona non socia est criminis, sed obiectum tantùm vel materia, cotrra quam aliquis peccauit: vt si percussit Sacerdotem, parentem, &c. Nihilominùs, si cùm illo obiecto concurreret etiam illiùs occultum peccatum, cuius explicatio spectaret ad integritatem confessionis, tūc cautiùs esset procedendum. Demus casum. Si filiùs propinasset venenum matri, quæ grauida erat ex adulterio, vel illicito cōcubitu in viduitate. Tūc pœnitens non potest manifestare alienum delictum, sed debet sic confiteri (si ignotum Confessorem habere non possit) offendi tali modo personam, valdè mihi coniūctam, vel duos interfeci;

& ta-

& tamen postea, habitâ opportunitate, debebit confiteri alteri ignoto, distinctiùs.

Similiter, qui diffamauit patrem de vero peccato, dicat: Diffamaui patrē iniustè, non addens, (verè) quia confirmaret diffamationem; neque Confessori sciscitanti plùs dicat. Nam cùm grauior sit de falso crimine diffamatio, quàm de vero, facilè Confessor intelligere poterit, peccatum vt minimùm habere istam malitiam; & tamen si confessor esset solers. satiùs esset dicere: Infamaui quendam, suppresso nomine patris. Secùs esset, si diuulgaret falsum crimen, quia hoc exprimendo, in confessione non diffamaret, sed quasi famam restitueret.

QVÆSITVM IV.

Quomodo differunt circumstantiæ mutantes speciem ab his, quæ aggrauant?

℟. Hoc modo: Quia circumstantiæ mutantes speciem, sunt illæ, quæ specialem habent malitiam, & alterius rationis, quam sit malitia ipsius actûs; hoc est, malitiam repugnantem diuersæ virtuti, vt circumstantia loci sacri, in furto; repugnat virtuti religionis; ipsum autem furtum virtuti iustitiæ. Aggrauantes autem solùm, & non mutantes speciem, addunt quidem malitiam actui, quæ tamen non est alterius rationis, sed repugnat eidem virtuti cui & ipse actus, vt est diuturnitas temporis, quo quispiam diu gessit animum inimicum, aduersus proximum. *Gangericus in annot: in Sum: Caiet:* V. *Confess: lit: A.*

Vel sic ex *Lopez, cap. 29.* Et *Nauar: cap. 6. n. 3.* Illæ mutant speciem, quæ vltra malitiam actûs principalem, habent specialem repugnantiam cum ratione, *D. Th: 4. d. 16. q. 6. a. 2. q. 3.* vt in furto rei sacræ: specialis est repugnantia ad rationem, istius quæ est contra sanctitatem rei sacræ, ab illa, quæ est ex vsurpatione rei alienæ.

Vel (secundum Scotum) quæ diuersis, specialibusq; præceptis prohibentur, vt in homicidio in loco sacro, apparet. Nam per decalogum prohibetur homicidium; & per Ecclesiam vetatur specialiter, ne id fiat in Ecclesia. Vnde Barth: Med: *Instruct: lib: 1. d. 1. c. 9. §. 1.* ait: Circumstantiæ quæ peculiarem deformitatem, ac alicuius præcepti diuini transgressionem ostendunt, mutant speciem: vt quando quis furatur, vt fornicetur, circumstantia finis, videlicet fornicatio, alia lege propria prohibetur, distincta à lege, quæ furtum vetat. *Ioan: Med: de confess: q. 8.*

Circumstantiæ verò aggrauantes; intra eandem speciem, contra idem præceptum, eandem turpitudinem, augent tantùm, id est, ex magno faciunt maius.

QVÆSITVM V.

Quæ circumstantiæ in confessione sunt explicandæ?

℟. Certissimum est etiam ex Conc: Trid: *Sess: 14. c. 5. & Can: 7.* Circumstantias speciem mutantes explicandas esse. Estque ita communis sententia omnium Theologorum, quod omnes circumstantiæ sunt explicandæ, quæ efficiunt opera (quorum sunt circumstantiæ) peccata mortalia, (vt quando circūstantia, peccatū veniale mutat in mortale.) Et illæ quæ efficiunt peccata mortalia vnius speciei, esse etiā alterius speciei: aut quod est mortale ob vnam cau-

causam, fit etiam propter aliam. Quoad circumstantias verò aggravantes, nō est ita certum, sed controuersum. Et quidem vniuersaliter loquendo, non sunt necessariò explicandæ, vt D. Th: docet: alias, interdum faceremus confessionem scrupulosam, vt Nau: dicit, *cap. Consideret. n. 7.* Laudabile tamen est eas confiteri, serena conscientia. *Nau c. 6. n. 6.*

Aliquando verò nec possunt, nec debent intermitti.

1. Ratione reseruationis, si illa circumstantia adiuncta, reseruationem inducit, vt grauis percussio Clerici, facit reseruationem Papalem.

2. Ratione excommunicationis, vt si lata esset excommunicatio, pro furto in tanta quantitate.

3. Ratione notabilis & euidentis aggrauationis, vt fractio ieiunij per vetitos cibos, plus aggrauat quam per binam comestionem ciborum licitorum, & tamen vtraq; est eiusdem speciei, & contra idem præceptum & contra eandem abstinentiæ virtutem. Similiter & in incestu secundi gradûs, aut etiam primi (quamuis gradus hi non faciant differentiam specificam. *D Th: & Caiet: 2. 2dæ. q. 154. a. 9.* Soto, *4. d. 18. q. 2. a. 4.* Sa, *V. Confessio n. 19*) Et in odio per longum tempus continuato,

In furto magnæ quantitatis. In vna voluntate occidendi multos in communi, *Nauar: in cap: Consideret.* Lopez. *c. 31.* Henriq. *l. 5. c. 6.*

Rodriq, *c. 33. n. 3.* addit: dummodo tales circumstantiæ sint cognitu faciles.

4. Cùm circumstantia annexa est restitutioni vel satisfactioni, vt Confessor intelligat, & prouideat de restitutionis modo. *Tolet: lib. 3. c. 7. n. 5.*

QVÆSITVM VI.

Quibus casibus tenetur quis confiteri?

℟. Quæstio hæc, supponit aliquos teneri aliquando confiteri. Et reuera obligantur omnes qui post baptismū mortaliter peccauerunt. Et quoniam certum est non teneri hominē qui mortaliter peccauit, statim confiteri, etiamsi commodissimè possit; cùm natura præcepti affirmatiui, non sit, statim obligare. *Suar. t. 4. d. 35. sect. 3.* imò *& D. Th. supple 9. q. 6. a. 5. & 4. d. 17.* Ideò quæritur, quo tempore, & quibus casibus, quis sit obligatus confiteri.

Dicitur itaque, quod in quatuor casibus.

1. Ex vi proprij præcepti, in articulo vel periculo mortis, si antè non sit impletum præceptum. *Suar. n. 5.* hoc est, si post vltimum peccatum mortale confessio nondum est facta. Quia præceptum affirmativum obligare debet, saltim in extremo periculo seu articulo mortis.

2. Etiam extra articulum mortis, (secundùm determinationem Ecclesiæ) semel in anno quisque confiteri tenetur.

Tenetur aliquis confiteri, in gratiam alterius actionis, aut virtutis; vt ad superandam specialem aliquam tentationem, seu peccandi occasionem. *Caiet: Sum. V. Sacram. Confessio.* Et Suar. *vbi supra*, declarat, hoc debere intelligi, in ordine ad determinatam speciem peccati, vt homicidij, odij, fornicationis, &c. Non autem in ordine ad peccatum in communi. Quamuis enim quis ex dilatione confessionis, non timeat deter-

determinatè, casum in adulterium, aut homicidium, timet tamen sæpiùs se peccaturum mortaliter hoc vel illo genere peccati: etsi frequenter confiteretur, speraret se posse omnia, aut multa peccata vitare: huic tamen à nullo imponitur obligatio confitendi, quia esset valde onerosa & scrupulosa. *Suar:* §. *Circa*, Consilium tamen est salubre.

4 Similiter propter dignè sumendam Eucharistiam, si adsit peccati mortalis conscientia, quam obligationem Conc: Trid: *Sess:* 13. decernit. D. *Ibi.* d. 17. q. 3. a. 1. q. 4.

QVÆSITVM VII.

Quibus casibus tenetur quis iterare confessionem?

℞. Quotiescunque confessio fuit inualida seu nulla; (per eam enim, neque præceptum confessionis impletur. *Suar:* d 35. *f.* 4)

Inualida autem est multis modis, qui possunt reduci ad duo capita, videlicet ex parte materiæ, & ex parte formæ, (quod facit *Suar:* d 21 *f* 6.)

Vel etiam (& in idem redibit) sic. Inualida confessio potest esse, aut ex parte confitentis, aut ex parte Confessoris,

Ex parte quidem confitentis, 1. Ob defectum interioris dispositionis necessariæ: hæc autem est dolor, de præteritis: propositum deinceps non peccandi, occasiones cauendi, restituendi alienum, satisfaciendi pro iniuria, & implendi id, ad quod Confessarius iure obligat.

2. Ob culpabilem defectum integritatis, vtpotè, si quis integrè non confiteretur, siue ex industria, siue ex negligentia. Hi autem defectus se tenent ex parte materiæ.

Ex parte Confessarij.

Tertius in ordine casus, si iurisdictione caruit.

4. Si intentionem absoluendi non habuit.

5. Si formam Sacramenti non protulit, aut non verbis ad hoc necessarijs.

6 Si surdus, dormiens, aut propter animi diuagationem distractus (ita vt non perceperit confessionem) fuit.

Quòd si Sacerdos expositus esset ignarus, vel excommunicatus, aut etiam ipse pœnitens irretitus eâdem censura: tunc si quis confiteretur bonâ fide: non teneretur iterum confiteri.

Si verò malâ fide faceret, hoc est: sciens ipsum talem esse, proculdubiò Sacramentum nullum valorem haberet, ob defectum dispositionis in pœnitente, & integritatis in confessione, in qua hæc mala fides non erat manifestata.

QVÆSITVM VIII.

Quomodo inualida Confessio, est iteranda?

℞. Si confessio alteri Confessario est facienda, tunc integrè debet repeti, acsi nulla præcessisset. Si eidē: qui adhuc memoriam sufficientem peccatorū habet: tunc satis erit supplere defectum, se accusando de omnibus, quæ aliàs ei confessus est.

Quando verò Sacerdos est idem, sed peccata iam memoriâ exciderunt, tunc si confessio fuit invalida defectu doloris, propositi, integritatis, iurisdictionis, distinctè erit repetenda. Quia prior non fuit materia confessionis, nec

nec vera accusatio Sacramentalis. Idē dicendum, si surdus fuit, aut non audiuit, Si defectu formæ, non prolatæ, vel malè, ac sine intentione prolatæ; tunc sufficit absolutio absque repetitione confessionis.

Quod autem de peccatorum memoria requisita in Confessore, dicitur, sciendum est, quod si pœnitentiam imposuit, non indiget memoriâ. Imò etiamsi non meminerit pœnitentiæ, satis est vt recordetur hunc pænitentem, fuisse ritè confessum & benè dispositū, ac proindè memoriam habeat secundū confusam aliquam & moralem rationem, gravitatis peccatorum, seu statûs conscientiæ pœnitentis.

Si autem Confessor pœnitentiam nō imposuit, & neque in particulari neq; in confuso, (vt præfertur) statum peccatoris in memoria retinet, iteranda est confessio. *Suar. d. 22. s. 6.*

QVÆSITVM IX.

Quæ Confessio est perfecta?

R. Dupliciter. 1. Illa, quæ ornata est conditionibus 16. quarum quædam ad necessitatem eius spectant, aliqvæ ad benè esse, vel decorē ejus : iuxta illud quod dici solet: Perfectum est, cui nihil deest. Porrò istæ 16. conditiones continentur 4. versibus.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atq; frequens, nuda, discreta, libens, verecunda
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

D. Th. in suppl. q. 9. a. 4. Vbi docet, secundum declarationem ibi adhibitam, omnes esse de necessitate, præter duas, scilicet, frequens & accelerata: quas spectare ad consilium insinuat.

Suar: *d. 21. s. 1.* has conditiones iudicat sine methodo, & vulgari modo positas : ipse autem illas ad meliorem ordinem & pauciorem numerum reducere conatur.

Et quoniam varij variè declarant, ideò iuxta modum declarationis adhibendum, aliquæ spectabunt ad substantiam, aliquæ extra substantiam erunt. Harum autem conditionum declarationes in omnibus ferè huius materiæ libellis, reperientur.

Secundò potest responderi. Quod per hanc interrogationem potest insinuari confessio informis, & formata; quarū prima imperfecta, secunda verò perfecta appellatur à Soto *4. d. 18. q. 3. a. 2.*

Est autem confessio formata & perfecta, quæ non tantùm absolutione cōpletur, & validum Sacramentum efficit : verùm etiam effectu Sacramenti, id est, gratia, informatur. Informis verò illa est, quæ quamuis sit valida, quoad substantiam, quia ex ea verum efficitur Sacramentum, accedente absolutione, tamen post absolutionē, pœnitens non informatur gratiâ, nec consequitur remissionem peccatorum: licet, nec peccet, nec iterare confessionem teneatur, sed tantùm defectum supplere, & manifestare in sequenti confessione obligabitur.

Verùm in hac materia variæ sunt opiniones. Aliqui enim omninò negāt dari confessionem informem, quia attritio sufficiens ad valorem Sacramēti, sufficit etiam, (inquiunt) ad effectum Sacramenti.

Alij admittunt confessionem informem, sed divisi sunt, D. Th: enim *4. d. 3. q. 3. a. 4.* confessionem informem censet esse, ex defectu attritionis inten-

siuo

ſiuo, vt minimum requiſito, non percepto tamen à pœnitente inculpabiliter, per ignorantiam inuincibilem, aut inaduertentiã naturalem: & ideò abſq; nouo peccato pœnitentis, cenſet Sacramentum eſſe validum, tamen abſq; effectu gratiæ. Secùs ſi idem tamen dolor, minor quàm ſit vt minimus neceſſarius, interueniret, vel ex certa ſcientia, vel ex ignorãtia culpabili. Tũc enim non eſſet etiam ipſum Sacramentum validum, vtpotè, cum actuali peccato negligentiæ. Et multò magis ſi talis defectus peccaminoſus in confeſſione non explicaretur. Neq; talis confeſſio diceretur informis, ſed potiùs nulla. Soto 4. *d. 18. q 3. a. 3. idem docet.*

Suarez *tom. 4. d. 20. ſect. 5.* Confeſſionem informem cenſet, non ex defectu intenſionis vel qualitatis in ipſa attritione, ſed ex defectu extenſiuo, id eſt, ex defectu integritatis attritionis, ob naturalem inaduertentiam, vel inculpabilem obliuionem, propter quam quis non recordatur alicuius peccati mortalis, & attritionem habet de cogitatis tantum, non extendens eam actu ad oblitum (ſeu obliuioni traditum) neque formaliter, neque virtualiter. Et ideo Sacramentum fit validum & verum. Sed quia effectus gratiæ non obtinetur, ideò confeſſio dicitur informis.

QVÆSITVM X.

An aliquod peccatum poſſit à pœnitente celari, & Confeſſori non indicari?

℞ Regulariter hoc fieri non poteſt, ſed per accidens, tantùm: videlicet ad vitandum graue damnum, ſeu nocumentum proprium vel alienũ, vt paulò ſuperiùs dictum eſt.

Vt puta, ſi quis timeret graue ſcandalum in propria ſalute ſpirituali, vel corporali.

Vel ſi timeret (rationabiliter) Confeſſorem non ſervaturum ſigillum, & ex ſua confeſſione occaſionem ſumpturum, ad infamandum ſe vel proximũ.

Si manifeſtando aliquod peccatum, vel aliquam circumſtantiam probabiliter (cum fundamento) timeret confeſſorem eſſe ſcandalizandum, & ad aliquod peccatum graue, aut tentationem inducendum. Ratio eſt, Quia præcepta poſitiua (quale eſt de integritate confeſſionis) non obligant cum tanto diſpendio & periculo. Et qui non poteſt ſine eo periculo confiteri, cenſetur tunc moraliter impotens, ad confitendum illud peccatum. *Suar. diſp. 25 ſ. 2.*

Animadverſio. Cauendum tamen eſt, ne occaſione iſtius veritatis traditæ, aliquis ſumat ſibi anſam erroris, & ad fictas cauſas tacendi peccata in confeſſione, trahat. Integritas confeſſionis de iure diuino eſt: & ideo vbi ius naturale divinũ, aliud non ſuadet: omninò ſeruandum eſt.

TITU-

TITVLVS V.

De Satisfactione,

Habet quæsita 8.

QVÆSITVM I.

Qualis & quanta debeat esse pœnitentia?

℟. Lege Ecclesiasticâ non est taxata, nec voluntati Confessoris absolutè relicta, sed prudenti arbitrio eiusdem Confessarij commissa est: quæ sumi debet ex peccatorum grauitate, & pœnitentis dispositi circumstantijs, ita vt quantùm fieri potest, seruetur proportio & iustitia. Siquidem satisfactio est actus iustitiæ, & æqualitatem respectu offensæ præcedentis, in faciente, importat D. Th. *suppl: q. 12 a. 2.*

Ex rationabili tamen causa, propter fragilitatem, aut etiam graues occupationes pœnitentis, levior satisfactio potest imponi: & ob impotentiã illius, omitti potest. *Caiet: opusc: t. 1. tract: 6. q. 2. Soto 4. d. 20. q. 1. a. 3.*

QVÆSITVM II.

Ad implendam satisfactionem, quæ & quot requiruntur?

℟. Duo. 1. Vt sit personalis, id est, non per alium facta, nisi Confessor expresserit aliud. Alioquin pœnitens non satisfaciet præcepto Confessoris, neque sortietur effectum, quem sortiretur, si personaliter impleret.

2. Vt impleatur in gratia, aliàs satisfactio non habebit effectum. *Soto 4. d. 19. q. 1. a. 5. Ledesm. p. q. 3. a. 3. dub. 4. Suar: disp: 38. s. 8.*

Sufficiet tamen illa quæ in peccato impleta est, ad integritatem Sacramenti, & ad implendam obligationem à Confessore impositam.

QVÆSITVM III.

Quot modis satisfacere possumus?

℟. Tribus modis. 1. Per bona corporis, seu afflictiones corporales; vt sunt ieiunia, flagellationes, peregrinationes, vigiliæ. 2. Per bona animæ; vt sunt orationes spirituales, vocales aut mentales, Missæ, &c. 3. Per bona externa; vt sunt eleemosynæ. Quò refertur quidquid in proximi vtilitatẽ expenditur. *Bell. t. 2. lib. 4. d. pœn: c. 6. assignans causam, quare communiter à Theologis & Conc: Trid: dicantur illa tria opera satisfactoria.* Oratio, Ieiunium, & Eleemosyna.

Quæ etiam statim possunt ad interogationem responderi. Et ad ieiunium reducetur omne corporis afflictivum. Ad orationem, omnes deuotiones, & sacramentorum frequentationes. Ad eleemosynam, omnia adiumenta, quæ proximis exhibentur.

QVÆSITVM IV.

Quid operatur ista satisfactio?

℟. D. Th: *quodl: 3. a. 28.* dicit, quod satisfactio valet ad duo. Ad expiationem culpæ præteritæ; & ad cautelam

telam

telam culpæ futuræ: sicut cùm homo ieiunat, armat se contra futuras concupiscentias carnis. Et *Caiet. opusc. t. 1. tract. 6. q. 2. fin.* Quod satisfactio valet ad solutionem pœnæ temporalis, atq; adeò est expiatiua pœnæ pro peccato debitæ. *Soto 4. d. 20. q. 2. a. 3.* Pœnitentiæ in Sacramento non solùm sunt peccatorum vindictæ, sed etiam medicinæ.

Suar. quoq; *d. 38. s. 2.* tres effectus satisfactionis numerat.

1. Proprius, inquit, & maximè indubitatus effectus ex opere operato huius satisfactionis, est, remissio alicuius pœnæ temporalis, præter illam remissionem, quæ respondere posset ex opere, seu merito operantis.

2. Censet dari ex opere operato per hanc satisfactionem Sacramentalem, aliquod auxilium præseruans, seu adiuvans, ad emendanda peccata.

3. Tenet ex doctrina *D. Th. Caiet. Soto*, quod etiam ex opere operato, id est in virtute ipsius Sacramenti, detur aliqua gratia gratum faciens. Quia in Sacramentali effectu semper hæc duo, scilicet, gratia & auxilium, coniuncta sunt.

In summa itaq; hæc satisfactio operatur ex opere operato.

1. Remissioné alicuius pœnæ temporalis.

2. Augmentum gratiæ gratum facientis.

3. Auxilium præseruans à futuris: & ex consequenti, ipsas quoq; inclinationes ad peccata, relictas ex præteritis, minuit.

QVÆSITVM V.

Possetnè Confessor commutare, vel tollere pœnitentiam iniunctam ab alio?

℟. Potest æqualis, auditâ confessione integra eorundem peccatorum, non tamen inferior, quà inferior, id est, quoad reservata, si pœnitens ea habeat, & confessarius facultate careat. *Suar. d. 38. s. 10.*

QVÆSITVM VI.

In quo differt satisfactio Sacramentalis à restitutione?

℟. In hoc, quòd satisfactio (vt colligi potest ex *D. Th. 4. d. 15. q. 1. a. 5. q. 1. c. 1. Soto. 4. d. 19. q. 1. a. 1. Suar. d. 37.*) est compensatio actionis iniuriosæ alicui factæ. Restitutio est redditio vel compensatio ipsius rei alicui debitæ. Vnde restituere est alienum reddere. Satisfacere autem est, iniuriam resarcire.

Less. de Iust. *l. 2. c. 7. d. 4. n. 18.* ponit quatuor differentias:

1. Quod satisfactio sit quiddam generaliùs: omnis enim restitutio est satisfactio, non è contra.

2. Satisfactio respicit personam: Restitutio rem.

3. Satisfactio propriè fit pro iniuria illata: Restitutio propriè vbi damnum illatum, vel res alterius ablata, etiam citra iniuriam.

4. Satisfactio fit etiam pro damno irreparabili: Restitutio solum pro reparabili.

Henriq. vero *lib. 2. de pœnit. c. 18.* sic ait: Satisfactio consistit in ipsa actione, & non in rebus. Quiâ quidem actione Deo pro pœnis ob culpâ debitis satisfacimus.

Restitutio verò, quamvis sit actio, tamen non sistit neque consistit in sola actio.

actione, ſed eſt circa res, ex iuſtitia cõmutatiua debitas.

Sot: Iuſt: l. 4. q. 6. a. 1. Septem differentias ponit, ex quibus ſecundam & quintam hîc ponemus; ſcilicet, quòd ſatisfactio eſt pœnitentiæ pars: Reſtitutio verò non, ſed eſt præambulum. Deinde qvòd ſatisfactio non ſolùm homini, ſed etiam Deo fit, eiq; præcipuè: Reſtitutio verò tantùm homini.

Sayro *lib: 10. tract: 1. c. 2 n. 2.* ponit ſeptem differentias. Quarum prima eſt; quod Satisfactio propriè non eſt, niſi vbi crimen iniurioſum fuit commiſſum: Reſtitutio vero, etiam vbi nullum crimen eſt.

Septima quoq; notatu digna, ex *Soto*, quòd Reſtitutio non fit in purgatorio, ſed ſolùm in hac vita: Satisfactio verò fit in purgatorio, vel potiùs ſatiſpaſſio.

Alij breuiùs ſe expediunt, dicentes: Satisfactionem reſpicere culpã & pœnam, quamuis nullum ſit damnum factum. Reſtitutionem verò, reſpicere damnum acceptum aut vitandum, quamuis aliquando nulla ſit culpa.

Exemplum vtriuſque. Qui Eccleſiæ inferret violentiam, fores invadendo, tundendo, in cœmeterio aut Eccleſia armis terrendo, & alia nefanda, citra damnum aliquod perpetrando, hîc peccaret, & pœnæ ſubiaceret, quâ ſatisfaciat pro culpa: tamen nihil reſtituere teneretur. Quoad ſecundum. Qui mutuò ab aliquo, quidpiam accepit, aut à fure bonâ fide emit, nihil peccauit, reſtituere tamen obligatur.

QVÆSITVM VII.

An per opera, aliàs debita, poſſit fieri Satisfactio?

℟. Aliqui negant, & benè; ſaltim regulariter: aliqui concedunt, per opera, alias præcepta vel debita, poſſe fieri ſatisfactionem, nec malè, videlicet in caſu, quando Confeſſori videbitur id eſſe neceſſarium ad ſalutem pœnitentis. Si tamen Confeſſor imponens pœnitentiam non exprimit, intelligendum erit, de operibus ſupererogatis, ſeu conſilij, & non de aliàs debitis. *Suar: d. 39. ſ. 6.*

QVÆSITVM VIII.

Quid conferunt Indulgentiæ ad hanc confeſſionem Sacramentalem?

℟. Multum ſanè: quia locô Satisfactionis ſubrogantur, ad delendas pœnas temporales poſt confeſſionem relictas. Cùm autem DD. dicunt per indulgentias remitti pœnitentias impoſitas: ſubintelligendum eſt, vt ſatisfactiuæ ſunt, non vt medicinales.

Et quia Indulgentiæ non dantur in deſtructionem, ſed in ædificationem animæ: ideò pænitentiæ iniunctæ: propter indulgentias, non ſunt omittendæ. *Suar: diſp 38. ſect: 10.*

* *Poteſt tamen Confeſſarius imponere minorem pænitentiam intuitu precum, habentium annexam indulgentiam à pænitente dicendarum. Et idem dic de indulgentia, quam pænitens recipere cogitat V. Sent. Mor: l. 2. d. 72.*

TITU-

TITVLVS VI.

De Absolutione.

Habet quæsita 15.

QVÆSITVM I.

Quæ verborum forma in absolutione requiritur, de Essentia, & quæ de Congruitate?

℟. Ad Essentiam absolutionis strictè loquendo, pertinent illa duo verba: *absoluo te.* Dicendum tamen est, secundùm consuetudinem: Ego te absoluo à peccatis tuis. *Sa. V. Absolutio* Nam omissio Pronominis (ego) graue peccatum inducit, nisi defectus temporis excuset.

* *Antonius Fernandez p. 3. c. 2. § 4. hæc ex M. Soto in 4. d. 3. q. vnicâ a. 5 ait. Secluso contemptu: ex negligentia omittere (pronomen, Ego) peccatum est solùm veniale.*

Cætera omnia sunt de congruentia; siue præcedant (vt Oratio, Misereatur tui omnipotens, &c.) siuè sequantur, (vt quæ ad iniunctionem pœnitentiæ generalis pertinent. D. Th. quodlib. 3. *a. 28. Decis. lib. 1, c. 32. n. 9.*) siue concomitentur, vt quæ formam absolutionis intra se continent.

Inuocatio quoq; SS. Trinitatis, non est de necessitate formæ, hic, sed benè in baptismo & confirmatione, D. Th.

QVÆSITVM II.

Quis ordo seruandus in absolutione a peccatis, excommunicatione, aut irregularitate?

℟. Vt priùs fiat absolutio à Censuris, deinde à peccatis, secundùm ordinem consuetum; videlicet, si non constat pœnitentem esse excommunicatum, absolvatur ad cautelam sic. *Si teneris aliquo vinculo excommunicationis &c.* Deinde; *Misereatur tui, &c.* Postea; *Dominus noster* IESUS *Christus, &c.* Vltimo; *Passio Domini nostri* IESU, *&c. Nau. c. 26. n. 22.*

Hîc scito, quod *suspensio* non afficit nisi solos Clericos. *Suar. de Censuris, disp. 28 s. 2.* vbi allegat multos DD. Itaque cùm absolutio fertur, in non clericum dici debet: *Si teneris aliquo vinculo Excommunicationis & interdicti, &c.* omissa suspensione. Si constat de Excommunicatione, debet seruari forma iuris: videlicet, vt in grauioribus, iuret priùs Excommunicatus se obediturum mandatis Ecclesiæ, vel absoluentis. 2. Vt parti satisfaciat, si offensa aut debitum, aut impensa, interueniunt, etsi satisfacere nequit, tenetur dare idoneam cautionem, hoc est pignora, vel fideiussorem, vel tandem iuret se satisfacturum, quamprimùm poterit. De quo infra fusiùs. 3. Si honestè & absque scandalo fieri potest, (quod propterea omittitur in mu-

lieri-

lieribus, & in locis publicis) denudentur scapulæ seu humeri, & flagellentur ad singulos versus Psalmi, *Miserere*, vel alterius pœnitentialis, cum *Gloria. Kyrie eleyson. Pater noster.* ℣. *Saluum fac. Nihil proficiat. Esto ei Domine turris fortitudinis Domine exaudi. Dominus vobiscum.* Oratio, Deus, cui proprium est, *&c.* Vt quem vel quam excommunicationis sententia ligat, miseratio tuæ pietatis clemẽter absoluat. Per Christũ &c.

4. Postea detur absolutio. Authoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, mihi commissa absoluo te ab excommunicatione maiori, quam incurristi, propter talem & talem causam, (quæ distinctè est exprimenda) & toties quoties incurristi, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, communioni, & vnitati fidelium. In nomine &c.

5 Danda est absolutio alia ad cautelam, scilicet, si teneris aliquo vinculo, & tãdẽ à peccatis. Caiet: &c V. *Absolutio ab Excom:* Nauar. c 26 n 7. *Decis.* l 4. c. 17. Toletus *lib.* 1 *c.* 15 *n* 10. Sa, V. *Absolutio ab hæresi. n.* 19 *& sequenti*

Et cùm ista absolutio, dicatur solennis, cum cæremonijs, simplex autem illa, quæ est per sola verba: addit *Sa n.* 18. quòd solennitas absolutionis non requiritur in foro Sacramentali.

Quod ego limitarem, quoad valorẽ absolutionis, non autem quoad evitãdum peccatum, & maximè cùm committitur vt detur absolutio in forma, *Decis.*

Irregularitas rarò accidit dispensanda in confessione: nisi fiat coram Prælato facultatem habente, aut altero, cui specialiter sit commissa super eam potestas, & tunc vtendum est forma solita, præmissâ tamen absolutione ab excommunicatione ad cautelam.

Notandum est hîc, propter simpliciores, quòd excommunicatio & quælibet censura, non tollitur per solam emendationem peccatoris, nec per reconciliationem, nec per satisfactionẽ, neque per lapsum temporis, nec per mortem eam ferentis, neque per mortem eã ligati, sed solùm per absolutionem *Suar: de Cens. disp.* 7 Nisi sit lata sub conditione: (donec satisfeceris) absq; remissione ad absolutionem. Tunc enim satisfactione exhibita, ipso facto tollitur. Quamuis aliqui contrarium senserint, dicentes etiam impleta conditione, necessariam esse absolutionem. *Suar: ibid.*

QVÆSITVM III.

Qui sunt Casus reseruati Papæ?

℞ Multi: & in duplici ordine. Nam alij reseruati, reseruatione strictissimâ, in Bulla Cœnæ Domini. Alij verò extra Bullam, ferè innumerabiles, quos videre potes in nostris elementis ad sacras confessiones. Et apud Navar: 2. *c.* 17. *à num.* 175. *& deinceps.* Sa V. Excommunicatio. *Decis.* l. 4. c. 19. *& seq.*

Visum tamen est casus Bullæ Cœnæ Domini, hîc stylo breuiori & faciliori inserere, ea methodo, qua Synodus vtitur, *cap.* 24

Et quoniam illi casus annexas habẽt excommunicationes ideò ipsæ enumerabuntur.

Prima igitur est contra hæreticos.

2 Contra Complices: Quales Synodus indicat eos, qui Confœderationem in regno promouent, aut defendunt.

3. Legentes, retinentes & imprimentes

mentes libros hæresim continentes; vel de religione tractantes.

4. Contra Schismaticos.

5. Contra onerantes proximos nouis vectigalibus, pontalibus, aggeralibus, &c. absq; Principis authoritate.

6. Dantes auxilia infidelibus, & hæreticis, suppeditando materiam, seu necessaria belli.

7. Qui certiores faciunt eosdem, de rebus Christianorum, in perniciem & damnum Reipub. Christianæ.

8. Contra inferentes vim Romipetis.

9. Contra persequentes Episcopos, Nuncios Apostolicos, aut legatos, cum complicibus inter quos sunt, qui quocunq; modo procurant eos ex Dominio eijci, & multò magis qui mandant aut eijciunt. *Cavendum ne iste casus hic inveniatur.*

10. Iniuriâ afficientes (percutiendo, bonis spoliando, &c.) eos qui ad Romanam curiam in suis causis recurrunt.

11. Et similiter iniuriosè tractantes eos, qui recurrentium sunt Iudices, Commissarij, procuratores, seu aduocati.

12. Impedientes quocunq; modo executionem literarum Apostolicarum, vel etiam citationes, qualscunq; dispositiones, & decreta Sedis Apostolicæ, vel eius legatorum, aut nunciorum.

13. Prohibentes quomodocunque, ne tabelliones, executores, & notarij, in his officium suum exerceant.

14. Præsumentes prohibere, ne accedatur ad Sedem Apostolicam, pro negotijs prosequendis, & pro gratijs vel literis impetrandis.

15. Qui impediunt quomodocunque, ne impetrantes à Sede Apostolica gratiam, vel literas, ipsis vtantur. Aut etiam talium delatorem, detinent.

16. Contra iudices & officiales, eorumque complices, avocantes causas quocunque modo spirituales, aut eis annexas, à iudicibus Ecclesiasticis, vel quomodocunque cursum talium causarum impediunt, vel ingerunt se cognitioni earum, tanquam iudices, aut etiam partes actrices compellunt ad revocãdũ iuris processum, vel ad consentiendum absolutioni rei.

17 Contra omnes iudices seculares qualescunq, sint, qui ratione talis officij ad iudicium seculare personas Ecclesiasticas quomodocunq; trahunt, etiam prætextu literarum Apostolicarũ, præter iuris Canonici dispositionem. vbi Synodus innuit; contra hunc articulum quotidiè peccare iudices prouinciarum.

18. Contra facientes, ordinantes, publicantes constitutiones, vnde libertati Ecclesiæ, Sedi Apostolicæ, & iuribus Eccclesiæ præiudicatur.

19. Et qui vtuntur talibus ordinationibus. Hinc deducit Synodus, quod illi qui titulo compositionis, fundos, decimas, ac prouentus Ecclesiasticos retinent; verè vtuntur toties damnato decreto, de compositione inter status.

20. Impediẽtes quoscũq; Iudices Ecclesiasticos, Ordinarios & delegatos, ne suâ iurisdictione vtantur. Videant, (monet Synodus) quàm temerè tantam excommunicationem incurrant qui cũ magna turba armatorum comparent, coram Ecclesiasticis iudicibus, vt ij minarum & violentiæ metu desistant à iudicando, vel iuxta minantium placitum

rum decernant. Neque tantùm isti, verumetiam qui huic rei se admiscent, excommunicantur.

21. Contra eos, qui vsurpatâ iurisdictione, sequestrant fructus Ecclesiasticos, & qui vsurpant quasi ius ad id habentes, & tanquam ad se pertinentes, prouentus præfatos, aut etiam iurisdictionem.

Hic significat Synodus, plurimos avaritiâ excœcatos, cēsusEcclesiasticos, decimas, aliosq; reditus Ecclesiasticos appropriare, contra expressas fundationes. Porrò fures & latrones hic non includuntur, quia non tanquam prouentus Ecclesiasticos vsurpant, sed tanquā aliena bona rapiunt.

22. Contra omnes, qui personis Ecclesiasticis, ac bonis & prouentibus ad eorum Ecclesias, & monasteria pertinentibus, imponunt collectas aut qualiacunq; onera, absque speciali & expressa licentia Summi Pontificis.

Nota hîc ex Suar: de Cens: d. 21. s. 2. §. Decimaoctava.

Hæc impositio & exactio siue fiat per modum statuti, siue præcepti, aut per violentiam, aut quacunque alia ratione, inducit excommunicationem. Afficit autem & complices.

Animadvertit Synodus, vicinos malos, bonis seu villis spiritualibus, solere quasi imperare vt agros arēt, segetes metāt, laborent, & præterea cōtribuāt; ac proinde eos iniquè agere, declarat.

23. Et eos, qui talia onera sic imposita recipiunt, etiam à sponte dantibus; quia non omnino libera voluntate dant. *Suar.*

Hic notat Synodus, perperam facere exigentes vectigalia in fluminibus publicis, à frumentis spiritualium personarum, collectis ex decimis, vel agris Ecclesiasticis, ad portum deducendis.

24. Contra Iudices cum suis Notarijs, Executoribus & Complicibus, intromittentes se in causis criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, eas processando, capiendo, banniendo, sententiando.

25. Contra appellantes à Papa ad Conc: Generale: cum complicibus.

26. Contra latrunculos maritimos.

27. Contra surripientes bona naufragantium Christianorum, etiam in littore.

28. Contra falsarios literarum Apostolicarum.

29. Contra impedientes victualia ad curiam Romanam deferri.

30. Contra appellantes ad laicam potestatem in causis Ecclesiasticis, ad impediendam executionem literarum Apostolicarum.

31. Contra inuadentes terras Romanæ Ecclesiæ subiectas.

32. Aliquando ponitur contra raptores & detentores bonorum mobilium Rom: Pont: tempore infirmitatis, mortis eius, aut vacationis.

33. Confessores ab his absoluere præsumentes incidunt in excommunicationem Papalem. An verò sit reseruata in eadem Bulla, non omninò est certum: quamuis Synodus in partem affirmativam inclinet.

QVÆSITVM IV.

Casus reseruati Episcopo, quotuplices sunt?

℞. Triplices. Alij enim (secundùm communem modum loquendi) sunt reseruati de iure. Alij de consuetu-

ſuetudine generali. Alij conſtitutione particulari.

Quoad caſus Epiſcopales de iure, variæ ſunt ſententiæ, (& vt dicit Sylveſter: V. *Caſus q. 2.*) de hoc Doctores implent quaternos. Navar: autem *c. 27. n. 262.* ſic ait. Qui autem & quot ſunt caſus Epiſcopo reſeruati, magna eſt inter Doctores contentio. Nam aliqui numerant plures, alij pauciores, alij admiſcent cenſurarũ, votorum, & iuramentorum ablationes: alij puros caſus enumerant. Non deſunt qui negant (& quidem rationabiliter) aliquod peccatum iure communi (ſeclusâ conſuetudine) Epiſcopo reſeruatũ, vt *Suar: t. 4. d. 29. ſect: 3.* ſatis ſolidè & eruditè docet. Quod patebit, ſi quis ſcrutari & perpẽdere voluerit, ius commune. Nos hic communem modum loquendi ſequentes, ſex enumerabimus, adiecta tamen cenſura ſeu correctura.

1. Incendium ex propoſito factum: & conſilium, auxilium, ad id præſtitum. Sed obſeruat, *Suar:* in iure non inveniri reſervationem.

2. Peccatum, ob quod pœnitentia ſolennis imponenda eſt: quæ ſolùm propter peccatum notorium graue, & ſcandaloſum, imponitur: quamuis talis pœnitentia propriè, non ſit in vſu. *Nau: Deciſ: lib. 1 c. 13. n. 65.*

3. Blaſphemia publica & notoria. Sed in iure, ſolùm eſt ſermo de pœnitentia imponenda, in foro exteriori. *Suar. Nauar:*

4. Peccatum Clerici habens annexam irregularitatem. Sed hic à peccato abſolui poteſt, remanente irregularitate: cuius diſpenſatio reſervata eſt. *Suar: Nauar.*

5. Abſolutio excommunicationis maioris. Atqui excommunicatio non eſt peccatum, ſed peccati pœna: & præterea ſermo in iure eſt, de excommunicationibus reſeruatis Papæ, quarum abſolutio, in aliquibus caſibus cõceditur Epiſcopo.

6. Diſpenſatio votorum & iuramẽtorum. Sed neque hæc debent numerari inter caſus, cùm non ſint peccata.

Itaque, ſi volumus conſuetum modum loquendi retinere, duos aut ad ſummum tres primos caſus, Epiſcopales de iure dicemus. Verùm de conſuetudine poſſunt recenſeri plures. Dicuntur autem de conſuetudine illi, quos omnes, vel ferè omnes, orbis Epiſcopi, ſolent ſibi reſeruare; cùm in cæteris differant. Tales enumerantur in *Gloſ. c.* Si Epiſcopus, *de pœn: & remiſſ: in 6. Et extra,* Inter cunctas: *Et Nauar: c. 27. n. 262. Deciſ: l. 1. c. 13. n. 65. Cand: Aur: de abſolutione, n. 54. Sylveſter: V. Caſus. q. 4.*

1. Homicidium voluntarium, aut realis abſciſſio membrorum.

2. Falſitas in ſcripturis, teſtimonijs, & reticentia veri, in iudicio.

3. Oſtenſio ſcripturarum, per Notarios & Advocatos, facta parti aduerſæ.

4. Violatio libertatis, aut immunitatis Eccleſiæ, cuius abſolutio modò eſt reſervata in Bulla Cœnæ Domini.

* *Vide annotata p. 10. Elementorum ad S. Confeſſiones §. de Caſibus Epiſcopalibus per generalem conſuetudinem n. 3. vbi diſtinguit Bonac. libertatem & immunitatem localem Eccleſiaſticam.*

5. Retentio incertorum alienorum. Debet enim eorum quoq; eſſe reſtitutio. *Nauar: c. 17. n. 92.*

6. Sacrilegium.

7. Di-

7. Divinatio, incantatio, sortilegium, tam exercentium, quàm recurrentium.

8. Matrimonij contractus clandestinus: aut contra interdictum Ecclesiæ, & assistentia per modum testis.

9. Susceptio ordinum per saltum.

10. Retentio decimarum.

11. Incestus.

12. Bestialitas & Sodomia.

13. Oppressio filiorum, etiam ex casu *Glos.*

14. Corruptio Monialium.

Hic annectuntur etiam Excommunicationes Episcopo reseruatæ, quas Nauz *c. 27. n. 112.* recenset.

1. Ob percussionem leuem Clerici, vel religiosi.

2. Illa, quam Episcopus sibi reseruat per suum statutum.

3. Excommunicatio Papalis: cuius absolutio ob aliquod iustum impedimentum conceditur inferiori.

4. Excommunicatio, quam quis incurrit, propter participationem cum excommunicato, in crimine, ob quod ab Episcopo est quis excommunicatus.

5. Absolutus in articulo mortis, vel aliàs ob iustum impedimentum, ab excommunicatione per Episcopum lata si sublato impedimento, non se præsentat ei.

* *His adde excommunicationem ob procurationem abortûs fœtûs animati secuto effectu.*

Casus Episcopo Cracouiensi reseruati ex statuto speciali, in Synodo, Cap: 25.

1. Omnes blasphemi Omnipotentis Dei, Beatissimæ Virginis Mariæ, & Sanctorum, nostræ Episcopali absolutioni reseruantur.

2. Abutentes Sacrosanctâ Eucharistiâ, & sacris Oleis.

3. Sortilegi, diuinatores, & qui ad eos accedunt.

4. Malefici, qui maleficia inter cōiuges faciunt, vel sterilitatem mulierū vel abortum procurant.

5. Ecclesiarum, Monasteriorum, Cæmeteriorum, domorum, in quibus Presbyteri, alijue Clerici inhabitant, sacrilegi effractores, & violatores,

6. Simoniaci.

7. Apostatæ.

8. Patris & Matris percussores.

9. Homicidium deliberatum, consultum, adiutum efficaci auxilio. *Item.* Casuale ex culpa præcedenti, vel datâ opera rei illicitæ.

10. Qui cōtra iustitiā, vel consciētiam consiliū siue auxiliū in aliquo præstiterunt, vnde mors hominum, vel iniusta membrorum mutilatio est consecuta: vel qui in huiusmodi facinore, scienter literas dictauerunt, scripserunt, legerunt, & occasionem, consilium, siue causam dederunt, vel aliud adminiculum præstiterunt.

11. Adulterium notorium.

12. Stuprum vi illatum.

13. Raptores virginum, aut viduarum, & effractores portarum ad Monasteria Sanctimonialium, & quicunq; domorum piarum inuasores.

14. Sacrilegium cum Deo dicatis.

15. Incestus in primo & secundo gradu.

16. Scelus nefandum, & contra naturam,

17. Incendium dolosum, non publicatum tamen,

18. Oc-

18. Occultantes malitiosè vltimas voluntates, & malitiosè easdem impedientes, & qui legata, in pios vsus facta, detinent.

19. Sigillorum, scriptorum, & monetæ rasores, ac falsarij, item & mensurarum.

20. Scriptores, item compositores, publicatores, detentores librorum famosorum, quibus contemptûs & contumeliæ causa, publicantur maledicta, contumeliæ contra Sedis Apostolicæ iura, & personas, contra Regem, Episcopos & Prælatos, ac Regni Senatum, aliasq; publicas personas.

21. Qui sine prima tonsura aliquẽ ordinem sacrum, vel per saltum susceperunt.

22. Clerici qui in suspensione vel excommunicatione sunt promoti; aut diuina, ordini ipsorum nondum competentia, celebrare præsumpserunt.

23. Sacerdotes item, & Sacerdotum ministri, quorum negligentiâ aliquid inhonestum, circa Sacramentum altaris quocunq; modo euenit.

24. Proditores auditæ confessionis.

25. Delictum quodlibet, cui excõmunicatio maior Episcopalis, interdictumuè, aut suspensio fuerit adiuncta.

* *Circa casus Episcopo per consuetudinem generalem reservatos, videatur doctrina Confessariis favorabilis p. 10. Element. ad S. Confessiones §. de casibus Episcopo per consuetudinem generalem reservatis n. 12.*

A quibus quidem casibus reseruatis, cuiuscunque Ordinis, vigore *Maris magni*; & quorumcunque privilegiorum, ne Rosarij quidem Confraternitati datis, possunt pœnitentes absoluere, quẽadmodum ab Illustr: Dominis Card: ad interpretationem Sacri Conc: Trid: deputatis, declaratum est; nisi Priuilegia ipsa, talem alicui Ordini dederint facultatem, speciatim vel nominatim; vel sint obtenta, vel confirmata post Conc: Trid: & nisi Regularibus virtute literarum Iubilei concessum sit à S. P. vel speciatim, vel generatim, à quibusuis casibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis.

QVÆSITVM V.

An Confessor absoluens à reseruatis, peccat mortaliter?

℞. Extra articulum mortis absolvens, peccat mortaliter: & præterea absolutio invalida est.

QVÆSITVM VI.

An Confessor inferior auditâ confessione integra, possit pœnitentem à non reseruatis absoluere, & pro absolutione à reseruatis, ad superiorem remittere?

℞. Potest quidem, vt insinuat D. Th. *4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 24.* Sed non regulariter, aut vniuersaliter. *Suar: t. 4. d. 31. s. 2. & 3. Decis. l. 1. c. 13. n. 70.* Regulariter enim debet subsistere, & facultatem à superiori quærere, siue per se, siue per pœnitentem, vt possit simul ab omnibus peccatis absoluere, vel ab habente facultatem supra reseruata remittere, qui audita integra confessione, tam reseruatorum, quam cæterorum, absoluere possit *Suar.*

In casu tamen, videlicet, quando non patet aditus ad superiorem, & ex altera parte, confessionem rationabilis causa vel necessitas exigit, ita vt non possit omitti sine graui scandalo aut infamia, propter implendum præceptum annuæ confessionis, aut communionis,

nionis, vel propter Missam necessariò per pœnitentem celebrandam: Tunc enim auditis omnibus peccatis, tam reseruatis, quàm non reseruatis, poterit & debebit pænitentem absolvere directè à non reservatis, & ex consequenti alia tollendo, sicut & oblita sub onere tamen comparendi & confitendi superiori, aut ei, qui potestatem habet supra peccatum reseruatum, atque petendi ab eo absolutionem; ita vt ipse pœnitens intelligat se manere obligatũ, ad hoc, & idipsum facere efficaciter proponat. *Sa*, V. *Absolutio. n. 24.* Nec tantũ absolui, sed etiam communicare poterit, ex causa aliqua rationabili, vt dictum est. Postea coram superiori sufficiet confiteri peccatum reservatum, & ab eo absolui. *Sa, vbi supra. & alij.*

* *Probabile est quando in casu proposito Confeßarius inferior absoluit à non reseruatis tantùm: reservata à quibus tunc directè non absoluit, possunt tunc omitti.*

Quod si pœnitens impeditus sit aliqua excommunicatione reseruatâ, non posset hoc modo absolui à non reseruatis, neque communicare. *Sa, vbi supra, cum alijs.*

Suarez tamen contrarius est, Nam si propter vitandam infamiã vel scandalum, licet excommunicato communicare; licebit etiam propter eandem causam excommunicato, confiteri, & à non reseruatis peccatis (sic vt præfertũr) absolui, dummodò per prudẽtem Confessarium, verus casus necessitatis discernatur, & iudicetur.

QVÆSITVM VII.

Habens facultatem absoluendi ab hæresi in foro pænitentiæ, potestnè à sola excommunicatione absoluere, & causa confeßionis, integræ faciendæ, pænitentem ad inferiorem Confessorem remittere?

℟. Non potest, si facultatem habet limitatam, & Sacramento pœnitentiæ alligatam. Tunc enim absolutionem duntaxat Sacramentalem dare potest; ac proinde in Sacramento pœnitentiæ & non iudicialem, extra Sacramentum: nisi hoc in facultate exprimatur. *Compend: Priuil.* V. *Casus reseruati. in annota.* Tolet: *l. 1. c. 15. n. 7.* dicens; non valet absolutio ab excommunicatione, quæ fit ex commissione: si non fiat iuxta formam mandati. Navar: *cap. 27. n. 37.* Nihil, inquit, valet absolutio facta à delegato, non seruata forma absoluendi sibi datâ in delegatione. *Decis: lib: 1. c. 32. n. 3.* Et *cap: Cùm dilecta. De rescript:* ad finem. Et *c. Venerabilis. De offic: deleg.* ad finem.

Ergo, quando commissio fit sub certa forma, eâ non seruata, corruit actus. Quia fines mandati diligenter seruandi sunt. *l. diligenter: ff. mandati.* Legat qui vult. *Sanch: de matrimonio, l. 3. d. 33.* Suar: *de censur d. 7. s. 5. §. tertio*, vbi expresè id docet.

QVÆSITVM VIII.

An poßit Confeßor aliquem absoluere contra suam opinionem?

℟. Potest, imò & debet, si pœnitẽs habeat contrariam opinionem, hucusque probabilem, seu non antiquatam, sed authoritatibus Doctorum probatorum, vel solidis rationibus munitam: aliàs non. *Nauar: c. 26 n 4* Sa, V. *Absolutio. n. 15.*

QVÆSITVM IX.

Peccatnè Confeßor absoluens aliquẽ absque

absque contritione vel attritione debita?

℟. Clarum est apud omnes ipsum peccare grauissimè. Nam cùm aliquis dolor sit de essentia, seu de necessitate huius Sacramenti. *D. Th: 4 d. 17. q. 3. a. 4. q. 4.* (scilicet tanquam pars materialis, sine qua Sacramentum validum esse nullo modo potest. *Suar: d. 20, s. 3. fin,*) certè Sacerdos præsumens absq; sufficienti dolore absoluere, nihil validè facit (non secus, ac si aliquis sine aqua baptizaret: absque pane & vino consecrationem attentaret) sed Sacramento abutitur, ac proinde Contaminat ipsum, atq; iniuriam irrogat, & sacrilegium committit.

QVÆSITVM X.

An quilibet pœnitens absolui possit, & quolibet loco, & quolibet tempore?

℟. Qui verè pœnitens est, nullũ impedimentum habens, absolui potest ab habente iurisdictionem ordinariam vel delegatam, vbiq; & semper, hoc est, non tantùm in Diœcesi, ad quam pœnitens & Confessor pertinent; sed etiam extra eam, si quando pœnitens & Confessor inuenirent se alibi. *Decis: c. 13. n. 46.*

Hoc enim licet, in iurisdictione non requirente strepitum fori externi. Idẽ de Religiosis dicendum; nam Religiosus ad confessiones audiendas admissus, potest quemcunque sui cœnobij, vbicunq; terrarum, absolvere, perinde ac ipse superior, exceptis tamen reseruatis. *Decis.*

Pœnitentes quoq; seculares iter agẽtes, possũt ex licẽtia tacita, cõsuetudine introducta & firmata, confiteri alibi. *Suar: d. 30. s. 1.*

Confessarius quoq; semper, id est, tam extra, quàm Paschali tempore, potest absoluere; dummodò habeat absolutam & illimitatã facultatem. *Decis:*

* *Occasione vltimi § scias: Parochum non posse tempore Paschali negare Eucharistiam pœnitenti Confesso Sacerdoti Mendicanti approbato. Præsertim si Confessionis testimonium afferat. Mendicantes enim ad hoc habent facultatem à Sacerdote omnium fidelium proprijssimo, Authoritate Conciliorum, Pontificum, & quinquaginta DD. probat Frãciscus Fontanus idem priuilegium innuit Opatouius de Pœnit. d. 11. q. 3. idem refert N. Author p. 2. Tyrocinij Artis Pœnit: tractans de Confessione annuá n. 3. Tali tamen Pœnitenti mandetur vt in propria Parochia communicet; aliàs pro tempore Paschali non satisfaceret. Pro hac vltima parte N. Doctor adducit declarationem S. Congregationis p. 2. loco cit. de Comm: Paschali n. 3. Vide Sent: Mor: l. 2. d. 57. conc. 10.*

QVÆSITVM XI.

An habens authoritatem a casibus, possit absoluere à censuris?

℟. Distinguendum est. Nam aliquæ censuræ, dicuntur iuris seu Canonis; scilicet, quæ in iure sunt latæ. Aliæ dicuntur ab homine, seu iudice latæ.

Itaq; à censuris per hominem latis, nemo extra articulum mortis absolue re potest, nisi is qui tulit, vel eius delegatus, aut successor, & multò magis superior. *Soto, 4. d. 22. q. 1. a. 1. Nauar: c. 27. n. 39. 40. Suarez de censuris. disp: 7. sect: 4.*

Hoc autem intelligendum est, siue illa

illa censura sit particularis, quoad personam, in quam determinatè fertur, pro commisso peccato: siue solùm quoad delictum, quoad personam verò con fusè, in eum vel eos, qui commiserunt tale crimen.

Omnes enim sententiæ tales spectāt ad censuram ab homine latam. Nec impedit, quòd persona sit cognita vel occulta. *Suar.* §. *De priori.*

A censuris iuris non reseruatis, potest omnis Confessor absoluere, qui potest à peccatis mortalibus. *D. Th. in add. 3. p.* Et *Suar. t, 5. d. 7. s. 4. n. 9:* Et *disp. 19. s. 2. n. 2,* Quia hæc potestas à censuris non reseruatis iure communi, ex vi eiusdem iuris communis, comitatur potestatem absolvendi à peccatis mortalibus,& non ex peculiari concessione, &c. *Suar d. 7. s. 4 n. 11.* Hoc ipsum docent, *Soto, Nau:*

Elicitur potestas hæc ex c. Nuper. *de sent: excommun.* Suar *de Censuris: d 7. s. 3.*

Ratio quoq; suffragatur. Nam concesso principali, censetur concedi accessorium, sine quo illud exerceri non potest. *Suar. sect. 4* § *Quæ responsio.* vbi allegat Sot. Nauar. §. *Hinc verò.* Neq; moucaris contrariâ opinione aliquorum, apud Sayro, *de Cens. lib. 2. cap. 19. n. 12.*

Porrò à reseruatis non potest. c. Nuper. *De sentent. Excom.*

Nisi etiam habeat facultatem absolvendi à casibus reservatis, tunc enim poterit absolvere etiam ab eis censuris, seu excommunicationibus, quæ sunt annexæ illis peccatis reseruatis. Suar: *d. 7 s 4* §' Respondetur.

Quamuis Nauar: 17. *n* 291. differentiam faciat inter casus Papales & Episcopales: Et in Papalibus approbat hoc dictum, non verò in Episcopalibus.

Per censuras verò iuris non tantùm intelligi debent illæ, quæ sunt latæ in iuræ communi, vel Pontificio, sed etiam comprehenduntur quælibet statuta particularia Episcoporum aut Conc: Prou, *Suar. d. 7. s. 3.* Superest.

Quoad censuras verò per generalē sententiam latas pro peccatis futuris, vt quicunque fecerit, vel sciverit tale quid, est diversitas opinionum. Aliqui enim censent eas reducēdas, ad eas quæ sunt iuris, ac proinde auferendas, sicut & cæteras eius generis, à quocunque valente absolvere à peccatis mortalibus Hanc sententiam graues Doctores amplectuntur. Nauar: *c. 27. n. 44* vbi multos authores allegat.

Alij tales censuras autumant iudicandas esse, eo modo, quo & censuras latas ab homine, ac propterea non tollendas per absolutionem, nisi à ferente vel superiori Inter hos est Caiet: *sum:* V. Absolutio. ab Excommun. quantùm ad confessores.

Hanc sententiam Suar: *de cens. d. 7. s. 2.* asserit in rigore iuris veram, & in praxi tutiorem: priorem autem, favorabiliorem, benigniorem, & probabilem, propter authoritatem tantorum Doctorum.

QVÆSITVM XII.

Quæ absolutio danda est in reconciliationibus?

℞. I. Hæc interrogatio supponit hîc absolutionem aliam (non quidem quoad formam substantialem quæ variari non potest, sed quoad adiacentiam formæ) & quærit quænam illa sit.

2. Reconciliationes dicūtur, breues confes-

confessiones. vt illorum qui sæpè confitentur, & breuiter se expediunt: vel post confessionem aliquid recordantur, aut de nouo committunt. In eis itaque si verum peccatum exprimitur, satis est dicere: Authoritate D. N. Iesu Christi, ego absoluo te à peccatis tuis, In nomine, &c. *Sa V. Absolutio, n. 1. Vel vt Decis: l. 1. c. 32. n. 4.* Si teneris aliquo vinculo, excommun: susp. & inter: à quo possum te absoluere. Ego absoluo te. Item ego absoluo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti Amen. Vrgente verò graui necessitate in articulo mortis, sic: Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis, In nomine, &c. *Ritual: Rom: Pauli V.*

Si dubium peccatum acciderit, detur conditionalis absolutio, videlicet: si vera peccata sunt, Ego te absoluo, In nomine, &c. si nullum peccatum manifestetur, adeò, vt neq; aliàs ritè confessum, subijciatur clauibus: nulla absolutio potest dari, sed pœnitens debet remitti, cum Dei benedictione.

Eniti tamen debet Confessor, præsertim in simplicium confessione, aliquam materiam confessionis inuenire, & eruere, vt otiosum verbum, vel quid simile, ad impendédam absolutionem. Pœnitens tamen non obligatur aliquod de præteritis repetere, quamuis possit si velit.

QVÆSITVM XIII.

In articulo mortis non valentes confiteri, sed tantum signa Contritionis ostendentes, quomodo sunt absoluendi?

℟. Si signa illa, in particulari aliquod quantumcunque leue, vel graue peccatum, indicant, sunt absoluendi, tam ab excommunicatione, quàm à peccatis.

Si in communi ipsum moribundum peccatorem demonstrant, tunc etiam est ab excommunicatione absolvendus. Quoad peccata verò aliqui negant, alíqui censent absolvendum. Nonnulli tandem absoluendum sub conditione judicant. Si capax absolutionis es, ego absolvo te, &c. *Sa, V. absolutio n 10.* In Rituali autem Pauli V. dicitur sic: Si inter confitendum, vel etiam antequam confiteri incipiat, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur, quoad eius fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus vtcunque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam, si confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est

QVÆSITVM XIV.

Sæpiùs recidiuantes, suntnè absoluendi?

℟. Quamuis recidere non sit infallibile indicium defectûs veræ pœnitentiæ: & communiter absoluantur, bis, ter, aut sæpius recidentes: nihilominùs non est absoluendus pœnitens recidiuans, (tanquam non dans nec ostendens sufficiens signum de cætero non peccandi) si nulla emendatio, aut eius inchoatio in eo, post tot confessiones appareret, nulla contra passiones resistentia, aut refrenatio; sed semper suarum cupiditatum ac suarum propensionum expletio deprehenderetur. Similiter si occasiones externæ, nullam secuturam emendationem indicarent. Et multò minùs absoluendus est, qui in præsenti non haberet sufficientem

entem dolorem firmum ac absolutum propositum vitam emendandi, peccata eorumq; occasionem fugiendi. Navar: *c. 3. n. 21. Prax: l. 2 n. 101.* Propterea qui domi occasionem peccati mortalis fovent, vt concubinarij, &c. vel cõversationem periculosam habẽt, non sunt absolvendi, donec illam deserant, & ab invicem se honestè & prudenter separent, implorato Dei auxilio: nisi malint æternam damnationem incurrere.

Quodsi recidivantes sufficienter cõtriti vel attriti sunt, & habent efficax propositum, vitandi peccata, & seriò curandi benè viuere, absolui debent, etiamsi Confessor credat eos relapsuros, & ipsimet pœnitentes hoc ipsum cum dolore timerent.

QVÆSITVM XV.

An aliqua cautio sit petenda à pœnitente, & in quibus casibus?

Respondebitur, præmissâ declaratione & divisione cautionis. Cautio simpliciter significat promissionem. *l. Sancimus. Sylvest:* V. *Cautio.* vel significat assecurationem, quâ nobis cavetur, id est, securi reddimur. Talis autem, assecutiva (vt ita dicam) provisio, vel promissio, fit cùm aut traditur pignus, aut statuitur fideiussor, aut præstatur iuramentum,

Dicendum igitur directè: quòd est petenda cautio iuratoria, in ipso actu confessionis, ab excommunicato ob magna crimina, vt ob hæresim, incendium, percussionem Clerici, &c. In casibus quoq; Bullæ Cœnæ, Suar: *t. 5. d. 19. f. 2. n. 10.*

Iuramentum autem hoc esse debet, de stando (id est de obediendo, vel satisfaciendo) mandatis Ecclesiæ, in illa materia, pro qua excommunicatio est data.

Deinde si tale delictũ fuerit ob quod lata fuit, vt specialem restitutionem, aut etiam satisfactionem requirat, realis & actualis debet præcedere sine mora. In casu impotentiæ, & quacunque difficultate morali, cautio requiritur pignoratitia. Si hæc præstari non potest, fideiussoria: si neque ista, iuratoria exigitur. Suar: *disp. 21. f. 3. n. 2.*

In vsurario etiam manifesto (vt infra dicetur) cautio est adhibenda. Hic nota, quod in absolutione ab excommunicatione hæresis, & aliorum casuum in Bulla Cœnæ, in articulo mortis, absolvendus; duplicem cautionẽ præstare tenetur. 1. De parendo mandatis Ecclesiæ. 2. De satisfaciendo vno ex tribus illis modis, secundùm arbitrium Confessoris. Nam si realis seu actualis satisfactio esse non potest, statim fiat cautio oppignoratitia, vel fideiussoria, & defectu earum, iuratoria. Quamuis in casu hæresis nulla satisfactio esse non potest, statim fiat cautio oppignoratitia, vel fideiussoria, & defectu earum, iuratoria. Quamvis in casu hæresis nulla satisfactio pecuniaria exhibenda sit, sed solùm iuramentum sit satisfaciendi: videlicet, si hæreticus decepit aliquos, tradens doctrinam hæreticam esse veram, tenetur coram eis retractare, eosq; instruere de veritate. Sanchez *l. 2. Moral. c 12. n. 19* In alijs excommunicationibus, potest habere locum satisfactio pecuniaria, ubi expensarum & damni ratio habetur.

Advertenda hic Caiet: doctrina *in sum-*

sum: V. Absolutio c. penul Oportet hæc, inquit, Confessores scire, non tantùm propter casus occurrentes, sed etiam propter euitandas censuras Sixti IV, cùm in articulo mortis contingit absolvere à casibus reseruatis in Bulla Cœnæ Domini.

Hîc quoq; addendum ex Nau: *c. 27. n. 47.* censu. Quòd omnia iura quæ iubent satisfacere ante absolutionem in articulo mortis, intelligenda sunt: si excommunicatus potest: si non potest, satis est, quòd det cautionem sufficientem, hoc est, cum pignore, vel fideiussore; vel si neq; hoc possit, saltim iuratoriam adhibeat, quòd sit satisfacturus.

In Synodo Diœcesana *cap. 24. f. 74.* ex Prouinciali Synodo, statuitur forma absoluendi excommunicatum ab homine, præsertim in mortis articulo.

1. Vt excommunicatus pro contumacia, iuret quòd obediet mandatis Ecclesiæ, ac excommunicatoris. Et quòd expensas taxandas restituet.

2. Excommunicatus pro offensa, vel re iudicata, debebit iurare (vt præfertur) parere iudicatæ rei, & satisfacere pro offensa, arbitrio iudicis, aut boni viri.

3. In absentia eorum, quibus satisfactio exhibenda est, sumat officium arbitri Sacerdos, cum aliquibus bonis viris, pecuniam verò pro satisfactione, offenso, suo tempore reddendam in æde sacra, vel penes fideles viros ponat.

4. Si pecuniâ paratam non habuerit, statuat fideiussores.

5. Quodsi neq; fideiussores inuenerit, Confessor ei præcipiat, sub debito facti iuramenti, vt infra mensem à restitutione sanitatis, adeat excommunicatorem, & mandatis reverenter pareat. Quo promittente, absoluatur.

Qui autem aliter absoluere excommunicatum præsumpserit, puniendus erit, & ad damna interesseque compensanda excommunicatori, vel hæredibus eius, tenebitur.

TITVLVS VII.

De Sigillo.

Habet quæsita 12.

QVÆSITVM I.

Quomodo differat sigillum confessionis à sigillo secreti?

℞. Multis modis. Primò, quòd sint diversorum ordinum. Nam sigillum secreti humani, est ordinis naturalis: sigillum verò confessionis, est ordinis supernaturalis ac diuini.

2. Quòd sigillũ confessionis, sit excellentioris virtutis, nam seruare secretum naturale alienum; spectat ad virtutem fidelitatis ac iustitiæ. Soto *de tegend: membr: 1. quæst 1.* seruare autem secretum confessionis, præter has virtutes: pertinet etiam ad virtutem reli-

religionis, vnde hoc secretum dicitur sacrum, & sacramentale, eius verò violator sacrilegus; illud autem vulgare seu profanum; cuius fractor, perfidus aut infidelis appellatur

3. Quia sigillũ sacramentale arctiùs ligat; siquidem plures virtutes ad vinculum eius concurrunt, & gravissima iactura est ob eius violationem, fortiusq; stringit. (cederet enim in maximam perniciem Christianismi, & tolleretur tam necessarium Sacramentum, vtpotè, quod propterea abominabile, exosumque redderetur) Præterea grauis pœna transgressori constituta, hanc arctam obligationem indicat, vt infra dicetur.

4. Nam sigillum confessionis est perpetuum, hoc est, semper ligat, ita vt nunquam referari possit.

Alia verò secreta, quæ regulariter celanda sunt, sæpè in casu possunt & debent reuelari. Vtpotè, quando occultatio talis secreti, grauiter seu notabiliter noceret animæ, corpori, honori, vel rei familiari, proximi. Nau: *c. 8. n. 2. Prax. l. 3. c. 1. n. 9.* Itaq, in sigillo confessionis, neq; Papa dispensare potest, vt confessarius possit confessionem revelare. Neque ipse Confessarius potest quocunq; modo directè vel indirectè, verbo, nutu, aut signo, audita in confessione, reuelare, etiam iubente quocunque superiori sub pœna excommunicationis, quæ tamen invalida esset, vt quæ contineret intolerabi em errorem. Neque tunc posset, quando celare confessionem cederet in grauissimum præiudiciũ corporale, aut etiam spirituale communitatis. Vt si quis confessus sit, se propositum habere seminandi hæreses, aut hostibus ciuitatem tradendi. *Prax: sect. 1.*

Et, si pro saluanda Republ: licitum non est, reuelare confessionem, multò magis pro auertendo malo, vel grauissimo detrimento alicuius personæ, siue tertiæ, siue pœnitentis, siue ipsiusmet Confessoris: vt si quis duceretur ad mortem, & Confessor scit (ex confessione alterius veri authoris) eius innocentiam, non propterea potest id manifestare; sicut neq; tunc, quando propter mendacia aut falsas relationes, in confessione cognitas, aliquis gerit inimicitias cum alio, neq; vult reconciliari. *Prax. sect: 2.*

Hoc autem adeò verùm est, vt etiamsi confitens sit impenitens, hoc est, nolit à peccato desistere, & inualidè confiteatur; vel non finierit confessionem, neque subsecuta sit absolutio; nihilominus sigillum adstringit.

Neq; potest Confessarius excusari aliquo metu aut vi, vt si Tyrannus, aut quiuis alius perditus, gladium ad os Sacerdotis admoueat, ipsum iugulaturus, aut ipsum igne concrematurus: vel exquisitas mortes minaretur, nisi reuelet audita in confessione, mori potiùs debet, martyriiq, coronam expectare, quàm reuelare. D. Th: *Soto 4. d. 18. q. 4 a. 5: Prax.* Nauar: *Cand: de sigillo. Decisi: lib. 1. c. 23 & alij.* Insuper neq; propter confessionis integritatem, licitum est frangere sigillum confessionis: Vt si ipse Confessor erraverit, suum munus exercens, errorem tamen suum confitendo explicare non valeret, absque eo quòd Confessor suus veniat in cognitionem illius pœnitentis, deberet silere illud peccatum, donec inueniat talem pro se ipso Confessariũ, qui non posset, deuenire in notitiam talis

lis pœnitentis. *Prax: & plures alij DD.*

QVÆSITVM II.

An Sigillum hoc sit de necessitate Confessionis?

℞. Est: de necessitate præcepti, ita vt frāgens graue sacrilegium cōmittat. Non tamen de necessitate Sacramenti, ita vt irritet ipsum; validum enim est Sacramentum; quamuis iniquus Confessor, fregerit sigillum. *Soto 4. d. 18. q. 4. a. 5. post conclu: 1.* Et *Prax. for: Pœn: lib. 3 c. 1. n. 4.*

QVÆSITVM III.

Sigilli confessionis quæ est materia, seu quid cadit sub sigillum confessionis?

℞. Peccata non solùm mortalia, sed etiam venialia, peccatorum circū stantiæ, ea quæ dicuntur ad declarandum peccatum; nec tantùm peccata secreta, sed etiam publica, quatenus in confessione sunt cognita. Item ipse peccator, & peccati complex imprudenter detectus. *D. Th. Soto, Suar: d. 33. s 3. & omnes alij DD.* Necnon illa, per quæ posset peccator vel peccatum deprehendi, quamuis ista in se peccata non essent.

QVÆSITVM IV.

In quo consistit Sigilli confessionis fractio?

℞. In reuelatione peccati (vt dictum est) cum relatione ad personam, hoc est, nominando personam, vel ita de auditis in confessione loqui, vt facilè deueniri possit in cognitionem vel suspicionem peccatoris.

Hinc, non est in rigore fractio sigilli confessionis, reuelatio peccati in abstracto, vt nullatenus ad notitiam personæ referri posset. *Prax. Suar: Soto, vbi supra.* Et quamvis ita sit à peccatū tamen est absque necessitate consilij petendi, vel aliâ rationabili causa id facere: scandalosum enim est, & simplices existimant esse confessionis revelationem.

QVÆSITVM V.

An quæ sciuntur in confessione præter peccata, cadant sub sigillo confessionis.

℞. Ea quæ præter peccata sciuntur in confessione, neq; pertinēt aliquo modo ad peccata (vt sunt historiæ) & ex eorum manifestatione, nullum generatur pœnitenti periculum confusionis, suspicionis, aut alterius nocumēti, directè, vel indirectè, per se vel per accidens, non cadunt sub sigillo confessionis, eo ipso, quòd nullo modo inseruiunt accusationi peccatorum. *Suar: sect. 3 fin* neque ipsa manifestare ex se est illicitum. *Prax: c. 4. s. 1.*

Nihilominus optimum est consiliū D. Th. 4 *d. 21. q 3. a. 2.* Et *suppl: q. 11. a. 2* quòd etiam talia summo studio sunt celanda, tum propter scandalum, tum propter pronitatem, quæ ex consuetudine accidere posset.

Et *Soto, vbi supra.* Neque debet Sacerdos de re ulla audita in confessione vnquam, vel mutire. Auditores enim pertimescunt, eò quòd ibi audita; non adeò sanctè & strictè reconduntur.

QVÆSITVM VI.

An liceat detegere peccata in confessione audita, quando publica sunt: aut saltim in communi, non nominando personam?

℟. Si non nisi per viam confessionis sciuntur, non licet. Quia cadunt sub sigillo confessionis, *Suar. §. Quarto etiam*: Quòd si etiam per aliam viā sciuntur, licet, maximè si adest rationalis causa. Alioquin gravissimū munus esset Confessoris, si propter confessionem amitteret ius vtendi sua scientiá, vel cognitione, aliunde partâ. *D. Th 4. d. 21. q. 3. a. 3.* Soto *d. 18. q. 4. a. 6.* Suar. *vbi supra §. Dubitatur*. Prudentia tamen necessaria est, propter vitandum scandalum, & Sacramenti iniuriam, etiamsi pœnitens non infametur: & prætereà periculum subesse posset, etiam in communi loquendo.

QVÆSITVM VII.

Peccatnè revelans, dicta sibi sub sigillo confessionis, sed extra confessionem?

℟. Quamuis talis commissio secreti, non sit materia sigilli Sacramentalis, imò sit abusus eius, ac proinde illicitus; tamen obligat, tanquam secretum naturale vel humanum. Vnde si fiat reuelatio in materia leui, erit luce peccatum, si in graui, mortale. *Soto 4. d. 18. q. 4. a. 5. Conclusione 5.* Vide etiam D. Th. *4. d. 21. q. 3. a. 2. q. 2. n. 2.*

QVÆSITVM VIII.

An in aliquo casu possit peccatum confessum reuelari?

℟. In nullo prorsus casu, si vera fuit confessio, hoc est facta intentione faciendi accusationem coram Deo, & non animo peruertendi Confessorem, vel securiùs pertrahendi ad conspirationem, hæresim, aut aliud malum. Præterea; ex facultate pœnitentis, licet, quamuis enim aliqui negent, tamē D. Th: *4. d. 21. q. 3. a. 2.* cum multis alijs Theologis & Iurisperitis asserit: quæ sententia vera est & communis, Quod tamen temerè non est faciendum, sed prudenter, & cum rationabili causa, atque ad eius duntaxat vtilitatem. *Decis: l. 1. c. 23. n. 15. & alij*

QVÆSITVM IX.

An dans pænitentiam publicam, pro peccato occulto, in confessione audito, dicatur reuelare confessionem?

℟. Si ita datur & impletur, vt intelligi possit ab alijs eam fieri ex præscripto Confessoris ob culpam occultam, aut publicam; est reuelatio.

Vnde non expedit pœnitentiam publicam iniungere, non tantùm pro occulto, sed neq; pro publico crimine. Neque potest ad eam cogi pœnitens, & satis est, si pro publico satisfaciat peccator occultè. *Medul: p. 3. §. 7. n. 7. Satisfactio.*

QVÆSITVM X.

Quas pænas incurrit sigilli fractor?

℟. 1. Nulla est censura aut pœna ipso facto, præter reatum damnationis æternæ: eò quòd talis peccat mortaliter, & absolutio est reservata Episcopo in Synodo Diœcesana. 2. Est pœna depositionis ferenda. 3. Cogendus est talis Sacerdos, vt perpetuò ignominiosè peregrinetur, vel detrudatur in Monasterium. *Suar: Soto, Prax. n. 3. & alij.*

QVÆSITVM XI.

Quæ cadunt sub sigillum secreti naturalis: & an omnis detectio, sit mortalis?

℟. Illa quæ neque sunt notoria, neq;

neque infamia proclamata, & quæ quis alicui committit cum obtestatione fidei de silentio tenendo; & quorum manifestatio vergit in præiudicium vitæ, famæ alicuius, aut bonorum externorum.

Vnde non est credendum illud tantùm arcanum cadere sub hoc sigillum secreti, quod data fide quis suscipit custodiendum, sed etiam illud, quod absque vlla promissione obligationē iniit tacēdi ex natura sua, quale est omne occultum, casu visum, aut alicuius relatione cognitum: cuius detectio noceret animæ, corpori, famæ, honori vel fortunis alterius. Azor, *t. 3. l. 13. c. 13. Decis. l. 1. c. 23.* Soto, *de tegend: memb. 11 q. 1.*

Estq; peccatum mortale, si sit cum graui seu notabili præiudicio, vt omnes passim docent.

QVÆSITVM XII.

An secretum naturale reuelari debeat Iudici ad præceptum illius?

℟. Debet reuelari tunc, quando malum est in fieri, vel pendet in futurum, cuius occultatio est cum præiudicio communitatis vel tertij. Si non est in fieri, aut expectari, nec imminet aliquod damnum; non debet reuelari. *D. Th. 2. 2. q 70. a. 1. Soto, Iust: l. 5. q 7. a. 1. Arag.*

Quodsi secretum alicui patefactum est, consilij, vel auxilij petendi causa, ad salutem animi vel corporis miseri delinquētis, vt consiliario, medico, advocato, obstetrici, &c. multò magis debet celari. *Bannes de Iust: q, 70. a. 1. Less. l 2. c. 30. dub. 6. Salon q. 70. Sayr. l. 12. c. 14. n. 22.* Imo & D. Th. *vide Tabul:* V. Reuelare. 4. Et V. Religio 76.

TITVLVS VIII.

De Restitutione.

Habet quæsita 18.

QVÆSITVM I.

An peccans contra charitatem debitam proximo, in non subueniendo ei in necessitate, vel ad peccatum inducendo, teneatur ad aliquam restitutionem?

℟. Non subueniens in necessitate etiam extrema, non tenetur ad restitutionem. Quia non iustitiæ; sed charitatis legem transgreditur. Restitutio autem, non ex præcepto charitatis ac misericordiæ, sed ex obligatione iustitiæ, consurgit. *Azor t. 3, lib. 1. c. 9 q. 3. 12. Soto inst: l. 5, q. 3. n 4. Ioan: Med. de restit. q. 3. §.* Est: *Prax: l. 4 c. 19. n 264. Val. 22. d. 3. q. 9. p. 4. Et d. 5. q. 10. p. 2. & 5. Sayro l. 10. tract 1. c. 1. Prax: l. 4 c. 20.*

Et quamuis in extrema necessitate omnia fiat communia quoad vsum, semper tamen manet dominium, adminùs quoad dispensationem, penes possidentem,

Qui

Qui verò aliquem ad peccatum pertraxit, ad aliquam restitutionem propriè non tenetur, sed quandam obligationem habet communem, seu præceptum fraternæ charitatis, admonendi & reducendi errantem: quamvis arctiori vinculo teneatur, qui dedit causam peccandi, quàm qui eam non suppeditaret. Et multò magis si seductus positus est in extrema necessitate, vt quia obstinatus est in peccato, vel moriturus in ipso.

Sciendum tamen est, quod inductio ad peccatum dupliciter fieri potest.

1. Vi, metu incusso, & fraude ac mendacio: & tunc omnino tenetur ex iustitia resarcire malum, vt auferre violentiam, deserere minas, fraudes aperire, & retractare errores.

2. Potest etiam esse citra fraudem & violentiam, vt inducendo prece, pretio, consilio, malo exemplo: & tunc tenetur lege charitatis, quamvis plusquam alij curare, verbis, exemplis, orationibus, & omni modo possibili, per se vel alium curare, vt emendetur.

Quòd si monitus nolit resipiscere, vel non sit spes emendationis, ad nihil ampliùs tenetur. *Azor t. 3 l. 5. Lessius lib. 2. c 8. dub: 1. & 3. Sayro l. 11: c. 1.*

QVÆSITVM. II.

Vnde nascitur obligatio restitutionis?

℟. Generatim loquendo, ex duplici capite, titulo, seu radice. Ex acceptione: & ex re accepta. D. Th. 2.2, q: 62 a. 6 7. Caiet: ibidem, & omnes passim.

Nomine acceptionis intelligitur nō tantùm actio iniuriosa, vt est furtum, rapina, vsura, & omnia alia, per quam vel damnum infertur, vel bonum habendum impeditur: verùm etiam iusta, vt est mutuatio, venditio, emptio, promissio, & quilibet contractus licitus.

Nomine rei acceptæ intelligitur, nō tantùm illa qua dominus iniquè antea per quempiam alium priuatus est, & à me bona fide acquisita, vt est equus à fure, prædone, emptus, vel donatus; sed etiam quæ citra iniuriam, & ex iustitia alteri debita est, & apud me retinetur, vt legatum, aut venditum alteri, debitum ratione mutui, vel alterius contractûs honesti. Lessius *lib. 2 c. 7 d. 5. Say: lib. 10. t. 2: c. 1. n. 6.* Azor verò *t: 3: l 4 c. 6.* obligationem restituendi docet ex 4. capitibus oriri, videlicet, ex cōtractu. Ex quasi cōtractu. Ex delicto. Et quasi delicto. Et cōtractu quidem, vt ex deposito, mutuo, commodato, precario, empto, locato, permutato, pignore, mandato, & alijs similibus. Ex quasi contractu; vt ex tutela, cura, negotijs, gestis, transactione, ex officio, quo quis fungitur, ex arte quam exercet. Ex delicto, vt furto, rapina, homicidio, detractione, adulterio, impedimento boni, alterius alicuius, damno illato. Ex quasi delicto, vt cùm seruus vel familia nostra nocet alicui.

Capite verò *16. q 2.* idem Azor docet, obligationem iustitiæ ad restituendum ex duplici capite posse cognosci. Vel ex hoc quod rem alienam apud nos contra Domini voluntatem habemus, etiamsi eam nos a Domino nō acceperimus. Vel ex hoc quòd rem alienam à Domino accepimus, aut consumpsimus, sive præter voluntatem Domini per delictum, aut quasi delictum siue volun-

voluntate Domini per contractum, aut quasi contractum.

QVÆSITVM III.

An consentiens in damno dato, teneatur ex æquo restituere, prout ille qui damnum dedit?

℞. Consentiens duplex esse potest: per actum internum absque cooperatione positiva, (id est, absq; eò quòd concauset externam actionem iniustam) & absq; permissiua, quia non tenetur impedire, sed ad eum nihil pertinet. Et iste peccat quidem, quia consentit in malum, sed ad restitutionem non tenetur, eò quòd consensus eius nihil ad hoc profuit.

Alius consensus per cooperationem, nimirùm, quia consensus fuit causa aliquo modo illius iniuriosæ actionis vel effectûs. Et hic tenetur ad restitutionem secundùm quòd causa fuit, totius vel partis. Vnde si totius damni causa fuit, ad totum reparandum obligatur. Si solùm parti damni causam dedit; ad partem, non secus ac ipse author, sive in solidum siue in partem.

Tenentur autem tales ad restitutionem, hoc ordine. 1. Is ad quem res peruenit. 2. Executor seu author ablationis. Cæteri postea cooperatores consulentes, consentientes, laudantes, animantes, Less. *lib:2. c. 13. dub. 3.*

Si verò nihil ablatum est, sed tantummodò damnum irrogatum; primo loco obligatur, qui coegit vel fraude induxit, vel imperavit, suasit, fieri rogauit. 2. & 3. *vt supra.*

Notandum, 1. Quod si posteriores soluerint, priores tenentur huic refundere: si prior; alij ad nihil tenentur.

2. Probabile quoque est, quòd & cæteri teneantur Executori ad aliquid refundendum, si is prior restituit; alij verò ipsum induxerant, qui aliàs damnum non erat illaturus.

QVÆSITVM IV.

Qui sunt illi nouem modi, quibus quis dicitur consentire delinquenti per aliquam cooperationem?

℞. Illi, qui continentur in his duobus versibus.

Iußio, consilium, consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

His itaq; diuersis modis cooperationis, seu (vt præfertur) consensûs, deprehenditur aliquis, suo modo consentire delinquenti.

Porrò isti modi breuiter hîc declarantur, simul cum obligatione restitutionis. Tunc itaq; tenetur ad restitutionem sic cooperans, quando est causa damni, quando alterius animū efficaciter mouet, iubendo, consulendo, rogando, promittendo, consentiendo, seu ferendo suffragium iniquum, laudando malefactorem, vel exprobrando ignauiam, (si ex tali laude vel exprobratione alter mouetur ad maleficium) recursum præbendo, vt moraliter censeatur furi cooperari ad damnum inferendum, vel ad illatum non reparandum. Censetur autem tunc cooperari, per recursum, quando ita furem occultat, vt in posterum det illi spem similis opitulationis, & fur illâ fidens, rursum damnum inferat: alioquin si non det illi spem refugij in posterum, non tenetur: quia non eo fine,

fine, nec eò modo abſcondit, vt moraliter cenſeatur cauſa damni: ſed tūc merè per accidens ex illo opere, damnum ſequitur.

Receptator, qui rem furtivam in custodiam accipit, vt furi ſeruet, ſi tamē abſq; notabili incommodo poterat ei cuſtodiam denegare.

Participans dupliciter. 1. Prædæ; & hac ratione tenetur ſatisfacere pro ea parte quæ ei obuenit. 2. Iniquæ operationis præbendo auxilium, & adiuvando ad executionem: ſi id ſponte & ſine compulſione fecerit, tenetur in ſolidum, ſicut & cæteri ſecundùm rationem ſeu conditionem cauſæ, quam ad damnum exhibuit. Leſſ. *n. 28.*

Mutus, qvi cùm ſit ſuperior, omittit præcipere, conſultor conſulere: cuſtos clamare, aut ſtrepitum edere, ad damnum impediendum.

Non obſtans. qui tenebatur ex officio impedire damnum, vt Princeps, Magiſtratus, præpoſiti viarum.

Non manifeſtans, qui ex officio tenebatur vt cuſtos rei deputatus, qui non manifeſtat malefactorem, ſiue ante factum, quando damnum erat impediendum: ſiue poſt factum, quando ſarciendum erat. Azor *t. 3. l. 4. c. 10.* Sayro *lib. 10. tract. 2. c. 6.* Nauar. & alij.

QVÆSITVM V.

An factores & famuli vſurariorum teneantur ad reſtitutionem?

℟. Factores & famuli, qui faciunt ipſos contractus iniquos: & peccant mortaliter, (quia cooperantur in actione iniuſta) tenētur ad reſtitutionē, quia cooperantur in damno inferendo.

Famuli, qui exigunt nomine dominorum vſuras, & conſequenter directe ſpoliant alterum re ſua: & peccant, & obnoxij ſunt reſtitutioni, ſecundùm Leſſ. *lib. 2. c. 20. d. 21. n. 183.* Quamuis Soto *lib. 6. de iuſtitia q. 1. a. 4. in fine* cenſeat, eos non teneri, ſi non vrgeant, aut cogant mutuatarios vt ſolvant vſuram; & mutuatarij alioquin ſponte erant ſoluturi. Cæteri famuli, qui poſt conſumatum contractum, cooperantur in actione mala, in regeſtro ſcribendo, pecuniam numerando, dando, portando, cuſtodiendo, vel aſſervando pignora, peccant mortaliter, ſed non tenentur ad reſtitutionem, ſecundùm Sot. Azor *t. 3. l. 4. c. 19. q. 7.* Quamuis Nauar. *c. 17. n. 267.* videatur aſſerere eos teneri; niſi hoc ignoranter faciant. *n. 266.*

QVÆSITVM VI.

Quid dicendum eſt de tutoribus aut curatoribus, vel mediatoribus?

℟. Tutores, curatores, etiamſi nomine ſuorum principalium dent ad vſuram, peccant mortaliter, cum obligatione reſtituendi, ſi principales non reſtituant. Idem dicendum eſt de eo, qui eſt interventor ſeu mediator vſuræ, ex parte vſurarij principaliter, vt illi lucrum, & ſibi vtilitatem comparet. Secùs ſi principaliter ingeſſit ſe ex parte indigentis, vt ei gratificaretur.

QVÆSITVM VI.

De his verò qui deponunt ſuam pecuniam apud vſurarium, quid?

℟. Si quis committit ſuam pecuniam

cuniam vſurario, non habenti aliam ad vſuras exercendas, quaſi præbens ei materiam peccandi: vel hâc intentione (etiam occulta non manifeſtata) vt ea vtatur ad vſuram, peccat mortaliter *D. Th. 2 2 q 78 a. 4. 3.* Non tamen ad reſtitutionem tenetur, ſi nõ ſuaſit vllo modo vſuras, neque pactũ fecit, aut ad vſuras exercendas facultatem conceſſit, neque particeps vſuræ fuit, *Leſſius ex Caiet.* Aliàs autem tenetur ad reſtitutionem.

Si verò pecuniam committat, quamvis alias non habenti, non ob hunc finem, ſed vt tutiùs ſeruetur, non peccat. *D. Th. vbi ſupra.*

QVÆSITVM VIII.

Cuius impenſis res aliena reſtituenda eſt?

℞. Quando eſt reſtituenda, ex delicto vel quaſi delicto, debet reſtitui impenſis debitoris, etiamſi æquales vel maiores ſint debito & etiamſi creditor locum mutauerit: damnum verò ſuum ſibi imputet qui delictum fecit. Secùs in reſtitutione ratione rei acceptæ tantùm abſque omni culpa, ſeu bonâ fide acquiſitæ, vel ex contractu. *Azor c. 32. & 33. Leſſ. l. 1. c. 15. d. 8.*

Nota hîc ex Leſſio. Si res non poteſt abſq; magnis ſumptibus reſtitui, poteſt differri reſtitutio, ex quadam æquitate naturali, citra tamen damnum Domini veri: & ſi fuerit aliquod ambiguum, per literas eſt petendum, an res poſſit dari amicis, vel pauperibus. Si autem res ſit parui momenti, & ſine duplo vel triplo ſumptu reſtitui nequeat, pauperibus dari poteſt. Præſumi enim poteſt id Domino non diſpliciturum.

QVÆSITVM IX.

Res inuenta, vel ab inueniente, aut etiam fure empta, eſtnè, & quomodo, reſtituenda?

℞. Eſt reſtituenda, etiam pecunia emptori non reſtitutâ, ſi venditor non inveniatur, aut impotens ſit ad reſtituendum. *Leſſ. l. 2. c. 14. d 3. Nau. & alij.*

QVÆSITVM X.

An inuentori rei perditæ licitum ſit, pro inuentione præmium aliquod accipere?

℞. Licet, ſi vltrò à Domino detur, vel ſi ab inueniente impetretur. Exigere tamen nunquam licet, (quia inuentor, alienum ex iuſtitiâ reddere tenetur) niſi præceſſerit promiſſio eius qui perdidit, vel interceſſerit labor, aut impenſæ in re inuenienda, ex parte inuentoris. *Azor tom. 3 lib. 4. c. 27. q. 1. Leſſ. lib. 2. c. 14. dub. 9. n. 66.*

QVÆSITVM XI.

An Confeſſarius, qui per ignorantiam vel negligentiam, abſoluit aliquem ante reſtitutionem iniunctam, ſit obligatus ad reſtitutionem?

℞. Confeſſor in materia & occaſione reſtitutionis, tripliciter ſe gerere poteſt.

1. Tacendo tantùm, ſeu merè negatiuè & tunc non tenetur, Ratio: quia quàmuis teneatur ex officio & iuſtitia omnia facere reſpectu pœnitentis, non tamen tenetur ex iuſtitia, negotium agere tertij: ſiquidem tranſgreſſio

gressio eorum, quæ ex iustitia, non verò ex sola charitate debentur, restitutionem inducit.

2. Inducendo ad non restituendū, seu dissuadendo restitutionem: & tūc tenetur restituere Confessor, casu quo pœnitens paratus esset restituere.

3. Dissimulando, & non respondendo ad interrogationem pœnitentis, siue ex intentione, siue ex ignorantia crassa, siue etiam ex negligentia, non curando discutere casum restitutionis: Tunc enim tenetur ad restitutionem ex vi consensûs interpretatiui; sicut & inducens, *Azor t. 3. l. 4. c. 16 q: 7.* Nauar: *c 17. n. 22* Suar. *t. 4. d. 32. ʃ. 6.* Lessius *l. 2. c. 7. d. 7. n. 33. & c. 13. d. 10. n. 77.*

Sayro *lib. 10. t. 2. c. 14. n. 16.. à supra dictis DD. aliqua ex parte differre videtur.*

QVÆSITVM XII.

An qui furatus est rem aliquam, & illam habet, satis ei sit, restituere æquiualens?

℟. Non satis, sed regulariter restituendum est idipsum: nisi creditor sit æquiualenti vel aliâ re contentus: & nisi per restitutionem eiusdem rei peccator occultus manifestaretur, aut aliud magnum incommodum sequeretur. *Nauar: c. 17. n. 24. & alij.*

QVÆSITVM XIII.

An locans rem furto ablatam, debeat restituere pretium locationis Domino?

℟. Debet. Quia fructus rei Domino ipsius rei debentur, deductis tamen impensis, *Less: lib. 2. c. 12. dub. 17.* Azor *t. 3. l. 4. c. 4.* Nauar: *c. 17. n. 25.* Sayro *lib. 10. tract: 2. c. 5. n. 20.*

Fructus autem dici potest triplex: Naturalis, vt arborum, animalium fœtus, lana, lac. &c. Industrialis, qui principaliter requirit culturam hominis: vt hortorum, agrorum, &c. Ciuilis, vt mercedes ex locatione ædium, vectura nauium, iumentorum. *Azor c. 2. q. 5.*

De lucro autem ex pecunia furtiua, negatiuè dicendum, tenebitur tamen ad interesse lucri cessantis, aut damni emergentis, si & quatenus passus est verus dominus, ob priuationem pecuniæ *Azor cap. 4. q. 7.*

QVÆSITVM XIV.

Qui pro committendo aliquo peccato pretium recipit, an illud restituere teneatur?

℟. Quamuis sint variæ opiniones, dicitur tamen hic breuiter & resolutè, quòd acceptum ob turpem causam, seu propter opus quod est peccatum; opere impleto, non est necessariò restituendum: ante opus tamen impletum debet restitui.

Probabilis etiam est sententia, quod acceptum ob crimen legibus punibile, nisi censeatur esse donatum, est restituendum, vel statim pauperibus, quod est consilij: vel post sententiam, quod erit debiti *D Th: 2. 2. q 32 a. 7* Azor *t 3 l. 4 c. 21. & 30.* Less: *l. 2. c. 14 d 8.*

QVÆSITVM XV.

Quæ causæ non restituentem à peccato excusant?

℟. Duodecim. 1. Inopia debitoris, seu impotentia, 2 Remissio creditoris, 3. Cessio bonorum debitoris.

ris. 4. Damnum creditoris, Reip. vel tertij, 5. Solutio creditori creditoris. 6. Rei debitæ interitus, quia tunc alia æquivalens subroganda est. 7 Iudicis vel iuris authoritas: 8 Religionis ingressus, sed secundùm declarationem Doctorum: 9. Excommunicatio creditoris, 10. Incertitudo creditorum: nam tunc in pauperes facienda est restitutio. 11. Dispensatio, vel compositio cum Papa, quando incerti sunt creditores; cùm Pontifex sit supremus Princeps in spiritualibus, & eius sit de temporalibus suorum subditorum disponere, prout expedit ad bonum spirituale, præsertim quando ipsi veri Domini nequeunt, eò quòd nō sunt noti: Et idem, sit communis parens, pauperum, & causarum piarum. 12. Compensatio si eâ vti potest, & prætendit. Vide *Less l. 2. c. 16. prin. & declarationem in sequentibus dubijs.* Sayro *l. 10. t. 5 c. 6. & seq.* Azor *t 3. lib. 4. c. 39.* Nau: *c. 17. n. 75. numerat nouem, quæ à restitutione excusant.*

QVÆSITVM XVI.

Bonorum incertorum restitutio quomodo facienda?

℞ Eo modo, quem natura rei expostulat, siue apertè, siue occultè. *Azor c. 35.* Nauar: *c. 17. n. 44.* Insinuatur autem hic, cui ista restitutio sit facienda. Itaq; bona incerta, id est, habentia Dominum ignotum, post sufficientem inquisitionem illius, & incerta debita, siue ex contractu, (vt ex deposito commodato, venditione, mutuo) siue ex delicto, (vt ex vsura, furto, damno dato) si nec creditores, nec hæredes supersunt, restituenda sunt in pauperes, saltim iure positiuo, & consuetudine, quamuis non iure naturæ.

Si habens talia bona, verè pauper est, poterit ea tanquam vnus ex pauperum numero sibi retinere, neq; postea tenebitur pauperibus restituere, copiosior effectus, post hanc applicationem. *Less. c. 14. n. 42.* Azor *t. 3. l. 4. c. 16.* Sayro *lib. 10. t. 5. c. 2.*

Nomine verò pauperum, non tantū mendici intelliguntur, sed etiam quibus necessaria ad decentem statum desunt, & quæuis loca & opera pia.

QVÆSITVM XVII.

Infamans proximum delicto verò, an restituere teneatur, & quomodo?

℞. De falso & conficto crimine infamatorem, teneri ad restitutionem famæ, dicendo se falso imposuisse alicui crimen: clarissimum est.

Clarum quoq; est, infamatorem etiam citra calumniam, videlicet veri, sed occulti delicti, teneri ad restitutionem.

Difficultas verò est de modo: ne forsan loco restitutionis famæ, sit confirmatio infamiæ. Nam per aliquos modos confirmaretur diffamatio: Vt si quis diceret, se malè, imprudenter, contra iustitiam locutum fuisse, vel non bene tunc advertisse, & postea deprehendisse, detractorem se fuisse: facilè per talia verba intelligeretur verum fuisse crimen, quod detegebatur.

Per alios verò modos esset cum mendacio, vt si retractans diceret se falsum dixisse, vel mentitum fuisse, intelligendo de falso practico. Quòd hic

hic locum ab aliquibus non habere dicatur.

Et tandem melior modus ab aliquibus assignatur, scilicet ab Azor, *t. 3. l. 5. c. 9 q. 7.*

Non obligatur (inquit) sic diffamās, ad dicendum, se esse mentitum, sed neque id dicere potest.

Satis est, si dicat, se malè fecisse, nec esse sibi credendum, & se esse deceptū, nec semper verum est, quod dicitur ab homine. Et hoc sufficit, quia nō potest plus facere: Ad impossibile autem nemo obligatur. (Vnde hic apparet, quòd facilius est destruere, quàm construere: famam lædere, quàm reparare.) Verùm ista quoque verba apud sensatos confirmarent diffamationem. Prudenter itaque potiùs laudandus esset in illa materia, in qua est infamatus, subintelligendo talem laudem in foro exteriori, vel apud plerosq; illi deberi: aut ipsa dignū esse. *Less. lib. 2. c. 11. dist. 20.*

* *Sed quomodo honor à contumeliante restituendus? ℟. 1. Restitui potest amicâ salutatione. Ostensione maioris beneuolentiæ. Peculiari favore & honore.*

Et talis modus sufficit Superioribus: sc: Prælatis, Dominis, Parentibus, Magistris, erga inferiores. Nisi personæ, sub obedientia constitutæ prærogativa plùs exigat.

℟. 2. Item restituitur honor adhibendo ad mensam. Dando locum honorificum. Qui modus sæpè sufficit inter eos qui sunt paris conditionis.

℟. 3. Restituitur etiam petendo veniam. Quomodo tenētur vti inferiores respectu superiorum. Et sæpè etiam æquales inter se. Si læsus iustè haut satisfactionem exigat. Nec plùs ante sententiam judicis exhibendum. Etiam pro summis iniuriis, Et hoc moribus gentium receptum esse ait Lessius. Sciendum tamen magis humilem veniæ petitionem pro maiori iniuria exhibendam.

QVÆSITVM XVIII.

Peccatnè is, qui iniuriam sibi ab aliquo illatam, refert amico?

℟. Si faciat animo detrahendi, vt se hoc modo vlciscatur, peccat: si autē vt consolationē accipiat ab amico, siue vt querelâ exposita dolor mitigetur, nō peccat (saltim mortaliter.) Durum enim esset, & præter humanam consuetudinem, vt quis cogatur iniurias acceptas, solus in silentio concoquere, Curandum tamen est, ne pluribus dicatur, quàm ad solatium sit necesse: nec nominetur persona, nisi ad necessariam consolationem sit valde expediens; *Less: l. 2. c. 11. d. 12.* Idem dicendum est de detectione alicuius criminis occulti, consilii capiendi causâ, vt vitemus malum, vel ab eo liberemur, vel alteri prouideamus, Neque tunc ad restitutionem obligamur. *Azor t. 3. l. 5. c. 9 q. 3. & lib. 13 c. 7. q. 7.*

Idem tenendum, quando referuntur mala aliorum ad maiorem audientium cautelam, ne scilicet corrumpantur peccatis aliorum. Similiter si narrentur propter maiorem peccantium vtilitatem, ex quadam animi commiseratione, vt auditores provocentur ad orādū pro eis, aut si illi qui audiūt, sint eorū magistri, vel superiores, aut parentes, qvi possunt prodesse & non obesse.

TITVLVS IX.

De vsura.

Habet quæsita 18.

QVÆSITVM I.

Quid sit Vsura, & in quibus rebus consistat.

Definitio est ista. Vsura est lucrũ ex mutuo. Paulo fusior & explicatior. Vsura est lucrum, pecunia æstimabile, immediatè ex mutuo proueniens.

Immediatè verò (intellige) ita vt mutuator intenderit mutuatarium ex vi pacti mutuationis obligare: vel ad minus mutuatarius putet hanc fuisse intentionem mutuantis. Quodsi immediatè proueniat, ex amicitia vel gratitudine, nihil officiet. Nam licet ex mutuo sperare amicitiam, hac ratione conciliandam. Et sperare, quòd ex amicitia illius aliquid vtilitatis mihi proueniet, citra tamen pactũ.

Consistit autem vsura in rebus mutuabilibus, seu mutuo subiectis. Porrò mutuum consistit in his rebus, quæ constat numero, pondere, mensura.

Numero, vt pecunia numerata.

Pondere, vt æs, argentum, & aurum.

Mensura, vt oleum, frumentum, vinum.

Quæ res dicuntur à Iurisperitis accipere functionem, quia vna potest fungi vice alterius, vt frumentum alterius frumenti, & pecunia alterius pecuniæ. *Less. lib. 2. c. 20. d. 1.*

QVÆSITVM II.

Pro re accommodata aliquid accipere vltra sortem, estnè vsura?

℞. Non est, vsura enim locum non habet, nisi in mutuo, à quo commodatum differt. Nam commodatum, propriè sonat gratuitam concessionem alicuius rei quoad vsum, ac proinde per illud (iuxta naturam commodati) nõ transfertur dominium, sicut per mutuũ transfertur. Differt quoq; à locatione, quia locatio fit ob mercedem, commodatio verò gratis.

Stando tamen intra limites commodati, est contra naturam talis contractûs, accipere aliquid vltra sortem, nisi fortè per accidens, ratione adiuncti damni, aut lucri cessantis, occasione commodati, ex parte commodantis: aut ratione deterioris effectæ, ex parte cõmodatarij. Aut si contractus mutetur, vt ex commodato sit locatũ, & tunc nõ erit ampliùs pro re commodata; sed locata.

QVÆSITVM III.

Quod dicitur iustum pretium?

℞. Iustum pretium censetur illud, quod vel à potestate publica, ad bonum commune prudenter est statutũ, quod dicitur pretium legitimum. Vel cõmuni hominum intelligentium æstimatione, consideratis circumstantijs, determinatum; quod dicitur vulgare, naturale

turale ac arbitrarium, tanquam à naturali prudentia constitutum, vbi à Principe vel Magistratu pretium non est impositum.

Discrimen inter hæc duo pretia.

Quod legitimum consistit in indiuisibili, vulgare verò habet latitudinem.

Et communiter triplex dicitur: Infimum seu pium, Medium seu moderatum, & Summum seu rigorosum aut rigidum. v. g. Medium sit 10. Infimum 9. Summum 11. rursum medium 100. Infimum 95. Summum 105. *Leßius lib. 2. c. 21. d. 2.*

QVÆSITUM IV.

Quæ est iusta æstimatio nummorum?

℞. Nummi dupliciter possunt considerari. 1. Formaliter, hoc est, quatenus nummi sunt, vt scilicet sunt mensura rerum venalium, (qui vsus est primarius.) 2. Materialiter, hoc est ratione conditionum, quas habent ex materia, vel figura tali, quæ sunt, puritas materiæ, vel maior aut minor admixtio, antiqvitas, raritas vel copia, vsus vel expendibilitas, portandi commoditas. Et hic vsus est secundarius. Vnde iuxta hanc secundam rationem, sunt vendibiles, & permutabiles, cum alijs nummis. Nec sunt taxati lege, sed habent vulgarem æstimationem, quæ non consistit in indiuisibili. Possuntq; vendi & permutari, cum aliquo lucro, secundùm receptam locorum consuetudinem. *Qui melius penetrare hanc materiam vult, legat. Nauar: cap: 17. n. 226. Azor t. 3. lib: 10. cap: 3. q. 2. Tolet: l. 5. cap: 51. n. 1. Lessium lib: 2. c. 22. n. 27. Et cap: 23. n. 4. Filliuc: p. 2. cap: 4. n. 347.* Ibi disces pecuniam dupliciter posse considerari, scilicet ratione materiæ, & ratione formæ. Rursumque ratione formæ duos habere vsus: Nimirum, vt sit pretium rerum, qua alia emuntur. Et vt permutentur maiores minoribus, & è contra. Intelliges quoq;, quibus ex causis pecunia pluris minorisue æstimetur, quando ratione materiæ tanquam res quædam venditur, locatur & commodatur. Inter quas etiam loci conditio numeratur. Inquantum pecunia eiusdem materiæ, pluris æstimatur in vno loco, quàm in alio.

Nemo tamen in solutionem debitorum tenetur eos acceptare, nisi secundùm æstimationem legalem, quam habent, ex vsu principali.

Itaq; legitimus valor nummorum, vt sunt in vsu primario, est ille, quem princeps sua lege taxat, vel saltim, quāti vulgo in emptionibus & solutionibus debitorum solent computari. Fieri namque potest vt æstimatio nummorum crescat, supra taxam legalem ex appretiatione & vsu vulgi, Principe non contradicente, idq; ob materiæ puritatem, vel pondus, vel quia in locis vicinis pluris æstimantur. Et tūc possunt passim in contractibus eo pretio exponi, quia illud censetur legitimum. *Lessius lib: 2. c. 23. d. 2. n. 14. Nauar: c. 17. n. 295.*

QVÆSITVM V.

Quando valor pecuniæ variatur, quomodo solutiones sunt faciendæ?

℞. Vt huic quæsito plenè satisfiat, & in doctrina clarè procedatur, præmittendæ sunt quædam distinctiones ad percipiendum rem, necessariæ.

1. Quòd hæc interrogatio potest locum habere, tam in soluendis debi-

tis occasione emptionis & venditionis: quàm in debitis ratione mutuationis.

2. Mutuatio hæc aut est pecuniæ, aut frumenti, vini, olei, aliarumq; rerum, vsu consumptibilium quæ consistunt in mensura & pondere.

3. Pecunia mutuata, vel est aurea, argenteavè, vel ærea, seu minuta.

4. Minuta quoque potest esse, aut melior, aut deterior, aut æqualis mutuatæ.

5. Auctio valoris monetæ, aut est à contrahentibus præcognita: aut inopinata, seu ex improuiso accidit.

6. Præcognita verò potest esse, aut certò, aut verisimiliter, aut sub dubio.

7. Si mutuatarius nesciens præmonitus fuit de futura auctione precij, vel non. Hoc enim est necessarium, vt deliberet secum: num velit hoc onus in se suscipere, vel non.

8. In contractu mutui, aut intercessit pactum de solutione in specie, aut nulla mentio facta est de redditione monetæ eiusdem generis.

9. Adhuc, aut mutuãs seruaturus erat rem mutuatam ad illud tempus, quo precium augendum erat, aut non.

10. Contractui, admixtænè erant aliquæ illicitæ conditiones, vel non: videlicet, si pactum interuenit, vt solutio non fiat ante certum tempus, quo speratur maius pretium.

His itaq; distinctionibus præmissis, resolutè per propositiones respondemus.

Propositio prima.

In debitis occasione emptionis & venditionis, creditor non potest plùs exigere, quàm illud pretium, quo res valebant, quando venditæ sunt *Tolet: Inst: l. 5. c. 34. n. 1. Soto de Iust: l. 6. q. 1. a. 2.* Nisi propter interesse damni accepti, aut lucri impediti verè, & absque fictione: post moram tamen. *Sa, V. Mora: n. 1. Azor t. 3. lib: 7. de mutuo, c. 10. q. 3.*

Propositio secunda.

In debito aut mutuo eorum, quæ consistunt in mensura & pondere, nō secundùm mensuram nouam, si eam aliquando augeri contingat, sed iuxta mensuram, seu modium & pondus, quod erat tempore mutuationis: redditio facienda est.

Quodsi pactum interueniat de reddendo tali & tali tempore; tunc aut certò verisimiliterue creditur eius pretium auctum iri, & mutuator illud frumentum vel similia, non seruaturus erat vsque ad illud tempus; peccaret, si in æquali mensura, vel pretium illud maius seu augendum reciperet, cū obligatione restituendi. Si verò seruaturus erat, & præterea libertatem soluendi ante præfixum tempus (quo fortasse minoris constaret) mutuatario non ademit, non peccat. *Nau: manu. c. 17. n. 219.* Debet tamē detrahere expēsas pro custodia & damna diminutionis, vel corruptionis, quibus asseruatio diuturna subest. *Filliuc: p. 2. t. 34. cap. 3. n. 49.*

Vnde si mutuarius illo intermedio tempore sibi non cōsuluit soluendo, ipsi imputandum est. *Soto de Iust: lib: 6. q. 1. a. 2.*

Si verò dubium erat, an tunc pluris vel minoris esset valiturum, nullū peccatum esset: quia vtrinque periculum versaretur lucrandi, aut perdēdi,

di. *Nânar: & alij.* Si omninò ignotum, sed casu illud tempore statuto pluris valuit, nihil peccati est, vt iam ab initio dictum est.

Si certum, vel probabilius, quòd valebit minus, poterit mutuans exigere maiorem mensuram, aut præsens pretium: secundùm qualitatem certitudinis, de diminutione pretij.

Propositio tertia.

In mutuo pecuniæ, potiùs habetur ratio antiqui valoris. Nam si etiam casu, & ex improviso, auctio vel diminutio valoris monetæ, tempore solutionis contigerit, redditio debiti erit secundùm valorem antiquum, qui erat tempore mutuationis. v. g. Si quis mutuaret alteri centum aureos, quorum quilibet valebat tempore mutuationis duos florenos, postea insperatè Princeps aut Communitas augeret valorem eius ad 4. florenos, mutuarius non tenetur dare florenos 400, sed 200, qui tempore mutuationis adæquabant illos centum aureos. Sicut si augeretur modius frumenti, qui mutuò accepit modium, cùm esset minoris mensuræ, non tenetur reddere in mensura aucta, sed illa minore priori. *Tolet n. 2. Sa* V. Mutuum, *n. 9. Soto vbi supra. Ioan: Medin: de rebus restit: q. 38.* §. Est itaq; in summa *Lessius l. 2. d. 17. n. 149. & 151. Filliucius n. 57.* Et si solutio fuerit per aureos; tantùm 50. reddet. Sicut per oppositum diminuto valore, plures aureos reddere debebit, ita vt exæquari possit summa tunc (tempore mutuationis) resultans ex illis aureis.

Azor tamen *p. 3, lib: 10. cap: 7. q. 2.* oppositum tenet. Nam post duas opiniones contrarias (quarum vna censebat solutionem faciendam esse secundùm æstimationem, quam habet moneta grossior tempore redditionis: altera verò asserebat, quòd secundùm valorem qui erat tempore mutuationis) subiunxit. Mihi videtur solvendum esse iuxta æstimationem quam habet tempore solutionis, vt tibi mutuo vnũ aureum, qui nunc valet 11. Iulios Italicos, tempore verò solutionis 12. æstimatur; necessè est, vt mihi reddas 12. Iulios. Nam si ego velim acquirere aureum, illum nequibo comparare aliter quam 12 Iulijs.

Has duas contrarias opiniones posset fortassè aliquis sic conciliare. Quòd aucto valore grossioris monetæ, & seruatâ eadem bonitate monetæ minutioris, solutio per monetam minutam facienda est, secundùm æstimationem antiquam. Sed si moneta minutior est depravata notabiliter, solutio per eam facienda est, secundùm taxam præsentem in tali pecunia.

Sit hæc conciliatio sub Iudice. Ego enim determinare non audeo, sed alijs iudicandum relinquere malo. Quod si computatio fuisset, secundùm monetam minutiorem, in florenos, marcas, sexagenas, tunc sufficiet tempore solutionis exhibere currentem monetam, Vnde *Filliuc. n. 58.* Si valor pecuniæ idem est, sed materia mutata quoad puritatem & pondus, atq; adeò quoad bonitatem intrinsecam, videtur satis esse reddere nummos eiusdem valoris, etiamsi pondus differens sit. Idem dicendum, si aureo adderetur plùs ponderis, vel detraheretur, dummodo valor non varietur.

Por-

Porrò solutio esse potest etiam in alia moneta, quam debitor maluerit, etiam inuito creditore, vbi talis est cõsuetudo. *Azor t. 3. c. 10. q. 1.* si non est expressum, sub qua materia pecunia reddenda sit. *Filliuc: n. 57.*

Propositio quarta.

Seclusâ variatione valoris, potest creditor obligare, mutuatarium ad solvendum in simili pecunia. *Azor t. 3. l. 7. c. 10.*

Addit *Filliuc: vbi supra.* Quamvis validum sit pactum, reddendi mutuum in eadẽ materia, tamen consuetudine contrarium est receptum: sed quando mutuatarius renuntiaret huic consuetudini, deberet solvere pecuniam eiusdem materiæ: Quæ si casu augeretur vel diminueretur, in favorem vel onus debitoris esset. In favorem quidem; quia pauciores aureos daret, si valor auctus est: in onus autem si decresceret, quia ad numerum antiquum superaddere debebit, vt exæquet summam sibi mutuatam, iuxta valorem antiqvum, & non novum.

Quòd si mutuatarius non posset eandem materiam habere: & mutuans exigeret: posset ille ad arbitrium bonorum virorum vltra sortem accipere, si revera priuatus est aliqua commoditate. Debitum tamen solvens per minutiorem monetam, debebit iuxta illum valorem antiquum grossioris monetæ, computare; vt puta flor: 2 vel 4 in singulos aureos, qui scilicet erat tempore mutuationis. Verùm qui mutuaret monetam minutiorem, & obligaret ad auream vel argenteam reddendam, vsuram committeret. *Azor ibid.* Onus enim debitori imponeretur quærendi aureos: & meliùs commodiusq; perciperet quàm dederit.

Propositio quinta.

Qui mutuat numisma crescens in dies quoad valorem: si seruaturus illud erat vsq. ad certum terminum, potest in pactum deducere, vt sibi solvatur secundùm illam maiorem æstimationem, quam habebit tempore solutionis, ad quod servare decreverat, dummodo præmonuerit in hoc mutuatarium, & non auferat libertatem ipsi, exonerandi se ab illo debito, ante illud tempus, si quando ei placuerit, vel soluere poterit. *Azor lib: 5. de Vsur. c. 7. q. 5.* Nauar: *c. 17. n. 219.* Quod si in pactum non deduxerit, non poterit compensationem petere, quamuis per obliuionem id fecerit: sicut etiam de interesse damni infra dicetur.

Propositio sexta.

Quando tempore mutationis, non est certum pecuniam plus valituram, sed tantùm dubium est, vtrinque æquale, plusnè, vel minus valebit (solet enim esse talis pecuniæ variatio in nundinis: & ante ipsas incertitudo) tunc licebit bona conscientiâ pacisci, de reddenda pecunia, in eadem materia, cum hac additione, s. siue plus siue minus valebit. Quia vterq; exponit se periculo perdendi aliquid, aut saltim nihil lucrandi. *Azor*, Nauar.

Propositio septima.

Qui scit certò aut probabiliter valorem pecuniæ ascensurum, & non est talem monetam vsque ad illud tempus seruaturus, vsuram committit, si paciscatur de reddenda pecunia, secundùm futurum valorem, *Azor, & alij.*

Propositio octaua.

Habens certam pecuniam, quam timet in futurum minus valituram, non potest licitè eam mutuare, eo pacto, vt reddatur secundùm æstimationem præsentem, quam nunc habet. Esset enim vsura: *Azor lib. 5. c. 7. de vsura. c. 7. q. 9. & lib. 10. de Camb. c. 7. q. 2.*

Nisi quando mutuans, statim erat consumpturus illam pecuniam, vel eâ empturus rem, quam posset tantidem vendere, post diminutam pecuniæ æstimationem, quanti æstimatur in præsenti. *Azor l. 5. q. 9.*

Aut quando is cui datur, vult eam in suos vsus similiter expendere, antequam eius æstimatio minuatur. *Azor lib. 10. de Camb.*

Nihilominùs eandem pecuniam minus valituram expendere in præsenti, secundùm præsens pretium, licebit. *Less. lib. 2. c. 21. d. 5. n. 44. & 46.*

Sicut & frumentum, quod minus valiturum timeo currenti pretio vendere licet. *Azor de Vsura. lib. 5. c. 7. q. 6. 7.*

QVÆSITVM VI.

An dare aliquid alteri, cum tali pacto, vt si alteruter intra certum tempus moreretur; pecunia amplius non restituatur: & si vterq; superstes sit, donatarius reddat duplum; sit licitus contractus?

℟. Cum distinctione 1. Nam aut pecunia datur per modum donationis, siue etiam per contractum innominatum (do, vt mihi des:) & sic licitum est, quia neq; ratione mutui datur, neq; ibi mutuum interuenit dummodo id fiat candido animo, sine fraude. *Nau: c. 17. n. 222.*

2. Aut datur per modum mutui, & sic Nauarro videtur vsura. Azorius verò censet non esse vsuram, quia illud lucrum obvenit non ex vi mutui, sed periculi vtrinque. *Tom: 3. l. 5. de Vsura. c. 6. q. 2. Et lib. 7. cap. 7 q. 7.* dicit esse licitum propter incertum & dubium euentum, videturq; esse contractus ludi, & reuera mutuum hic locum non habet, atq; adeò neq; vsuræ labes.

QVÆSITVM VII.

Quomodo in pacto de retrouendendo, committatur vsura?

℟. 1. Ratione pretij, si minoris ematur quàm valeat; tunc enim vendens, præsumitur mutuum palliasse, sub venditionis nomine. *Caiet: sum: V. Venditio. n. 9. Et V. Vsura. n. 5.*

Ordinariè autem de iusto pretio (si alienaretur in perpetuum) detrahenda est quarta pars. Quamuis si apponerentur conditiones, in maiorem fauorem vendentis, & maius onus ementis, minoris posset res illa emi.

Et vice versa, si conditiones fauorabiliores essent emptori, & molestiores venditori, pluris.

2. Ratione intentionis, vt si in animo non sit sinceritas emendi, & vendendi (quamuis ad tempus) sed vsurã palliandi. *Decis: l. 1. c. 107.*

QVÆSITVM VIII.

Societatis contractus quid, & quis licitus, & vt talis ineundus?

℟. Quæsitum hoc tria continet puncta.

1. Scilicet, quid sit talis contractus. 2. Quis licitus. 3. Quomodo ineundus.

Quamuis autem societas in multis inueniri possit, videlicet in officio, *de qua Azor t. 3. l. 9. c. 8.* In vectigalibus. In arte, *Azor, Lessius.* In animalibus, *de qua Azor. c. 7.* In omnibus bonis, *de qua Azor c. 17, 18. & 19.* In negotiatione, seu in mercatura, (quæ dicitur societas quæstuosa:) hîc quæritur de societate in mercatura, utpote magis vsitata, & plurimùm necessaria: Idcircò de hac tractare cogitamus. Eius autem descriptio talis esse potest,

Societas negotiationis, est conuentio duorum vel plurium, de communi eaq; honesta mercatura facienda, ad commune lucrum habendum, ex his quæ singuli socij in commune contulerunt.

Vt autem talis contractus sit licitus, quatuor conditiones requiruntur,

1. Vt negotiatio sit vera & honesta ad excludendam eam, quæ neq; est vera, sed conficta, ad palliandam vsurã; neq; honesta, vt illa quæ est in furto, rapina, vsura, & alio maleficio,

2. Vt singuli aliquid conferant, siue pecuniam: siue industriam, operam aut laborem; siue instrumenta, ut nauem, currus: siue animalia, aut alia bona necessaria ad negotium: prout conuentum fuerit.

3. Vt æqualitas inter socios in omnibus seruetur, Hæc autem æqualitas intelligitur, quoad impensas, lucra, & damna: ita vt quisque secundùm proportionem, æstimationem, & valorem collatorum ad commune, impensas faciat, lucrum reportet, & damnum sustineat.

Nam lucrum quoq; diuidendum est, vel in partes æquales (si illa quæ conferuntur æqualem valorem habent) vel in partes proportionales, si illa quæ erant collata, non æqualem æstimationem habeant. v. g. vnus contulit mille, alter centum. Lucrum diuidetur proportionaliter, vt secundus accipiat vndecimam partem lucri, primus verò decem tales partes. *Nauar & alij.*

4. Vt singuli socij, sint periculo expositi, respectiuè: hoc est, ille qui deposuit pecuniam, (instrumenta, aut quodcunque aliud) solus patiatur damnum, si illa casu fortuito perierit, aut detrimentum passa fuerit ex parte, vel in toto, propter negotiationem; neque tenebitur socius mercator damnũ resarcire, nisi huius culpâ intercesserit. *Azor cap. 2.* Siquidem quælibet res, domino suo perit. Et pecunia collata (quoad dominum) non transit in societatem, sed est deponentis (quamuis vsus eius sit communis) vnde etiam ante omnia si extat, restituenda est deponenti post negotiationem.

Similiter, si præter summam capitalem, in fine negotiationis, nihil lucri apparuerit, damnum in sua industria, & labore, subibit socius negotiator, neque tenebitur alter socius compensare, ex sua sorte principali, si remansit.

Quo pacto autem sit ineundus: sciendum est quòd hoc fieri potest multipliciter.

1. Dum plures simul vnum cumulum suarum pecuniarum congerunt, communesque habent ministros, & alia instrumenta. *Decis. lib. 2. c. 120.*

2. Si plures æqualiter conferant non tantùm pecuniam, sed etiam industri-

duſtriam, operam, laborem, &c.

3. Quando unus ponit pecuniam, alius inſtrumenta, tertius induſtriam, quartus operam & laborem, *Azor c. 1.*

4. Cùm vnus collocat pecuniam, alius induſtriam, operam & laborem, *Azor.*

Leſſius lib. 2. c. 25. d. 2. quatuor modos aſſignat, poterit, qui voluerit videre.

Nihilominus quatuor reſtant adhuc dilucidanda.

1. Dubitatum eſt olim (inquit *Azor c. 4. q. 2.*) quomodo induſtria & opera hominis, poſſit exæquare tantique æſtimari, quanta poteſt eſſe ſumma pecuniæ, præſertim quando aliquis cõfert decem aut centum millia aureorũ, vt propterea poſſit æquale lucrum accipere, cum eo qui tantam ſummam repoſuit. Sed hoc facile intelligemus, ſi conſiderabimus; quod pecunia ex ſe ſterilis eſt, Fœcunda verò, vt ſubeſt induſtriæ humanæ, Quæ quidem induſtria in aliquibus ſolertiſſima, ſagaciſſimaque ad lucrandum, & excogitandum modos exquiſitos, inuenitur; ita, vt iudicio omnium cenſeatur æquipollere tantæ ſummæ; & omnes, quàm libentiſſimè cum ipſo talem ſocietatẽ, (collocata quantumcunque ſumma) contraherent: in alijs media, in cæteris exigua, adeò, vt vix florenus vnus vel alter eius concredetur. Et ſimiliter opera vel labor exercetur, aut in locis tutis nullam difficultatem habentibus, aut periculoſis, arduis, &c. Itaq; accedente iudicio ac æſtimatione peritorum mercatorum, hæc æqualitas ſtabiliri poteſt, Nam aliquando contingit, vt induſtria vel opera vnius, tantũ conferat ſocietati, quantum pecunia alterius. quemadmodum *l. ſocietas ff. Pro ſocio* dicitur, Et *l. ſi non fuerint,* additur; quod plerumque tanta eſt induſtria ſocij, vt ipſa plus ſocietati conferat, quàm pecunia. Poſſet & aliter declarari iſta æqualitas, ſecundùm *Azor c. 4 q. 4.* Et aliter, ſecundùm Iacob. *Graff. l. 1. c. 120. n. 7.* Verùm ſufficit ſupradicta, quæ eſt quaſi germana declaratio, moralem continens æqualitatem.

2. Lucri nomine (quod debet eſſe commune) intelligitur omne illud quod remanet (deductis expenſis, & damnis ſi quæ intercesſerint) ex negotiatione, vel cauſa negotiationis prouenit: non autem, ſi aliunde: vel ſola occaſione negotiationis accidit; vt ſi occaſione ſocietatis, contraxit quis amicitiam vtilem cũ aliquo, aut notitiam cum Principe, cui quia placuit perſona illius ſocij, Princeps donauit ei aliquid: tunc enim tale donum ſocius communicare non tenetur *Azor c. 4. q 8.*

3. Nomine damni, illæ tantùm iacturæ accipiuntur, quæ ex ipſa ſocietate tanquam ex cauſa deſcendunt, & tales ſimiliter debent eſſe communes, vt ſi ſocius laborans pro ſocietate diripiatur à latronibus, vel naufragium patiatur, vel morbo corripiatur, &c, vel captus ab hoſtibus, vel in ſeruitutem redactus, redimat ſe ſuis pecunijs; tenetur ſocietas ex communi ei compenſare omnia: non autem quæ ſocij ſolâ occaſione ſocietatis ſentiunt.

Vt ſi quis occupatus negotijs ſocietatis, patrimonium ſuum negligentiùs adminiſtrauit, vel non potuit proficiſci ad ſuſcipiendum legatum ſibi factum, aut aliter iratus (propterea quod talem

talem iniuit societatem) mutauit testamentum, in quo per illum factus erat hæres, &c. non imputatur societati. *Azor c. 5. q. 4.*

4. Impensæ quoq; illæ debent esse communes, quæ causa talis negotiationis fiunt, siue sint in iumenta, nauigia, ad merces exportandas, vel traijciendas: siue vasa ad asseruandas, vel ad ipsas meliores reddendas, vel ad famulos conducendos, siue in medicos (casu quo laborans pro societate in morbum incideret) siue etiam pro victu quotidiano: non deductis impensis, quas alioqvin domi suæ fecisset, si hac de re expressè inter socios conuenerit, aut consuetudo talis fuerit: secus, si neq; pactum intercessit, neq; consuetudo extet. *Azor c. 5. q. 8.*

QVÆSITVM IX.

Quis dicatur vsurarius manifestus, & à quo absoluendus?

℞. Manifesti sunt dupliciter, scilicet, iure & facto, seu euidentiâ. Facto quidem, qui ita palàm dant ad vsuram, vt nulla tergiuersatione factum celari possit.

Iure verò, qui iudicis sententiâ de hoc crimine sunt condemnati, aut qui legitimè in iudicio per idoneos testes sunt conuicti, vel etiam confessi in iudicio.

Quoad absolutionem. Vbi hic casus Episcopo reseruatus est absolutè, ad illum pœnitens est remittendus, aut per Confessorem facultas petenda. Cæterùm in Synodo hac, non video inter reseruatos casus. Papalis quoq; non est, quia non est ipso iure excõmunicatus, *Less. l. 2. c. 20. d. 22. n. 186.*

Dicendum itaque est, quòd non admittendus est ad confessionem, donec satisfecerit re ipsa pro sua facultate, vel idoneam cautionem dederit pignoratitiam, vel fideiussoriam ipsis creditoribus, (si præsentes sint) vel in eorum absentia Ordinario loci aut eius Vicario, vel Parocho, coram testibus fide dignis, vel Notario publico habenti, mandatum à loci Ordinario. Si talẽ cautionem præstare non potest, debet iurare, se non posse in præsenti, & se facturum, curaturumq; quidquid poterit, vt fiat restitutio.

Si periculũ non patiatur moram, statim absolvendus est, & postea cautio exigenda. *Lessius.*

In Synodo *c. 60. f. 170.* multa dicuntur vtilia circa vsuras, Et *Sayro lib. 10. t. 5. c. 5. n. 27. & 31.* Et quoniam existimo non omnes ad manum habituros Synodum Diœcesis Cracouiensis: idcircò decreui summariè perstringere, ea quæ ibi de hac materia dicuntur, Dicuntur autem septem.

1. Interdicitur Sacerdotibus sub pœna suspensionis ipso facto ab officio, & restitutionis accepti, ne à manifestis vsurarijs oblationes accipiant, nec eos ad communionem admittant, neque ad sepulturam, si in tali peccato moriantur.

2. Præcipitur vt ipsi vsurarij, tam spirituales, quàm seculares, qui resipiscere noluerint, tam diu excommunicati publicè denuncientur, donec restituant extorta per vsuram. Ad hoc tamen prærequiritur declaratio, per officium ordinarij facienda.

3. Modus restituendi duplex præscribitur. Primus extra articulum mortis.

mortis, 2. In articulo mortis. Extra articulum quidem mortis, tria; 1. Vt vſurarius volens reſtituere, denuntiet Confeſſario, vſurarum & facultatum ſuarum quantitatem. 2. Confeſſarius (ſi ſufficiunt facultates) iniungat confitenti, vt omnes vſuras reſtituat: ſi non ſufficiunt, partem vſurarum ſolvendam in præſenti deſignet: reſiduam autem differat ſolvendam, cùm maiores facultates habuerit: adhibitâ tamen ſufficienti cautione. Nomine autem ſufficientis cautionis, illa triplex intelligitur. 3. Vſurarius reſtituat his, à quibus extorſit. Qui ſi non extant, hæredibus reſtitutio fiet. Deficientibus etiam hæredibus: impium lucrum totum conuertatur ad pios vſus, ſecundùm iudicium Parochi & Confeſſarij, vel Archidiaconi viſitantis; dummodò iniqua ſumma, duos aureos non excedat. Nam ſi excedat; ſatisfactio, vel cautio præſtanda erit in manibus Epiſcopi. Et hoc modo poſtea abſolui poterit, à quocũque voluerit Confeſſario, & non aliter.

4. Qui verò pœnitentiam ad horam mortis diſtulerit, & contemptis clauibus Eccleſiæ excommunicationẽ corde indurato ſuſtinuerit, tamen vrgente periculo abſolutionem petierit, tunc tria ſeruanda erunt. 1. Ante abſolutionem iurare debebit ſe reſtituturum acquiſita per lucrum. 2. Manifeſtabit Pœnitentiario ſuo, bona mobilia & immobilia. Ipſe autem Confeſſarius præcipiet integram reſtitutionẽ, ſi facultates fuerint ſufficientes: vel ſi non ſint ſufficientes, iubebit, vt vſurarius partem vſurarum perſolvat: & de reliquo perſolvendo, coram Vicario Epiſcopi, vel ſaltim Parocho, fideiuſſores ſtatuat: qui fide iubeant, quod vſurarius recepta ſanitate, & aucta facultate reſtituet, vt ſupra dictum eſt præcedenti numero, conditione tertia.

3. Quodſi fideiuſſores non extiterint & vſurarius ægrotans oſtendat ſigna veræ pœnitentiæ: tunc ſatis eſt quòd iuret, ut præfertur, Quo facto ad Sacramenta & alia admittatur.

5. Idem modus debet obſervari circa res vagas, oblatas, vel malè acquiſitas.

6. Sacerdos etiam regularis exemptus, ſi non ſeruatâ præmiſſa forma, talem vt præfertur vſurarium manifeſtũ, præſumpſerit in loco ſacro ſepelire, authoritate Concilij Viennenſis, ipſo facto eſt excommunicatus. Neq; poterit abſolui, niſi Epiſcopo ſatisfecerit pro iniuria irrogata.

7. Declaratur, qui ſunt vſurarij, per duodecim numeros.

1. Qui publicè vel probabiliter exercent vſuras.

2. Qui decem marcas mutuant, & vndecimam percipiunt ratione vſuræ.

3. Qui fructus vel prouentus rei pignoratæ, non computant in ſortem.

4. Qui cariùs vendit; quam iuſtũ rei pretiũ exigit, ob dilatã ſolutionem.

5. Venditores qui paciſcuntur, vt ſi pretium rei venditæ tempore ſolutionis creuerit, ipſi lucrentur, diminutionem pretij in ſe non ſuſcipientes.

6. Cùm frumentum, vel aliud quidpiam, minùs purum integrumque datur, vt tantundem integri aut purioris reſtituatur, (quamuis dilatio ad benè placitum, & commodum debitoris concedatur) vſura eſt.

7. Ad

7. Ad contractum emptionis cum pacto retrouendendi, quatuor considerationes adhibentur. 1. Vt emptor habeat verè animum emendi: aliàs enim, si facit, vt fructus & summam totam recipiat, vsura erit. 2. Emptor sustineat rei emptæ onera. 3. Res empta ex natura sua sit fructifera. 4. Pretium iustum detur. Videlicet: si emptor venditori facultatem redimēdi concedit ad sex annos, tunc ex pretio detrahatur quinta pars: vt puta, si valet res quinq́; millibus, dentur quatuor, Si ad decem annos, quarta pars.

8. Si venditor domûs aut fundi, accipit rem venditam ab emptore in Emphiteusim, liuellum aut arendam, maiorem autem soluit censum, quàm sit verus red tus rei: vsura est.

9. Venditor accipiens ab emptore frumentum, pannum, &c. loco pecuniæ: nisi id faciat iuxta pretium, quod in foro publico æstimatur, inique agit.

10. Quando dotalis pecunia marito re ipsa numeratur & traditur, non potest relinqui apud exhibitores vel alios propter lucrum, absque notâ vsuræ. Sed quando pecuniæ traditio differtur, licitè accipitur aliquid correspondens fructibus dotis, ad sustinenda onera matrimonij.

11. Similiter si monasterium non recipit pecuniam oblatam, vt pensionē diutiùs recipiat, vsura est,

12. Declarantur duo illicita esse. Scilicet, quando in oppignoratione tale pactum apponitur, si oppignorans intra triennium non redemerit rem oppignoratam, teneatur creditori vendere: vel eam amittat, seu eius iure cadat.

QVÆSITVM X.

Vendere rem carius creditò, quàm numeratò, an sit vsura?

℞. Regulariter, & ex natura rei est vsura, quando fit ob solam dilationem solutionis, vt passim omnes docent.

Nihilominùs quinque sunt consideranda,

1. Latitudo iusti pretij. Nam vendere numerato infimo pretio, credito verò, summo, non est vsura: quia est intra latitudinem iusti pretij.

2. Si res seruandæ erant ad certū tempus, quo sunt cariùs valituræ: tunc licet pluris vendere, deductis tamen impensis pro conseruatione rei, &c.

3. Ratio habenda est periculi sortis, cui talis mercator exponitur, propter Emptorem infidum & minus securū. Debet tamen verum esse periculum & non fictum.

4. Ratione expensarum & molestiarum, quas timet in recuperanda sorte.

5. Ratione lucri cessantis, vel damni emergentis ex dilatione solutionis, vt si in præsenti habeat emptores, qui præsenti pecuniâ emerent, vel in breui probabiliter sperarentur emptores, ille autem pecuniam conuerteret in negotiationem & lucraretur, *Lessius l. 2. c. 21. d. 6.*

QVÆSITVM XI.

In quo differunt lucrum cessans & damnum emergens?

℞. In tribus. In significatione, materia, & compensatione. In significatione quidem: nam damnum emergens importat detrimentum, quod aliquis patitur propter mutuum, id est,

eò quod alteri mutuat. Lucrum autem cessans, significat omissionem speratæ vtilitatis alicuius, propter mutuum, Prax: for: pœn:

Deindè differunt in materia. Quia damnum emergens est in rebus quas creditor habet, vel quæ ei debentur, Lucrum verò cessans, respicit emolumentum, quod ei non erat debitum, & à quo consequendo impeditur. *Less. l. 2. c. 20. dub: 10.*

Quoad compensationem verò differunt: quia damnum emergens totum est compensandum, quod propter mutuum incurritur. Lucrum verò cessans non totum quod speratur, sed ab arbitrio boni viri, perpensis impedimentis, periculisque lucri consequendi, deductis etiam impensis, si quæ sunt. Quod enim futurum est, nondum est, & multis modis impediri potest.

Exempla vtriusq; interesse. Damni quidem, vt si quis eo quod mutuat, cogitur ipse pecuniam sub fenore accipere, & vsuram soluere, vel res suas minoris iusto vendere. Similiter: habet aliquis domum ruinam minantem, ad quam fulciendam tenebat pecuniam quam mutuat; vel indigebat frumento ad familiæ vsum, quod postea cogetur cariùs emere. Aut volebat censum redimere, vel debitum persoluere: & ob mutuum cogetur vsuram vel interesse, aliquod dare.

Lucri verò, vt si quis pecuniam destinatam negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ, subtrahat illi destinationi, vt alteri mutuet, ac propterea amittat spem lucri.

QVÆSITVM XII.

Quomodo licet exigere aliquid, vltra sortem, ratione damni emergentis, & lucri cessantis?

℟. Quamuis non desint, qui sentiant illicitum esse exigere aliquid ratione damni emergentis; vt *Less: l. 2. c. 20. dub: 10.* refert. Nihilominùs D. Th: *2. 2dæ, q. 78. a. 2. ad 1.* & communiter omnes tenent id esse licitum.

Quod in duobus casibus locum habere potest.

1. Quando mutuatarius est in mora culpabili, hoc est, quando in termino solutionis non soluit, cùm possit soluere, aduertēs creditorē velle sibi solui. *Less. Summ: Cor: De vsura, circa mutuum, c. 7. §. Primus casus. Prax: l. 13. c. 7. n. 70.*

Neq; necesse est, vt creditor eum interpellet de solutione, quia ipse terminus satis interpellat, virtute pacti ab initio conuenti. Et tunc quoque initur tacitum pactum, vt non soluens teneatur ad interesse, defectu solutionis obueniens. *Lessius n. 69.*

Secundus casus, quando ab initio (quod licitè fieri potest) conuentum est, de aliqua pecunia vltra sortem reddenda, ratione damni ex mutuatione impendentis, tunc enim si aliquod euenerit, siue ante, siue post terminum & moram mutuatarij, resarciendū erit.

Requiruntur tamen in hoc secundo casu, duæ conditiones, ad hoc vt licitè compensatio accipi possit. 1. Vt mutuum sit causa damni, ita quod sine mutuo non eueniret, & per mutuū, mutuans effectus sit impotens ad præcauendum impediendumque illud damnum. Addit *Azor t. 3. lib: 5. de Vsura, c. 4.* Si tamen alias habeo pecunias, quibus domum labentem reparare possim, vel amicus alias mihi offert,

tunc

tunc damnum mihi non prouenit ex mutuo.

2. Vt mutuator admoneat mutuatarium illius damni futuri, ne decipiatur, nam fortè nollet mutuum cum tanto onere. *Lessius & Sum: Cor: de Vsura circa mutuum, n. 11. §. Sertius casus.* Quodsi ipsum damnum non est deductum in pactum, mutuatarius non tenebitur pro eo soluere, etiamsi postea eueniat, sed mutuans sibi imputet. Nam eo ipso, quod non deduxit in pactum, censetur illud in se recepisse; nisi debitor fuerit in mora, aut per vim coegerit eum sibi mutuare. Hoc interesse quamuis bona conscientia possit accipi, rarò tamen aut nunquam est in vsu.

Quoad lucrum cessans licitum est pacisci tempore mutuationis pecuniæ, de lucro cessante cum mutuatario, seruatis tamen quatuor conditionibus.

Prima. Vt verè ac sincerè pecunia sit destinata negotiationi, quæ etiam negotiatio sit parata & in promptu: vt Caier: V. *Vsura, casu 5.* ait. *Less:* verò *n.* 86. docet, satis esse si absolutè sit destinata certæ negotiationi, aut etiam in genere, vt fit à quibusdam, qui in omnem lucrandi occasionem sunt intenti: dummodo merces sint certæ, & lucrum.

2. Vt mutuatio verè sit causa lucri cessantis, ita vt neque arte mutuans posset commodè compensare totū lucrum negotiationis, neque habeat aliam pecuniam otiosam, quam commodè posset in mutuatæ locum subrogare, & eidem lucro destinare. Quamuis computari non debeat inter otiosas pecunias, reposita ad alios euentus, vt ad alendam familiam, dotandas filias, prouidendum senectuti, vel ne mutuans exponat statum suum periculo. *Less: n. 87. Sum: Cor: Azor c. 5 Tolet l. 5. c. 33 n. 1 Caiet: V. Vsura.*

3. Conditio. Vt lucrum habeatur in spe certa, siue probabili, & mutuans non tantum exigat, quantum est lucrum speratum: sed minus, arbitrio boni viri. Deducenda enim est æstimatio laborum, expensarum, & ratio habenda præsentiæ ac certitudinis. Nam plus valet, quod præsens est: & minùs, quod futurum est, ac propterea incertum, multisq; modis impediri potest, vt D. Th: ait.

4. Vt præfati lucri compensatio non exigatur statim dato mutuo, sed convenienti intervallo. *Less:* Nam hæc anticipata solutio erit vsuraria. *Azor c. 5. q. 3. fin: Ioan: Med. C. de rebus per vsur: q. 3.*

Vltima potest apponi conditio, aut potiùs monitio, vt hæc intelligantur, dummodò omnis dolus & fraus palliandi vsuras, absit. *Nauar: c. 17. n. 21.* Et præterea secluso scandalo, ad euitandum peccatum, *Decis: l. 2. c. 105. n. 14.* Num: autem 34. subiungitur: Cùm interesse lucri cessantis requirat tot conditiones, ideò consulendum est, vt a tali contractu abstineatur, post factum tamen seruatis prædictis conditionibus, contrahentes non sunt condemnandi, nec tenentur ad aliquam restitutionem: ex D. Ant: & Nau.

Prax: *lib: 23. c. 8. n. 83.* Id, inquit, quod est admissum in peculatione, dissuadendum est in praxi, antequam fiat, tum quia paciscentes sæpiùs mentiuntur,

tur, tum quia difficilè est, vt omnes conditiones simul concurrant, & obseruentur.

Extenditur autem interesse lucri cessantis soluendum non tantùm ex pacto, sed etiam & ex post moram debitoris. *Caiet: 22: q. 88. Nau: & Sum. Cor:* seruatis tamen conditionibus.

Multæ autem in *Sum: Cor:* enumerantur conditiones, non aspernendæ, Sicut etiam in Prax: for: pœn: *lib: 23: n. 7.*

QVÆSITVM XIII.

An pro pecunia dotali liceat fructus aliquos accipere?

℟. Si pecunia iam est in manibus, & dispositione legitimi possessoris, eam non licet conuertere ad contractũ iniustum, propter lucrum acquirendũ. iuxta modum corruptæ consuetudinis, siquidem neque pro redemptione captiuorum, licitum est vsuram committere, *c. super eo. de Censuris.* Et *Nau. Cons. 2. de Vsuris, lib: 5.* Et *Man: cap: 17. n. 257.*

Nihilominùs, si eadem pecunia dotalis, vel pupillorum ac viduarum, subijceretur licito contractui, & reduceretur ad aliquem iustum titulum & modum (de quibus *Valentia t. 3. disp: 5. q. 25. p. 2.* postquam in primo puncto enumerauerat iniustos modos) posset licitè fructificare.

Modus autem iste est, si inirentur & coniungerentur tres contractus, cũ mercatore, ex parte pupillorum. 1. Societatis. 2. Assecurationis summæ capitalis; hoc est, susceptionis periculi in se, & obligationis reddendi sortem principalem, etiamsi perierit, 3. Venditionis & emptionis lucri maioris incerti, pro minori certo. Et tunc si ratione societatis lucrum sperabit; v. g. quindecim pro centum. Ratione assecurationis, detrahentur quatuor ex quindecim. Ratione venditionis, dabuntur alia quatuor. Itaq; residuum, scilicet septem accipiet pupillus, tanquam lucrum pro sorte sua.

Cæteri modi recensiti à Valent: præter hunc; vel hîc locum non habent, vel periculis pleni sunt, *Less: l. 2. c. 25. dub: 3. n. 31. & sequ.*

Quod si pecunia nondum peruenit ad manus, sed genero debita apud socerum sit; aut viduæ relictæ, ab hæredibus nondum sit restituta; tunc gener potest percipere fructus vltra dotis sortem, siue ex fundo sibi tradito causa dotis, siue ex pacto de soluendis tot florenis, singulis annis pro centenario, ratione interesse onerum matrimonij, vel lucri cessantis. *Decis. l. 2. c 108.*

Idem dicendum de vidua, & de separata per diuortium. *Decis. 5. Nau: Man: c. 17. n. 23. Soto 6. de Iust: q 1. a. 2. Prax: lib: 25. n: 238.*

Nota hîc duo, circa primum punctum.

1. Quod isti tres contractus possunt iniri, siue cum eodem socio, mercatore: siue cum alijs tribus, & siue in continenti, siue ex interuallo. *Nau: c. 17. n. 253. Decis: lib. 2. c. 120. n. 38.* Quamuis Azor *t. 3. l. 9. c. 3. q. 6. & c. 4. q. 3.* aduersetur, & vsuram esse contendat, si cum vno & eodem, prædicti tres contractus fiant: sed optimè rationes soluit. *Less: l. 2. c. 25. d. 3.* vbi pro hac sentẽtia, multos citat authores.

2. Quod

2. Quod non est necessarium semper, hos contractus fieri expressè, sufficit enim, vt contrahentes implicitè eos intendant, per vnicum contractũ expressum. Vnde potest quis vti hac forma cum mercatore. Confero mille ad communem mercaturam, vt quotannis solvas quinque vel sex salvâ sorte, eo modo, quo Doctores docent id esse licitum. *Less: lib: 2. cap: 25. n. 31. & Val: 22. d. 5. p. 1 q. 21. 25.*

QVÆSITVM XIV.

Prouisio virginum nubilium, quam obligati ad dotem reponendam, soluunt, antequam nubant, vel dotem accipiant, estnè licita?

℟. Si virgo nolit vnquam nubere, sed ex tali prouisione semper viuere, saluâ summa capitali: illicita est prouisio talis. Hoc enim non aliter dari videtur, quam ex vi mutui, vel expliciti vel impliciti.

Quodsi intendant nubere, videtur licita esse, tum ratione legis, sic disponentis (vbi est facta) tum ratione piæ consuetudinis, tum ratione tacitæ donationis parentum intendentium, dotis in sua integritate conservationem, vsq; ad realem eius exhibitionem, tum quia illa prouisio potest computari in supplementum dotis, vt in simili dicitur, in *Decis: lib: 2. c. 106. n. 3.*

QVÆSITVM XV.

An conditio pupillaris, excusare possit à peccato & restitutione, si capiatur aliquod lucrum vltra sortem?

℟. Non potest excusare. Nam si tutor exposuerit pecunias pupilli vsuris, (quamuis non potuerit aliter ex eis lucrari) tenebitur pupillus ad restitutionem, & similiter tutor) vbi pupillus nequiuerit vel noluerit) tanquam cooperator. Tenetur tamen adhibere omnem diligentiam, vt ex pecunia pupilli lucrum acquiratur, vel emendo prædia, vel dando mercatori ad partem honesti & liciti lucri, recipiendâ. Qui si negligens fuerit, potest pupillus accipere honestum lucrum à tutore suo. Si autem fecerit tutor quod in se erat, ad nihilum tenetur. *Sylue: V. Vsura. lib. 9. q. 29. Prax: lib: 25. n. 240.*

QVÆSITVM XVI.

Habens pecuniam, sed eâ vti ad lucrum nesciens, nec valens: quâ ratione suæ necessitati consulere potest?

℟. Ex superioribus patet, ipsum non posse illicitis modis victum aut lucrum quærere, poterit autem ad licitos contractus se conuertere, scilicet ad emptionem fundi frugiferi, siue in æuum: siue cum pacto retrovendendi: ad emptionem census annui, (vulgô dicti *Widerkaff*) ad societatem in mercatura, seu mercaturam in societate de qua paulò ante dictum est. Quod si neque ad hos modos pateret occasio, habens autem pecuniam, esset decumbens in infirmitate diuturna, &c. Tunc nõ est aliud remediũ, nisi ex parata pecunia viuere, in Dominum Deum cogitatum iactare, interim magnâ fiducia Dei auxilium expectare. Tandem paratus sit facere, quod faciunt mendici, imò & diuites ad magnam paupertatem redacti. Isti namq; in patientia ege-

egestatem sustinent, & Dominus Deus enutrit eos, subordinat & providet benefactores, aut tandem præmium cæleste, pro indigentiæ tolerantia parat, & suo tempore largitur.

QVÆSITVM XVII.

Facientes contractum illicitum, bonâ tamen fide, quem si sciuissent esse iniustum, non fecissent: an postea veritate compertâ, possint ratione lucri cessantis, tantum retinere quantum iusto contractu lucrati fuissent?

℞. Hanc difficultatem in terminis, tractat. *Less. l. 2. c. 20. d. 12.* Nos huic breuiter respõdebimus negatiuè. Quia emens prædium minoris iusto, bonâ fide, non peccat quidem, sed tamen postea intellectâ veritate, tenetur complere pretium, nec potest excusari per hoc, quod si alium contractum inijsset, etiam plùs lucratus fuisset. Et ratio est. Quia venditor non consentit in illum titulum, neque illius intentio est, rem suam minoris iusto vendere, propter interesse emptoris. Similiter vendens bonâ fide, supra iustum, tenetur compertâ veritate, restituere excessum, quia emptor non intendit compensare interesse venditoris, sed tantùm emere rem iusto pretio. Ita etiam hic, quanquam non peccat, tenetur tamen ad restitutionem. Inprimis ergo rescindendus est contractus illicitus, & quidem quamprimùm, neque enim tutum est in offensa Dei, & iniustitia, vel ad momentum permanere. Deinde restitutio facienda est: ac postea alius contractus licitus (si placebit) faciendus. Nec poterit excusare consensus alterius contrahentium, quia ille non est absolutus, & spontaneus, vt qui procedit ex vi contractûs illiciti, per eum ob necessitatem initi.

QVÆSITVM. XVIII.

An licitum sit ab vsurarijs emere pignora, quæ ipsi passim in ciuitatibus publicè vendunt?

℞. Est licitum. Quia mutuatarij postquam ea reliquerunt pro vsuris, non solent curare, ad quos perueniant; & si rogarentur, libenter facerent potestatem emendi. *Less. lib. 2. cap. 20. dub. 19 n 166.*

TITVLVS X.

De Simonia.

Habet quæsita novem.

QVÆSITVM I.

Simonia quid sit, & quotuplex?

℞. Simonia est deliberata voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali, aliquod spirituale, vel spirituali annexum.

Spirituale hic dicitur, quod est supernaturale quocunque modo: vt gratiæ,

tiæ, Sacramenta, consecrationes, benedictionesq; Ecclesiæ. & omnis vsus potestatis supernaturalis, Spirituali annexum, quod cum aliquo spirituali habet connexionem Vel antecedenter: vt iuspatronatus, qui præexigit ordinem sacrum; sicut vestes, vasa, templa, altaria, benedictionem. Vel consequenter, vt beneficia Ecclesiastica; quia supponunt officium diuinum. Aut concomitanter, vt labor in ministerio Sacramentorum. *Nau: cap. 13. n. 99.*

Diuisio. Simonia (claritatis causa) est quadruplex: Mentalis, tantùm, Conuentionalis tantùm, Realis, & Confidentialis.

Mentalis est quæ latet in mente tantùm seu intentione. Quæ interdum erumpit addationem absq; declaratione iniqui animi, interdum non,

Conuentionalis, quæ etiam ad pacta verè, & non animo decipiendi deducitur: verbo, nutu, vel alio signo: siue in sola tantùm promissione consistat: siue etiam re ipsâ ex vna tantum parte impleatur.

Realis, quæ ad dationem, & acceptionem præmisso pacto peruenit. Et posset quidem subdiuidi, quod vel est vtrinque completa; vel ex vna parte tantum. Sed quia realis hic dicitur quæ omnifariàm est completa: idcirco hæc, quæ ab vna tantùm parte cõpleri incepit, ad conuentionalem reducitur. *Valent: 22. de Simonia, disp: 6. pun: 5.*

Confidentialis, quando alicui confertur, aut procuratur beneficium cum pacto, vt idem conferenti vel procuranti, aliquando resignet.

QVÆSITVM II.

An conferens beneficium indigno, ob consanguinitatem, amicitiam, vel preces, sit Simoniacus?

℞. D. Thom: 2. 2 q. 10. a. 5. 2. ait, non esse Simoniacum propter consanguinitatem vel affinitatem carnalem, conferre gratis aliquod spirituale, quia nihil ibi datur vel accipitur pecuniâ æstimabile. Quamuis ex tali motiuo principaliter conferre, sit mortale, præsertim indigno. *Nauar: cap: 23. n. 107. Azor: t. 3. l. 12. cap. 11. q. 1.* Idem dicendum est de conferente ob amicitiam. *Nauar.*

Quod si hoc in aliquod commodum temporale resoluatur tanquam in pretium; erit Simonia, *Valentia 22. de Simonia, disp: 6. pun: 3.* Exemplum ex Azor. Si quis confert consanguineo, vt inde conferens fiat honoratior, vel opulentior, vel potentior: vel vt consanguineorum, aut propinquorum familia esset clarior, vel ditetur.

Et quamuis aliqui Doctores vniuersaliter dixerint hoc esse simoniacum; tamen latè & generaliter vsi sunt nomine Simoniæ; scilicet, in quantum datur beneficium ob aliquam inordinatam causam, vel motiuum. *Less: dub: 20. Azor t. 3. lib: 12. cap. 11. Val.*

Sicut & de precibus specialiter aliqui asseruerunt. Nam conferre alicui beneficium propter preces, vel obtinere per preces etiam interueniente indignitate, non est propriè Simonia. Nisi preces pro pretio fiant, & accipiantur; vt ait *Nau: cap. 23. n. 100, & 107.* Vel exauditio precum resoluatur in aliquod commodum temporale, tanquam pretium, vt *Valent: soto. & Azor,* aiunt; videlicet, si exaudiens preces, favorem ab

ab exaudito quærit, aliquam vtilitatē expectat, benevolentiam sperat, obligationem oblatam suscipit, iram & odium metuit, honori ducit quòd à talibus rogetur, *D. Th: 2. 2. q. 100. a. 5. Azor c. 18. q. 3.* Vel nisi aliquod pactū interveniat, tacitum vel expressum: vt Less: docet, *dub: 20. & Soto de Iust: lib: 9. q. 7. a. 3.* Aut etiam vt preces interponantur, apud alium, in ipsius collatoris vtilitatem, *Less:*

QVÆSITVM III.

Quomodo dignoscetur, qui inservit alicui Prælato, pro beneficio obtinendo, an sit Simoniacus?

℟. In confessione, tribus modis id cognosci potest. 1. Per distinctionem præpositionis (pro) Nam potest importare, vel causam finalem, vel impulsiuam, siue excitativam. Et quidē si dicat causam finalem, videlicet quòd spes beneficij moueat, tanquam finis principalis & immediatus ad inserviendum, proculdubiò erit Simonia.

Quòd si tantùm excitet & impellat, finis tamen immediatus obsequiorum est salarium, aut alius iustus vel honestus respectus: tunc non erit Simonia, vt sequenti quæsito patebit, vbi etiam periculum latens aperietur.

Hanc doctrinam suppeditare videtur Nauar: *c. 23. n. 100. ibi Quarto.* Declarationem verò terminorum de causa finali & impulsiua, videre poteris in opere morali. *Sanch. lib: 4. c. 2. n. 38.* & de Matrimonio. *lib: 8. c. 21. n. 8. & c. 30. n. 9.*

Azor *t. 3. lib: 4. c. 24.* breuiter declarat: Finalis, inquit, est, propter quā aliquid fit, & quā non subsistente, non fieret. Impulsiua, quæ est causa vt facilius, citius, vel promptius fiat: & qua non existente fieret, sed non ita faciìè, citò, vel commodè.

2. Dignosci potest ex discussione intentionis. Nam si obsequia sumit pro pretio assequendi beneficium: ita quòd ex vi obsequiorum immediatè expectat illud; est qvasi emens ipsum, ac proindè simoniacus.

Quod si non ex vi servitij, sed vi favoris comparandi per obsequia, sperat beneficium, non est Simoniacus. Quod in sequenti quæsito melius declarabitur.

3. Ex medio, videlicet si pactum mediat & interuenit, vt loco stipendij, aut etiam cum illo, accipiat beneficiū: *Azor t. 3: lib. 2. c. 18. q. 2. & Less: lib: 2. c. 35. d. 20.*

* *Hic reflexio habenda est ad sententiam quadragesimam quintam ab Innoc. XI. damnatam. Sc. Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium sed duntaxat tanquā motivum conferendi, vel efficiendi spirituale. Vel etiam, quando temporale, sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.*

Sed Author his non contradicit, si attendatur titulus quæsiti & ea quæ hic & sequenti titulo dicuntur. Quare solùm intendit Author cum communi apud Bonac: tr. de Simonia q. 6. puncto 1. posse beneficium excitare, non ut motiuo obsequij vel per obsequium (hoc enim damnat Innoc. XI. prop. 45.) Sed ut occasione obsequii motiuo gratitudinis vel per gratitudinem, vel alio honesto titulo v. g. Scientiæ beneficium conferatur, quod tamen Author docet esse periculosum. Hæc intentio Autho-

ris eli-

ris elicitur ex § penultimo præsentis quæsiti. Item ex fine secundi §. & §. 4to sequentis quæsiti. V. 1. Sent: Mor: d. 33. conc. 3.

QVÆSITVM IV.

Quomodo per munus à manu, à lingua, & obsequio, committatur Simonia?

℟. Munus à manu (secundùm D. Gregorium) est pecunia, & omne donum, quod intuitu obtinendi spirituale datur: vt equus, torques, annulus, &c.

Talia si dantur ex pacto, erit Simonia completa: si absq; pacto, sed cum intentione secreta, obtinendi rem spiritualem, erit Simonia mentalis. Si verò dantur ad conciliandam amicitiam tantùm, non erit Simonia; verùm periculosum est. *Less: lib. 2. c. 35. dub. 20.*

Munus ab obseqvio: si quis obsequium præstet Episcopo, Collatori, &c. vel inseruiat ijsdem cum expresso vel tacito pacto, vt beneficio compensetur, aut saltem tali intentione non manifestata, erit Simonia. *Less: lib. 3. 35. dub. 20.*

Si verò, vt ipse collator, serui scientiam, & dexteritatem perspectam habens, moueatur ad conferendum ei beneficium, non erit Simonia in foro conscientiæ, etiamsi gratis seruiat, dūmodò non intendat obligare tacito aliquo pacto collatorem, nec collator sentiat se esse obstrictum. Non enim præstas obsequia, vt Episcopum obliges, sed vt talenta tua ei innotescant. *D. Thomas. & Lessius.* Ad conciliandā verò amicitiam inseruire, æquè periculosum est, ac in munere à manu. *Less.*

A lingua, vt est laus & vituperatio, patrocinium aduocati, commendatio apud Principem, & alios, ad fauorem humanum comparandum, & odium vitandum: hoc enim officium est pretio æstimabile. Vnde si quis hoc principaliter intendit, vel in pactum deducit expressè vel tacitè, Simoniacus est.

De precibus satis dictum est.

QVÆSITVM V.

Quis Simoniacus sit ipso iure suspensus, vel excommunicatus?

℟. Simoniacus realis in ordine, est ipso facto suspensus ab omnium ordinum executione. *Less. d. 24* & præterea est excommunicatus cum Papali reservatione. In beneficio verò Simoniacus est tantùm excommunicatus. Similiter Simoniacus per confidentiam, non tantùm realis, sed etiam cōvētionalis, accepto beneficio, antequam impleat quod promisit, est excōmunicatus. *Nau: n. 110 & Less: n. 147. Azor t. 3. l. 12. c. 10. q. 4.*

Pro cuius declaratione, sciendum est. Quòd omnis Simonia, pœnâ æterna gehennæ punitur, nisi hîc per Sacramentum Pœnitentiæ expietur.

Mentalis vltra peccatum mortale, nulla pœnâ iuris afficitur, siue sit purè mentalis, siue etiam peruenerit (absq; pacto tamen) ad actum exteriorem dandi vel accipiendi: adeò vt etiam ad restitutionem in nullo casu sit obnoxius talis simoniacus. *Nau: c. 23. n. 111. Val: de Sim: disp: 6. p. 6.* Quamuis Soto contrarium sentiat de Iust: *l. 9. q. 8. a. 1.* quoad simoniam mentalem, quæ ad dandum accipiendumq; peruenit.

Conuentionalis præter peccatum mor-

mortale, quod ei commune est cum mentali, potest etiam puniri in foro exteriori, si iudici deferatur.

Illa verò Conventionalis, quæ est ex altera tantùm parte cõpleta, obligat ad restituendum id quod est acceptum, & quidem statim ante condemnationem. *Val: vbi sup.* Restitutio quidem rei temporalis, fieri debet danti, (quamuis per sententiam iudicis in pœnam ipsa priuari possit.) Rei verò spiritualis, non danti sed superiori, nisi restitui nequeat, vt Sacramentum, vel Sacramenti character.

Quoad pœnas realis simoniæ distinguendum est. Nam vel est in ordine, vel in beneficio, vel in religionis ingressu.

Itaque Simoniacus realis & mediatores, tam in ordine quàm in beneficio, omnes sunt ipso iure excommunicati, cum reservatione Papali. *Nauar: n. 111. Val.*

Simoniacus in ordine tantùm, præter excommunicationem, est ipso iure suspensus, cum reservatione Papali: *Val.* Simoniacus verò in beneficio, nõ est ipso iure suspensus, sed tantùm excommunicatus.

Et præterea omnis dispositio beneficiaria, vt præsentatio, electio, collatio, per realem Simoniam; est nulla; & consequenter quæsitum per illam, debet dimitti, etiam ante sententiam, & quidem cum fructibus: quia iure naturali relinquenda est res aliena.

Est quoq; talis inhabilis ad idem beneficium obtinendum.

Res autem temporalis per simoniam data, restitui debet Ecclesiæ, in cuius præiudicium admissa est: vel pauperibus, si in nullius Ecclesiæ damnum, vel ignominiam id cessit: post sententiam tamen. *Val: Leß.*

Simonia confidentiæ pœnis superat omnes superiores. *Leß: lib: 2. c. 35. dub. 26. & n. 140. Nauar: C. 23. n. 108.*

Ad extremum notandum est, quod tradunt, *Nau. Val: & Azor t. 3. l. 12. cap: 21. q. 6.* Quòd nullus Simoniacus est ipso iure excommunicatus, præter Simoniacum realem in ordine & beneficio. Cuius contrarium *Leß dub. 23.* significat, quoad simoniam ob religionis ingressum, quòd videlicet tam dantes, quàm accipientes, sunt ipso facto excommunicati per Vrbani 4. Extrauag: quæ incipit: *Sanè in vinea Domini.* Capitula verò aut Conuentus, suspensionis pœnæ subiacent. Quæ tamen pœnæ intelliguntur, interueniente petitione vel exactione, directâ aut indirectâ. Nam sponte oblata, (omni pactione cessante) licet recipere: Dotem quoq; exigere licet, ita determinãte Martin: 5. & Clem: 7. non quidem pro ipso ingressu religionis, sed pro alimentis Monialis, maximè si Monasterium sit tenue. *Leß: dub: 12. & Azor lib: 12. c. 16.*

QVÆSITVM VI.

Resignare beneficium in favorem tertij, continetnè Simoniam?

℞. Secundùm vsum Curiæ Romanæ, & Constit: Pij V. prohibitum est, ne quis coram ordinario cedat suo officio, alterius gratia, imò & iure communi talis damnatur, vt Simoniacus. *Azor l. 7. c. 21. q. 1. & c. 27. q. 3.* Omnis enim pactio in spiritualibus est illici-

illicita, & Simoniam inducit. *Less. & Azor.* Ideò propter speciem Simoniæ, non possunt tales resignationes esse, nisi in manibus Summi Pontificis, cuius authoritas, dissipat Simoniam iuris humani, seu Ecclesiastici. Neque enim hic potest esse aliqua Simonia iuris diuini. *Less. d. 14.*

Licitum tamen est, dimittenti beneficium suum absolutè, id est, absq; intentione id faciendi causa alterius, post aliquod temporis interuallum, & non statim, petere, ab ordinario pro aliquot *Azor t. 2. c. 21. q. 3. & t. 3. l. 12. c.* Nau: 8 *Man. c. 23. n. 107.*

QVÆSITVM VII.

Permutatio autem Beneficiorum, caretnè labe Simoniæ?

℞. Caret quidem, si fiat authoritate Episcopi: absq, ea inficietur ipsa. Licebit itaq; tractare de permutatione facienda, & tractatum concludere, & se vicissim obligare, sed adiecta clausulà, sub beneplacito superioris, cui hæc sunt manifestanda. *Less. l. 2. c. 35. d. 4. n. 3. & dub: 17. Azor. c. 29.* Compensatio tamen excessûs, est periculosa. Lege *Less: n. 102 & Azor t. 3. lib. 12. c. 12. q. 3.* Nau: Manual: c 23 n. 100.

QVÆSITVM VIII.

An sit Simoniacum, sumptus in lites & ædificia à resignatario exigere?

℞. Quoad expensas litis. *Less. l. 2. c. 35. d. 15. n. 94,* refert quosdam negare esse Simoniacum: tum quia resignãs facit hoc, vt se indemnem seruet: tum quia totæ expensæ redundant in vtilitatem resignatarij. Quorum opinionem ego limitarem, ad sumptus factos ex suo patrimonio, vel alias, dummodò non ex beneficio: hanc autem distinctionem suppeditat. *Azor l. 7. c. 16. q. 9.* Alios autem asserere id Simoniacum esse: quæ opinio Lessio placet, & communis Doctoribus dicitur. Et ratio eius est. Quia omne pactum in spiritualibus, de onere temporali, quod iure non est annexum, reprobatur, si absq; authoritate superioris fiat. Neque in foro exteriori (inquit) admitteretur ista excusatio

Quoad ædificia: Si facta sunt in vtilitatem seu commodum resignantis tantùm, vel circa proprios fundos, & non in vtilitatem Ecclesiæ vel beneficij: & dato quòd in bonum beneficij, sed ex prouentibus beneficij, videtur omninò esse Simoniacum repetere: secus si pro commodo Ecclesiæ aut beneficij, ex patrimonio sumptus fierent, vel ex aliunde partis circa beneficiū. Lege *Azor t. 2. l. 7. c. 9. q. 6. & t. 3. cap. 12. q. 4.*

QVÆSITVM IX.

Licetnè in beneficijs, ob redemptionem vexationis, dare aliquid temporale?

℞. Nauar: *Man: c. 23. n. 101* sic respondet: Si qui dat, iam habet ius acquisitum, non committit Simoniam. Sed ante ius quæsitum, non licet dare aduersarijs, etiam malitiosè impedientibus, nisi impedirent vim inferendo, vel procurando pro indigno, vel solus ille occurreret dignus, qui eligeretur. Vel clariùs ex Less: *lib 2. c. 35.*

c. 35. d. 18. Duplex est ius: Ad rem, & In re, ius ad rem in beneficio, aliud est remotum, vt dignitas personæ, respectu talis beneficij. Aliud propinquum, vt cùm illa persona est electa, vel præsentata, vel postulata; sed nondum confirmata vel instituta. Ius in re habet, qui iam est confirmatus, vel institutus, vel collationem factam acceptavit, quamuis nondum possessionem ceperit. Itaque qui nondum habet ius in re, non potest pretio dato redimere vexationem, ab illis qui possunt non tantùm obesse, verùm etiam prodesse suffragando, vel procurando, &c. Sed bene potest, qui solùm possunt obesse, sivè vi & fraude obsint, siue muneribus & precibus, apud collatores vel electores. Tunc enim datur pretium non pro beneficio sed pro cessatione nocumenti. Qui verò habet ius in re per confirmationem, vel institutionem, aut liberam collationem, potest pretio redimere vexationem, si fortè aliquis illum à possessione capienda impediat.

TITVLVS XI.

De Beneficiis,

Habet quæsita 13.

QVÆSITVM I.

Quid in iure, nomine beneficii intelligitur?

℞. Intelligitur annus proventus, vel potius ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, Sacerdoti aut Clerico collatum, ob ministerium Ecclesiasticum. *Azor t. 2. lib. 3. c. 1. q. 1. & Less. lib. 2. c. 24.*

QVÆSITVM II.

Quotuplex est beneficium seculare?

℞. Duplex. Simplex, & non simplex quod ab alijs dicitur duplex. Simplex est, qvod non habet aliquam iurisdictionem, prærogativam, neque administrationem, sed tantùm seruitium in Ecclesia, cantum in choro, Missam ad altare. Duplex: quod præter hæc, habet aliquam iuris qualitatem videlicet, iurisdictionem, prærogativam, & rerum Ecclesiasticarum administrationem.

Beneficia habentia qualitates sunt, dignitas, personatus, officium, gubernatio Parochiæ, cura animarum, &c. *Azor t. 2. lib. 3. c. 1. q. 5.*

Dignitas propriè est, per quam beneficiarius habet rei Ecclesiasticæ administrationem, & iurisdictionem in Clericos. Personatus, per quem beneficiatus habet gradum honorificum; puta in choro sedem superiorem, in collegio locum, absq; tamen administratione & iurisdictione. Officium per quod beneficiarius habet administrationem, absq; iuridictione & gradu eminentiori. *Azor t. 2. lib. 3. c. 1. q. 4.*

Porro

Porrò dignitatem, perſonarum, vel officium habent, Decanus, Præpoſitus, Archidiaconus, Cuſtos, Cantor, Scholaſticus, &c. Nam aliquando iſta tria beneficia, pro eodem accipiuntur, aliquando diſtinguuntur. *Azor l. 13. q. 4. & 5.* Et tunc dignitas dicitur, Præpoſitura, Decanatus, Archidiaconatus, Perſonatus, Cantoria, Scholaſteria, Cuſtodia, Officium, Syndicatus, officium Sacriſtæ, OEconomi Eccleſiæ, advocati Eccleſiæ, &c. *Leſſius. lib: 2. c. 34. dub: 2.*

QVÆSITVM III.

An inter beneficia præfata, ſint aliqua incompatibilia?

℞. Sunt; ſed iſta ſunt in duplici ordine. Primi ordinis ſunt, quæ adeò nequeunt ſimul poſſideri, vt habito ſecundo beneficio, omninò excludatur, & vacat, prius beneficium ipſo iure. *Leſſius lib. 2. c. 34. d. 27.* Talia ſunt, Eccleſiæ Parochiales, & alia beneficia, quæ curam animarum in foro contentioſo habent. Item, quæ officia, perſonatus & dignitates, vocantur. Itē, duo, Canonicatus, vel duæ Sacellaniæ, ad eandem functionem concurrentes in eadem Eccleſia; quæ dicuntur beneficia vniformia, ſub eodem tecto.

Secundi generis inſociabilia vocantur, quæ non poſſunt quidem ſine peccato graui, ab eodem retineri: verumtamen ſi quis obtinuerit ſecundum, non ipſo iure vacat prius. Talia ſunt: Canonicatus ſimplices in diuerſis Eccleſijs; & alia ſimplicia beneficia, ſiue requirant reſidentiam, ſiue non, imò & ſub eodem tecto difformia.

QVÆSITVM IV.

Adeò nè ſunt iſta beneficia incompatibilia, vt in nullo caſu poſſint plura ſimul teneri?

℞. Non adeò. Siquidem habere plura beneficia non eſt intrinſecè malum; aliàs Summi Pontifices non diſpenſarent. Diſpenſare autem ſolent, vnde & D. Gregorius, *lib: 2. Epiſtolarum, c. 52:* diſpenſaſſe legitur, cum quodam, nomine Agnello, ob certam Eccleſiæ neceſſitatem, vt duos Epiſcopatus haberet. Neq; omninò indifferens; cùm ſpeciem mali, & inordinationem quandam præſeferat. Siquidem imprimis minuitur cultus diuinus, vnus namque habēs tria beneficia, non recitat ter officium, neq; celebrat ter.

2. Eccleſia deſtituitur ſuis operarijs, cùm vnus non poſſit in pluribus locis reſidere, nec plurium miniſteria obire.

3. Animarum cura negligitur.

4. Honori Eccleſiæ propter abſentiam rectoris detrahitur.

5. Fundatores defraudantur (proh dolor) ſuâ pia intentione.

6. Multi Eccleſiaſtici pauperes, magis idonei, magiſq; vtiles Eccleſiæ futuri, fruſtrantur.

7. Quia pluralitas, multa abſurda inducit; vt nimiam ſolicitudinem temporalium, diſcurſum, ambitionem, luxum, incontinentiam, concubinatū, lites, ſcandala puſillorum, &c. vt meritò Conc: Trid: Seſſ: 24. c. 17. dixerit, hanc pluralitatē eſſe peruerſionem totius ordinis Eccleſiaſtici. Et Alex: 3. cap. *Quia tantùm 7.* de Præbendis; pluralitatem beneficiorum certum continere

vincere animarum periculum asserit. In Extrauag: Ioan: 22. *Execrabilis*. Decē recensentur incommoda, ex pluralitate promanantia. *Less: l. 2. c. 34. d. 27. Tolet. Azor.*

Tamen adhibitis debitis circumstantijs, & iustis causis, cohonestari potest. (D. Thom: *quodl: 9. a. 15.*) & malitia eius impediri, (*Less.*) Porrò iustæ causæ cohonestantes, & Pontificem ad dispensationem moventes, non possunt esse plures, sed vna sola, ad quam cæteræ reducuntur. Ea autem est Ecclesiæ necessitas, vel magna vtilitas. Necessitas est aut intrinseca, propter ministerium, (casu quo desunt alij, vel idonei.) Aut extrinseca, propter defensionem, (casu quo Ecclesias opus est aduersus hæreticos defendere) Tūc enim necessarium est, pastores esse potentes, &c. Vtilitas, quando maior honor, aut commodum notabilius, Ecclesijs accedit, vt si alicui præclaro, sublimi, aut literato viro (non tamē sola promotione, aut quali cūq; nobilitate ornato) non sufficiat vnum beneficium ad honestè viuendum, iuxta suum statum, & possit ei absq; incommodo Ecclesiæ alterum dari: tunc, & non aliàs poterit honorari pluribus beneficijs. Quod tamen fieri non debet, nisi in ordine ad Ecclesiæ vtilitatem, (non ad fastum & luxum) vtpotè, quia persona talis, plùs profutura Ecclesiæ putatur (quod raò experimur) absens, quàm alia præsens, propter suam prudentiam, industriam. Quod *Less. lib: 2. c. 34, dub: 28.* docet, & probat ex Conc: Lateranen: & D. Bernar: *Azor. t. 2. lib: 6. c. 10. q. 2. Nauar. cap: 25. n. 128.*

QVÆSITVM V.

Quòd si non putetur subesse legitima dispensationis causa, is qui obtinuit per dispensationem plura beneficia, eritnè tutus in conscientia?

℟. Minimè, sed tenetur alterum resignare. D. Thom: *quodl. 9 a. 15. Caiet: V. Beneficiorum multiplicatio. Soto lib: 3. de Iust: q. 6. a. 3. Tolet: l. 5. c. 75.* Rationem reddit *Less: lib: 2. c. 34. n. 151.* Tum quia Papa non est Dominus beneficiorum, sed dispensator. Atqui dispensator non potest pro suo arbitrio distribuere bona dispensanda, sed iuxta rationabilem voluntatem eorum, qui ea dispensanda reliquerunt: & commodum eorum, in quorum vtilitatem relicta sunt, quæ in proposito, est Ecclesia vniversalis: Tum quia vnum Sacerdotem habere plura beneficia, est contra ius diuinum naturale, secundùm Caiet. Pontifex autem non potest dispensare in talibus, nisi interueniat iusta causa quæ turpitudinem tollat, vt patet, in votis, iuramentis, & indulgentijs. Tenebitur itaq; malè dispensatus, resignare aliqua, ex ijs quæ vel non sunt ei secundùm suum statum necessaria, vel in quibus legitima causa non intercessit. Hæc ex *Lessio, Soto, de Iust: lib. 3 q 6. a. 3, Azor t. 2, lib: 6 c. 10.* vsque ad *13, Tol: lib: 5. c. 80. & 81.*

QVÆSITVM VI.

Quid incurrit ille, qui plura retinet beneficia absq; dispensatione?

℟. Ille, qui habet aut duo beneficia curata, aut duas dignitates: aut (in summa) duo beneficia primi ordinis,

nis, & non statim resignat officiosè primum: ipso iure privatus est, etiã secundo, & inhabilis est ad Sacros Ordines, & ad quodcũq; beneficium Ecclesiasticum. & ipso iure beneficia illa sunt dispositioni Sedis Apostolicæ reservata, vt ex Extravag: *Execrabilis* docet Less: *l. 2. c. 34. dub: 27. n. 142* Insuper Azor tradit, *t. 2. l. 7. c. 17. q. 3.* talem beneficiarium titulo carere, ac ob id fructus suos non facere. Addit tamen *Lessius 143.* Eum qui vtrumque retinuerit, non ita esse priuatum secundo, vt teneatur illud sponte dimittere, sed per sententiam iudicis esse privandum. Vnde si nulla sententia sequatur, poterit primum retinere, sed primum, obtento secundo; ita amittitur, vt non sit opus sententiâ. Vide etiam eundem ibid: *cap: 19. dub: 8. & 34. n. 190. & Azor tom: 2 lib: 7. c. 18.* Quamuis *Sa, V, Beneficium, n. 5.* requirat monitionem iudicis etiam quoad prius beneficium.

De beneficijs incompatibilibus secundi generis, iam dictum est, quòd videlicet, retinens ea absq; dispensatione, est in statu peccati mortalis.

QVÆSITVM VII.

Potestnè dari aliquis casus post Conc: Trid: in quo quis licitè possit plura beneficia sine dispensatione habere?

℟. Potest. Sed cum certis limitationibus. 1. Si beneficium quod habetur, siue curatum, siue simplex, sit valdè tenue, vt non sufficiat congruæ seu honestæ sustentationi Clerici, verè, absq; fraude. In tali casu, poterit beneficiarius aliud quidem, sed simplex, & vnum tantùm acceptare. Dummodo alterum eorum saltim residentiam, vel assiduam præsentiam, siue iure communi, siue consuetudine, aut statuto, siue etiam fundatione, non requirat. Hoc colligitur ex Conc: Trid: *Sess: 24. c. 13. & c. 17. de refor: Less: & Azor.* Omitto autem illos casus, in quibus vnum datur in titulum, aliud in commendam: & quando beneficium est alteri annexum vel incorperatũ. Hæc enim sunt compatibilia servatis servandis.

QVÆSITVM VIII.

Quod beneficium censetur sufficiens vitæ Clerici sustentandæ?

℟. Illud quod ipsi & suis sufficit. Nimirùm, vt pro sua conditione habeat victum, amictum, habitationem honestam, prouisionem ad casus accidentes, morbos scilicet, &c. Non tantũ pro sua persona, sed etiam pro tota familia: intra quam non tantum famuli annumerantur, sed etiam parentes & alij consanguinei egentes (secluso scandalo.) Præterea, vt ex beneficij fructibus, possit hospites, aduenas & peregrinos excipere: & Episcopalia iura persoluere. Debet autem hic ratio haberi nobilitatis, scientiæ, & literaturæ, atq; dignitatis. *Azor q. 9.* Cum resolutione ad Ecclesiæ vtilitatem, vt dictum est; & cauendum est, ne nimium nobis indulgeamus & attribuamus.

QVÆSITVM IX.

Teneturnè beneficiarij commorari & residere in sua Ecclesia?

℟. *Azor t. 2. l. 3. c. 9. q. 2.* Quòd etiam qui simplex beneficium habent, iure communi debent residere, vbi habeat,

bent beneficium. Aut verò consuetudine (inquit) introductum est, vt simplices beneficiarij, qui non sunt Canonici, aut portionarij, possint ab Ecclesijs abesse, dummodò substituant Vicarios, per quos inserviatur Ecclesiæ. Verendum tamen est, ne potiùs sit abusus & contra intentionem fundatorũ, præsertim in beneficijs pinguibus.

Quoad beneficiarios, quibus incumbit cura animarum, isti tenentur iure diuino residere, per se suum officium administrare. *Less: dub: 29.* ex Conc: Trid: *Sess: 23. c. 1. de refor.*

Possunt tamen Episcopi absq; superioris approbatione, ex iusta, causa, ad summum tres menses, siuè continuè, siue interruptè abesse à suis Ecclesijs. Parochi verò ad duos menses, ex legitima causa, & per Episcopum cognita, & probata inscriptis, relicto Vicario idoneo, approbando ab ordinario. Trid: *Sess: 23. de refor: c. 1.* & Conc: Triden: *Sess: 24. c. 12. de Refor.*

QVÆSITVM X.

Beneficiarij quomodo se gerere debent, in vsu prouentuum suorum beneficiorum?

℟. Ita vt inprimis expendant, ad honestam commodamq; sustentationẽ suam suorumque, quantum necesse fuerit: residuum verò in pios vsus erogent, & non seruent, nisi pro communiter occurrentibus casibus: neq; prodigè dispensent. Alioquin peccabit mortaliter beneficiarius, impendendo ea, quæ supersunt in profanis & superfluis, vtendo nimio sumptu, pretiosa veste. Solùm enim licet ei vti habitu necessario & honesto. Et bona non sunt data Ecclesiæ ad superbiendum vel ditandum. Neq; potest diuitibus donare; aut in ludos impendere, recreationis causâ, vel pro amicitia humana: quia ista sunt extra pietatis opera. *Nauar: tom: 1. tract:* de reditibus Ecclesiæ. *c: Quoniam §. 22.* Vbi multa bona & vtilia in medium affert. Exemplum queq; *§. 31: n. 2.* præclarum recenset, de quodam Prælato primario, qui ad persuasionem cuiusdam Concionatoris Ordinis Prædicatorum, mutauit animum, duabus horis aut tribus ante mortem, de supellectili sua, nepoti quidem prius relicta, sed postea in pium opus conuersa, ob certissimam damnationem, sibi prædictam.

Neq; consuetudo, inquit, potest beneficiarios in hoc excusare.

Et D. Th: *2. 2. q. 185. a. 7. ad 2*, monet Clericos, quod si voluerint aliquid sibi subtrahere & consanguineis dare, possunt, dummodo, inquit, hoc moderatè faciant. Et declarat statim particulam moderatè, id est, vt non indigeant, non autem vt ditiores inde fiant. Adducitq; D. Ambr: testimonium. Vide si vis Conc: Trid: *Sess: 21. c: 5. de refor.* Azor quoq; copiosè hanc materiam prosequitur, *tom: 2. lib: 7. c. 8. 9. ac 10.*

QVÆSITVM XI.

Potestnè Beneficiarius, propriâ authoritate, beneficium dimittere?

℟. Non potest: sed debet coram Ordinario ipsum deponere: aliàs reuocari potest, & nisi admonitus redierit, potest excommunicari. *Azor t. 2. lib. 7. c. 19. q. 6.*

QVÆ-

QVÆSITVM XII.

Poteſtnè Beneficiarius reſignare beneficium?

℟. Poteſt quidem. Si fiat abſq; fraude, & habeat ipſe vnde vivat. Sed Ordinarij hoc admittere non poſſunt, abſq; legitima cauſa, ob Conſt: Pij V. Cauſæ autem plures enumerantur, videlicet ſenium, aduerſa valetudo, vitium vel impedimentum corporis, conſcientia criminis, Cenſura, &c. *Azor t: 2. lib: 7. c. 19 q. 5, & Leſſ: lib 2. c. 34: dub 31.*

Hæc de pura reſignatione: de conditionali verò iam dictum eſt, in titulo 10. de Simonia, ſicut & de permutatione beneficiorum.

QVÆSITVM XIII.

An Beneficiarius poſſit facere teſtamentum?

℟. De bonis hæreditarijs, vel arte, doctrina, induſtria, acquiſitis: aut aliquâ ſucceſſione, donationeuè, abſq; vlla Eccleſiæ relatione comparatis, poteſt. Conſtat etiam eoſdem non poſſe iure communi teſtari, de bonis ex Eccleſia quæſitis, hoc eſt, de fructibus beneficij. Sed Summi Pontificis facultate accedente, poſſunt teſtari, in quoſvis vſus. *Azor c: 19. q: 2.* Et ex conſuetudine multis in locis recepta, poſſunt abſque licentia, ad opera pia tantùm, vt docet *Leß: lib. 2. c: 19: dt 4. n. 42.* Idem cum Nauarr dicit: peccare mortaliter (communi, inquit, ſententia DD.) qui aliter diſponunt, relinquentes bona conſanguineis diuitibus, &c,

TITVLVS XII.

De Cenſuris.

Habet quæſita 10.

QVÆSITVM I.

Quot ſunt Cenſuræ?

℟. Tres. Excommunicatio, Suſpenſio, & Interdictum.

QVÆSITVM II.

Quid importat Cenſura?

℟. Accommodatione & vſu Eccleſiæ, importat pœnam ſpiritualem ſeveram, medicinalem tamen, ac proinde temporalem.

QVÆSITVM III.

Quæ eſt differentia inter Cenſuras?

℟. Quia Excommunicatio directè priuat communione fidelium: Suſpenſio, Miniſterio Eccleſiaſtico. Interdictum, Officijs & rebus diuinis.

QVÆSITVM IV.

Quid eſt Excommunicatio maior & minor?

℟. Excommunicatio minor eſt illa, quæ priuat ſola perceptione Sacramentorum: ita quod peccat mortaliter, ingerens

gerens se Sacramentis suscipiendis.

Et hæc non incurritur nunc, nisi in duobus casibus communicationis cum excommunicato: scilicet, cum percussore Clerici notorio: & publicè nominatimq; excommunicato.

Maior vero omni communione fidelium priuat.

Nam priuat inprimis Sacramentis, tam conferendis, quàm suscipiendis.

2. Orationibus & Suffragijs Ecclesiæ.

3. Communione quoq; ciuili.

Habet etiam multos alios effectus, quos videre poteris in Suar: *de Censuris*. & Nauar:

Quinq; autem excusant, non vitantem excommunicatos.

1. Ignorantia. 2. Necessitas. 3. Vtilitas. 4. Coniugium. 5. Subiectio. *Nauar: c. 27. n. 26. & Suar: & alij. Sa, V. Excom: n. 45.*

QVÆSITVM V.

Quid sit irregularitas, quoad significationem nominis?

Irregularitas est inhabilitas, propter quandam indecentiam, impediens directè ac primariò, susceptionem ordinum Ecclesiasticorum, consequenter verò vsum eorum.

QVÆSITVM VI.

Quot sunt irregularitatis species?

℟. In genere duæ; videlicet ob delictum. In particulari verò sunt 12. species irregularitatis. Et quidem sex sunt ob defectum, seu propter indecentiam inculpabilem: ob delictum autem, seu propter indecentiam culpabilem, similiter sex.

Inculpabilis est, vt 1. Defectus natalium. 2. Defectus corporalis. 3. Bigamia, 4. Administratio iustitiæ in causa sanguinis, & concursus seu cooperatio ad ea. 5. Interfectio & mutilatio in bello iusto. 6. Defectus libertatis, vt in mancipijs.

Culpabilis. 1. Sacramenti iniuria, vt est in rebaptizatione. 2. Censuræ violatio, vt puta, si quis irretitus eis, attentet susceptionem, vel exercitium Sacrorum Ordinum. 3. Hæresis. 4. Homicidium. 5. Mutilatio. 6. Infamia. *Declarationem vide in authoribus.*

QVÆSITVM VII.

Ad euitandam irregularitatem, quomodo Confessor, Concionator, & alius Theologus respondere debet, interrogatus de aliquo crimine, pœna mortis digno?

℟. 1. Si interrogans, neq; ad iudicium spectat neque à iudicio est subordinatus, licitum erit, fateri veritatem intrepidè, tam in generali quàm in speciali. *Sylu: V. Homicidium 3. q. 5.*

2. Si interrogans, est etiam de spectantibus ad iudicandum: sed crimē non imminet in præsenti puniendum, vel sententia iam lata est, licitè respondebitur generaliter, *Sylv.*

Et Henriq: *lib: 14. cap. 16. n. 4.* inquit, in generali, potest clericus consulere, dicens, legem esse, vt fures suspendantur, & prædicare illos esse furca dignos. Sed cauendum est, ne dum tractatur de pœna alicuius facinorosi, sub dicto sit causa proxima mortis: neque enim tunc interrogatus de reo per iudicem, dicere potest: iure licitum

est tales occidere? Aut, ad nos non pertinet, quibus non licet interficere quenquam. Quanquam si iudex erat omninò paratus occidere, vel si in particulari non imminet occasio puniendi, non fit irregularis ex generali responso.

3. Amplius processisse videtur, *Sayro, de Cens: lib: 6. c. 19. n. 25.* Quotiescunque quis interrogarur in communi, de aliquo delicto, aut malefactore: An scilicet quis ob tale crimen, mereatur mortem: & respondet, mereri; secutâ morte in aliquo, non incurrit irregularitatem (quamuis supra *n. 16.* videatur acceptasse limitationem Tabien: videlicet, quando non imminet tunc casus in præsenti iudicandus,)

Vnde Concionatores, monentes Iudices in communi, vt suum officium exequantur, & improbos puniant, non contrahunt irregularitatem, etiamsi Iudices hinc moveantur ad puniendum pœnâ mortis.

4. Si quis interrogetur in particulari; scilicet, an Petrus fur sit suspendendus, tunc Consiliarius non potest respondere, esse suspendendum, vel malum esse si iste euaderet, aut impunitus permaneret. Sed potest respondere in genere, vt faciat officium suum, vel (addit Sayro) in genere dicat, quod fures & homicidæ secundùm leges pœnâ mortis puniuntur. Et tunc secutâ morte non efficitur irregularis. Quia responsio non est in particulari adhibita, vt hic reus decapitetur, vel suspendatur, sed solum in generali facta est declaratio iuris, & eius quod secundùm leges fieri debet. Multa enim in genere licent, quæ in specie non licerent. Sicut licitum est Clerico in bello iusto, hortari in communi ad strenuè pugnandũ & occidendũ in generali, Et fundatur hoc in rerũ natura. Nam qui alios instruere est potẽs, cur nõ debet tanquã scientificus in vniuersali docere? sicut & cui vetitum est, ad actiones particulares concurrere: de his consilium dare, non licebit. Vnde si iudex vellet directè sibi responderi, de hoc reo, Respondebit Clericus: consulat alios, præsertim legisperitos, leges inspiciat, vel suum officium faciat. Eodem modo si interrogetur: Quid agendum est de eo, qui probatus est fur? &c. Hoc autem est tutissimum.

5: Confessarius verò potest dicere Iudici generatim, nolenti pœnâ mortis punire reum, Fac officium quod debes, vel non possum te absolvere, nisi feceris quod leges præcipiunt: vel nisi punias reũ: pænâ secundũ leges debita, non te possũ absoluere. *Suar: t. 5. d. 47. sect: 1 n: 8.* Tunc enim declarat ex debito, quid Iudex teneatur de iure & ex officio suo. Non tamen potest dicere: suspende, vel interfice eum. Similiter: si reo consulat consentire in sententiam mortis iustam, aut in confessionem delicti debitam, non est irregularis. Nisi appellationem iure concessam, consulat omittere: esset enim causa accelerationis.

QVÆSITVM VIII.

Clerici habentes iurisdictionem temporalem, quomodo se gerere debent, in puniendis criminibus subditorum?

℞. 1. Causas sanguinis ipsi per se agitare non possunt, sed debent constituere

tuere iudices seculares, qui hoc munus obeant. Quibus possunt & debent præcipere, quod faciant vnicuique iustitiam. Et si isti Iudices constituti quærant, quid agendum sit de aliquo qui meretur mortem respondere debent: vt consulant peritos.

2. Possunt Clerici delegare alicui, etiam specialiter, super aliquo maleficio, puta, homicidio in sua iurisdictione commisso, vt ipse inquirat, & iustitiam administret.

Et quamuis ipse delegatus, postea exequatur, & occidat; non propterea Clericus erit irregularis, *c. fin:* Ne Clerici vel Monachi, *in 6. Sayro de Censuris, l. 6: c. 18. n. 16, 17. 18. Suar: t. 5. d: 47. sect: 1. Graff. lib: 2. c. 62. n. 29.* vbi multos citat Doctores.

3. Possunt etiam ijdem Clerici, legem & statutum condere, cum, & sub pœna mortis. *Sayro & Henriquez, lib: 14. c. 17. n. 6.*

QVÆSITVM IX.

Qui quærentibus indicat malefactorem, detinet, clamat, vt custodes veniant & capiant, tradit, accusat in iudicio; secutâ morte efficiturnè irregularis?

℟. Proculdubiò efficitur. Sed inquirendum est, an is qui conqueritur coram Iudice, detinet, aut tradit, possit aliquo modo vitare irregularitatem: Hoc enim tam Clericis, quàm laicis ordinandis, apprimè est necessarium.

Dicendum itaq; est 1. Quod si quis ista faceret propriæ vtilitatis causâ, nō intendens pœnam mortis, sed tantùm volens, aut periculum euadere, aut res suas recuperare, aut famulum, citra sanguinis effusionem, aliquâ mitiori pœna corrigere & emendare: & præterea factâ protestatione sincera non tantùm ore, sed etiam interiori voluntate ac mente, ne procedatur ad pœnam sanguinis: iste (quidquid postea fecerit Iudex, etiamsi pœnam capitis infligeret) non esset irregularis. 2. Quòd si faceret quis absq; tali protestatione, aut cum ea, sed in causa aliena, esset irregularis. *Nau: c. 27. n. 217: & n. 226.* Ita quòd ad vitandam irregularitatem duo seruari debent. 1. Vt accusator petat emendam sibi fieri, & prouideri, ne contra eum talia de cætero præsumantur. 2. Vt expressè protestetur, quòd ad vinctam seu pœnam sanguinis non intendat, *cap: 2. Prælatis,* de homicidio, *in 6.*

Casu & occasione occurrente, lege *Suar: t. 5. de Censuris, disp: 47. sect: 2. n. 2. Sayro de Cens: lib. 6 c. 18. Graff: lib. 2. c. 62, num: 42.*

QVÆSITVM X.

An Confessarius tempore Iubilei, possit cum irregulari dispensare?

℟. Non potest, nisi Bulla hoc exprimat.

Non solet autem id concedere, imò regulariter excipit.

Sed etiamsi non exciperet expressè, non propterea possent Confessarij dispensare, quia concessio in nulla clausula contineretur.

Non sub absolutione à peccatis & censuris, cùm irregularitas non absoluatur, sed dispensetur.

Neq; sub potestate data supra vota & iuramenta: quia datur facultas cōmutandi, non dispensandi.

Et

Et si daretur potestas dispensandi, illa statim limitaretur ad vota & iuramenta duntaxat, & non in sua amplitudine concederetur.

TITVLVS XIII.

De Iubileo.

Habet quæsita 14.

QVÆSITVM I.

Quid significat Iubileus?

℟. Vt ex *Leu:* 25. colligi potest, significat annum remissionis (vbi etiam in masculino, & sine diphtongo ponitur, cùm varij diuersimodè scribant) qui apud Iudæos quinquagesimus fuit. *Suar: t. 4. d. 50. s. 4. Roderiq. Sum: c. 183.*

Nunc vsurpatur ad significandum annum illum, in quo maximæ indulgentiæ conceduntur, qui prius fuit centesimus tempore Bonif. VIII. Postea Clem: VI. ad 50. reduxit, Et Paulus Secundus abbreuiauit, statuens, ut in singulis 25. annis celebraretur. *Tolett lib. 6. c. 24.* Tamẽ occurrẽte aliquâ necessitate, solet extraordinariè cócedi Iubileus: ad instar horum ordinariorum.

QVÆSITVM II.

Quid movere solet Summum Pontificem ad concedendum Iubileum?

℟. Varij fines. Nam cum datur Iubileus statuto tempore; finis est 1. Honoratio SS. Apostolorum Petri & Pauli: per visitationem Basilicarum illorum. 2 Reuerentia Sedis, quæ in ea est. 3. Vt fideles in fide confirmentur, & charitate accendantur, visitando Martyrum sepulchra.

Cùm datur Iubileus initio Pontificatûs, noviter Coronati Papæ: finis est, impetratio diuini auxilij, pro tanto munere obeundo.

Quando conceditur tempore afflictionis, tribulationis, periculi, & cuiuscunque necessitatis Ecclesiæ, vel alicuius Reipublicæ Christianæ, finis est, Dei (mala immittentis propter nostra peccata) placatio, & misericordiæ eius imploratio, ac subinde auxilij in tribulatione auersionisq; malorum, impetratio.

QVÆSITVM III.

Quæ est differentia inter Iubileum, & Indulgentiam præsertim plenariam?

℟. Quia Iubileus est tanquam totum, Indulgentia tanquam pars, separabilis tamen, à Iubileo. Siquidem Iubileus, continet Indulgentiam, & aliquid aliud. Indulgentia verò solam ablationem pœnarum debitarum pro peccatis, & relictarum post remissionem culparum, importat, vt inferius dicetur.

Iubileus itaq; & Indulgentiam exhibet, & plures alios fauores in foro conscientiæ ac pœnitentiæ præstat: vt facul-

facultatẽm supra casus reseruatos, supra vota & iuramenta. *Roderiq. c. 183.* (vt infra dicetur.) Vnde Cōcionatores debent abstinere à nomine Iubilei, dum Indulgentias promulgãt: ne simpliciores decipiantur, & credãt, omnia quæ Iubileus complectitur, concedi.

QVÆSITVM IV.

Quæ & quot sunt in Iubileo consideranda?

℞. Quatuor. 1. Conditiones sine qvibus Iubileus non obtineretur. 2. Favores. 3. Ampliationes seu extēsiones. 4. Exceptiones.

QVÆSITVM V.

Quot conditiones requiruntur ad consequendum Iubileum?

℞. Regulariter sex. 1. Processio, vel Ecclesiæ visitatio. 2. Oratio. 3. Ieiunium. 4. Eleēmosyna. 5. Confessio. 6. Communio.

Nam cùm bona opera, quæ Iubilei conditiones sunt, ad tria capita reducantur; scilicet, ad bona corporis, animæ, & externa: Peregrinatio seu visitatio spectat ad corporis afflictionē. Purificatio per confessionem, confortatio per spirituale alimentum, vnio cū Deo per orationem, pertinent ad animæ bonum. Eleēmosyna, ad bona externa, quibus indigenti proximo succurritur.

QVÆSITVM VI.

Declarentur ista requisita omnia & singula?

Prima declaratio sit ista, quod omnia ista opera intra vnam hebdomadam debent expleri. Nam si quis in vna hebdomada ieiunaret, & in alia communicaret, non assequeretur Iubileū. *Henriq. l. 7. de Indulg. c. 11. n. 2. & Roderiq. c. 183.*

* *Naldus V. Indulg: affirmat S. Pœnitentiariam declarâsse opera ad consequendum Iubileum præscripta posse præstari intra duas hebdomadas. Sed ieiunia complenda intra eandem hebdomadam. Quia scopus Pontificis est; ut caro ieiuniis maceretur, ad quem magis faciunt ieiunia unita. Imò hæc implenda diebus præscriptis. V. Sent. M. l. 2. d. 73.*

2. Opera illa quæ alligantur certis diebus, vt ieiunium Feriæ 4. Feriæ 6. & Sabbato, non possunt ad aliū diem transferri, aut præueniri: neque per alium quemq; expleri. *Henriq. cap. 10. n. 5. Decis. lib. 4. c. 15.* Solum autem ieiunium solet esse onus diei. *Roderiq. & Henriq.* monent.

3. Non requirit conditio Iubilei, vt omnes diligentiæ seu actiones enumeratæ, impleantur in statu gratiæ, & non in peccato mortali: (quamuis intentio concedentis Iubileum, & ipse animus suscipiendi eum, implorandiq; auxilium diuinum; expostulare videantur, vt rem talem aggressurus recolligat se, compungatur, proponat in gratiam Dei redire, & ita bonum statum inchoet) sufficit enim quod principale, videlicet communio, & vltimum opus, si quod post communionē restaret faciendum, (vt Eleēmosyna, &c.) sit in gratia. *Decis. & alij supra nominat.*

4. Ordo inter hæc bona opera, non est de necessitate.

Insuper. Dum dicitur in Iubileo, vt quisque ante omnia confiteatur, sufficit

ficit intra tempus Iubilei. *Sa, Indulg: n. 13.*

5. Processioni qui non interfuerint, possunt per visitationē (ad minus vnius Ecclesiæ) supplere. Nam in Bulla disiunctiuè exigi solet, processio aut visitatio, & ideò satis est alterutrum facere, *Roderiq.*

6. Qui tēpore visitationis aut processionis, non posset ingredi Ecclesiam, eò quòd plena sit populo, sufficit orare extra eam. *Rosella & Roderiq.*

7. Oratio fieri debet ad libitum, siue per Litanias, siue per vnam partē Rosarij, vel per aliquos Psalmos, aut etiam Orationes Dominicas cum Salutatione B. V. M. imò & breuius *Roderi: n. 9.* Dummodò applicetur (sive ante inchoationē visitationis Ecclesiæ, siue incæpto itinere) illis pro quibus fieri mandatur, vt pro Exaltatione S. Ecclesiæ, Hæresum extirpatione, Principum Christianorum concordia; pro necessitatibusque specialiter in Bulla expressis.

8. Eleëmosyna danda est, secundùm arbitrium dantis. Sufficit autē eam per famulum, vel amicum, nomine principalis dari. Qui si impotens sit, (vt sunt pauperes ac Religiosi) loco Eleëmosynæ debet subrogari (per commutationem Confessarij) aliud opus pium; vt Oratio, Ieiunium, &c.

9. Si tempus ieiunij & communionis, incidat in aliud ieiunium, vt puta, Quatuor temporum, vel Quadragesimæ, vel obligationem communionis Paschalis: vno ieiunio & communione satisfiet, & Præcepto Ecclesiæ, & conditioni requisitæ, ad Iubilei consecutionem. *Henriquez lib: 7. c. 10. n. 5. Azor, &c.*

10. Laborantes & ægrotantes, qui non valent ieiunare vnicâ comestione, licitè, possunt commutationem impetrare à Confessario *Roder: Decis. n. 38.* Imò & illi, quibus propter ieiunium, eueniret notabile detrimentum. Ieiunandum tamen est etiam senibus, & minoribus viginti & vno annis, si absque præfato periculo ieiunare possunt. *Roder: n. 10.*

11. Confessio quocunque die fieri potest, infra hebdomadam electam, ad assequendum Iubileum; & siue in principio, siue in medio requisitorum. *Sanch: lib. 4. moral: c. 54.*

12. Qui infra tempus Iubilei confitetur animo suscipiendi Iubileum, sed postea propter aliquod impedimentum non facit alia requisita, aut etiam mutat animum, quem tamen habuit tempore confessionis: & mutato animo, non vult ieiunare, nec communicare, ac propterea non consequitur Iubileum: is validè absolutus est etiam à reseruatis, & relaxatio votorum facta, valida est: peccat tamen grauiter, non implens alia opera necessaria ad Iubilei consecutionem, si absq; iusta causa facit: quia videtur in fraudem Iubilei facere, & contra virtuale pactum inclusum, in tali facultate ad talem finem concessa. Summus enim Pontifex non intendit concedere facultatem, nisi in ordine ad indulgentiam obtinendam, & pro illis qui habent animum lucrandi Iubileum. Et præterea illa opera videntur se habere tanquam pœnitentia iniuncta & acceptata pro talibus culpis. *Henriq. Sanch: Moral: c. 54. n. 42.* qui etiam *n. 54.*

hanc

hanc propositi mutationem vacare culpa, contra Suarez asserit.

Cæterùm, si dum confitebatur non habuit animum continuandi illas actiones, tunc decepit Confessorem, peccauitq; grauiter,) nisi voluisset tunc confessionem facere ordinariam, non habens reseruata peccata, neque indigens beneficio Iubilei, pro aliqua relaxatione habenda) & posuit obicem absolutioni Sacramentali, ac tenetur confessionem tanquam invalidã, & non integram, iterare, ac proinde reservatio non est ablata, neque relaxatio validè facta.

Idem dicendum est de eo, qui sciens & volens, subticuit aliquem casũ reservatum, vt puta propter pudorem, nam tunc non est ablata reservatio à tali peccato, & censura: neque poterit ab eo absolui post Iubileum. Quia conditionem requisitam de confessione (videlicet ritè facienda) non implet. *Imò* etiam quando reservatum casum expressit, sed alium non reservatum subticuit, aut dolorem sufficientem, propositumvè emendandi vitam non habuit. Sicut enim tunc absolutio erat nulla, ita nec reservatio sublata. Hinc ille quoque qui per obliuionẽ culpabilem (ob non adhibitam sufficientem diligentiam) omisit aliquod mortale, ac proinde validè absolutus non est; censendus est, non amisisse reservationem. Nam reservatio, non nisi media absolutione valida; aufertur. *Sanch. n. 46.* Quamuis *Henriq. l. 6. c. 16. n. 5.* etiam incontritè ac dimidiate confitenti faueat.

13. Qui in Iubileo confessus est bonâ fide, sed inculpabiliter oblitus est, peccatum aliquod reservatum manifestare, illud iam amisit reservationem, & poterit à quocunq; Confessore absolui. Censura vero si annexa fuit, directè sublata est, quamuis post confessionẽ bonâ intentione factã; mutato animo, noluerit suâ culpa obtinere Iubileũ. *Sanch. Roderiq.* Et ratio est, quia statim reservatio tollitur, ac homo à peccatis valide absoluitur. *Sanch n. 36. & 36.*

14. Si quis sub tempus *Iubilei*, hebdomadæ ad id electæ, aliquoties inciderit in casum reservatum, vel etiam censuram (eadem enim ratio est) toties poterit absolui durante Iubileo suo.

15. Neq; exigitur vlus eiusdẽ Confessarij, sed potest fieri ad diversos recursus, pro commoditate & occasione. Potest etiam ab vno fieri absolutio, & ab altero votorum commutatio.

16. Si quis ad finem Iubilei accedat facturus meritò longam confessionem, quia fortè vix aliquando integrè confessus est præ pudore, &c. Aut etiam habet multos casus, qui indigent multo studio aut deliberatione, aut debet multas restitutiones, quas sæpè iussus non implevit: Vnde Confessarius præ anguitia temporis, non potest eum tunc integrè audire, posset cum intra tempus *Iubilei* absolvere à censuris & reservatione casuum) exprimendorum tamen) differens absolutionem à peccatis in sequens tempus. *Sanch. n. 33. Roderiq. c. 183. n. 12. Henriquez l. 7. c. 11. n. 3. 4.* Vel pœnitens omnia peccata breuiter ac expeditè (integrè tamen) manifestet, cum proposito parendi resolutioni Confessoris, vt interim absolvatur, & *Iubileum* lucretur. Pro maiori verò quiete cõscientiæ, examen

men exactius in aliud tempus differatur. Similiter qui tempore Iubilei cœpit confiteri, elapso eo potest absolui. *Sanch: n. 33. Roderiquez. Sa, V. Indulgentia. num: 14.*

17. Commutatio quoq; potest fieri in Iubileo, non tantùm operis faciendi, si effici non potest: sed etiam præteriti, si videlicet non est factum, quod faciendum erat. Imò & voti non petendæ commutationis, *Sanch: n. 23.* Et præterea opera subrogata, locò ieiunij, & alijs requisitis ad Iubileũ, possunt impleri post Iubileum; neque amplius alligantur tempori. *Sanch: lib: 4. c. 54.*

18. Absolutio danda est ordinaria cum intentione plenè (secundùm totum posse) absoluendi, quamuis aliqui in absolutione à censuris interponant, authoritatem Papæ.

19. Qui vltimo die, destinato pro communione, pateretur vomitum, aut ex obliuione biberet, vel qualecunque legitimum impedimentum haberet: posset commutationem obtinere in aliud opus pium. Idem de pueris, qui propter ætatem non admittuntur ad communionem. *Henriq. n. 8.*

20. Hæc autem communio potest à quocunque ministrari, nisi incidat in tempus Paschale, tunc enim vel à Parocho sumenda est, vel licentia petẽda.

21. Potest aliquando breviori tempore Iubileus obtineri, quàm spatio vnius hebdomadæ. Nimirùm si propter aliquam iustam rationem, commutentur ieiunia, tunc enim eodem die fieri potest visitatio Ecclesiarum, eléèmosyna, confessio, communio, & oratio: vt si quis sit infirmus, debilis &c. ieiunare non valens, *Sanch: n. 28. c. 54.*

22. Iubileus semel susceptus amplius iterari non potest. *Sanch: c. 54. n. 29. & multi alij.* Quod est contra eos, qui ex simplicitate discurrunt per diuersas Parochias, ad toties obtinendum Iubileum.

* *Probabile docet Henriquez. Benzonius Molfesius & alij Iubileum ad duas septimanas extensum poße pluries obtineri. Et ad declarationem Clem. VIII. & S. Congr: dicitur in Summa Dianæ V. Iubil: posse dici de illis non constare authenticè. V. S. Mor. loco cit. Refertur tamen ex declaratione Vrbani VIII. tempore Anni S. toties obtinetur Iubileum, quoties implentur opera præscripta.*

23. Similiter Iubileus semel omissus & neglectus) consideratis considerandis) elapso termino recuperari non potest.

24. Existens extra patriam suam, audità publicatione Iubilei; statim potest illud consequi, aut expectare donec in sua patria publicetur. *Roderiq. c. 183. n. 20.*

Similiter iter facturus, potest, aut in itinere, aut si malit, postquam ad locum quietum redierit, præstare opera, & lucrari Iubileum. *Henriq. c. 11 n. 1.*

* *Opera præscripta poßunt impleri in duobus locis modò in vtroque sit Iubileum. Sed Diana p. 5. tract. 12. resol. 53 secutus Layman, confessionem, communionem, ieiunium & eleemosynam loco Iubilai non alligat. Vide Sent: M. loco cit.*

QVÆSITVM VII.

Quot & quos fauores Bulla Iubilei continet?

R. Tres, Amplissimam facultatem absoluendi à reseruatis, non tantùm pecca-

peccatis, sed etiam censuris. Authoritatem commutandi vota & iuramenta. (Neq; enim putandum est, virtute Iubilei ipso facto esse vota commutata, sed sola datur facultas Confessori, vt commutet. *Sanch: n.16.*) Et Indulgentiam plenariam.

QVÆSITVM VIII.

Quando in Iubileo datur facultas Confessoribus, supra casus in Bulla Cœnæ Domini, censeturnè concessa facultas etiam supra ipsam hæresim?

℞. Ait Sa, V. *Absolutio, n. 25.* quosdam affirmare, quosdam verò negare, nisi in Bulla id expressè, in speciali concedatur. Et tamen, *V. Excom: Bullæ. n. 17. & V. Hæresis, n. 12.* in partem negativam inclinare videtur. Quā tenent ferè omnes moderni Doctores. Et quamuis *Sa*, non in omnibus (locis) clarè: Vivaldus tamen in Candela: de absolutione. *n. 17.* ita apertè docet, & multos DD, inter quos Caietanum quoq; allegat. Præterea ita responsum fuisse à Greg: XIII. anno *1577.* & stylum Romanæ Curiæ talem esse, asserit *Nau: c. 27. n: 257. Iac. Graff: l. 4. c. 15. n. 25. Azor. t. 1. l. 8. c. 10. q. 12. & c. 19. q. 2. Sanch: opere moral. l. 2. c. 12. n. 10.* & citat aliquos DD. *Suar. t. 5. d. 7. s. 5. n. 11. & 12.* & similiter nominat aliquos ita sentientes, *Henriq. l. 6 de pœnitent: c. 16. n. 2.* adducit aliquot DD. Et addit hoc ita esse declaratum proprio motu Pij V. 1572. Ianuarij 30. *Arag: 22. q. 11. a. 3.* asserens Greg: XIII. ita declarasse, & olim Vrban. IV. *Auila: p. 2. c. 7. disp: 1. dub: 7.* Idem respondit quidam Illustriss: Cardinalis, nomine Cosmus, cùm officiò legationis fungeretur in Polonia. Nouissimè autē modernus Pontifex Vrbanus VIII. præmissa matura deliberatione, ac priuato studio, ita respondit. Quare nullus in posterum validè ab ipsa duntaxat hæresi absoluere poterit, nisi talis facultas exprimatur. A schismate tamen tunc absolui potest is, qui purus schismaticus esset, absq; admixtione hæresis. Similiter fautores, receptatores, defensores, libros retinentes, legentes, imprimentes, si hæretici non sint, absolui poterunt. *Henriq. l. 6. de pœnit: c. 16. n. 2. in Comment: lit: L. Sanch. l. 2. c. 12. n. 12.*

* *Hanc doctrinam modificat Author quoad nostras partes, ubi non viget officium S. Inquisitionis. Modificat inquam in Appendice ad Tyrocinium Artis Pœnitentiariæ, quam posteriùs scripsit, ut patet ex illis verbis circa medium. Et hoc modo intelligenda est &c.*

QVÆSITVM IX.

Quot requiruntur ad commutationem votorum faciendam?

℞. Tria. Authoritas, causa, & materia.

Authoritas quæ sit, & ad quid se extendat, considerari debet. Communiter enim dari solet ad commutationem: non ad dispensationem: & delegata potestas ad commutandum, non se extendit ad dispensandum, & è contra.

Causa quoq; consideranda est. Nam quamvis ad dispensandum maior exigatur causa, & grauior, (ut suo loco dicetur) tamen etiam ad commutandum exigitur. Sufficit autem leuis & parva: quia parva est facta per cōmutationē remissio, vnde in Iubileis sufficit, vt vovens petat commutationem. Quia semper cum illa petitione concurrit, prom-

promptior vouentis voluntas ad materiam subrogatam. Quod cedit in maiorem Dei honorem, & Ecclesiæ benignitatis commendationem. *Sanch. c. 50. n. 22. & seq.*

Porrò, quoniam materia voti est bonum, ideò materia quoq; subroganda locò alterius, debet esse quid bonum. Et quidem si commutatio esset facienda, in bonum evidenter maius, non requiritur Ecclesiastica potestas: potest enim ipse vouens propria authoritate loco calicis argentei promissi, dare aureum. In bonum verò minùs illo priori promisso, fieri non potest pura commutatio, etiam authoritate Ecclesiasticâ, nisi admisceatur dispensatio, cum graui causa: de qua modo non loquimur. Exigitur itaque æquale bonum priori, in quod commutandum est illud votum. Quæ æqualitas non scrupulosè est accipienda, sed moraliter, ita vt prudentis arbitrio, nulla aut parva differentia esse credatur, vel saltim, non sit certum, bonum subrogatum esse minùs, illo antea promisso.

Ad hæc ista æqualitas inter materiam præsentem voti, & materiam subrogandam, non est perpendenda, ex natura illorum bonorum (constat enim orationem esse, secundùm naturam suam nobiliorem, & superiorem ieiunio, peregrinatione, & eléèmosynâ: & tamen pro afflictione vnius diei per ieiunium, non sufficeret recitare vnam partem Rosarij: neque semper Deo gratius est voventem facere, id quod per se excellentius est) sed expendenda est ista æqualitas, secundùm proportionem rei, ad rem, vel quoad acceptionem Dei, & voventis salutem, pensatis omnibus circumstantijs, vt inferiùs dicetur.

Neq; ista æqualitas materiæ subrogandæ, respectu prioris promissæ, est ponderanda duratione, magnitudine aut numero: vt quod votum perpetuum commutetur in materiam perpetuam; potest enim in temporalem, si perpetuitas compensari potest qualitate, & grauitate operis subrogati. Neque requiritur, alligatio operis subrogandi ad idem tempus, & diem, quo res priùs promissa implenda erat. Quia potest esse tam grata Deo alio tempore, quàm hoc (quamuis & id posset fieri.) Neq; exigitur materiarum conformitas: sed potest votum personale (vt puta peregrinatio) in reale mutari, videlicet in eléèmosynam, &c. *Sanch: c. 56: n. 24.* Quæ autem sint consideranda in exæquatione materiarum, inferiùs quæsito vndecimo dicetur.

Circa autem istam commutationem multa scienda sunt. Ac inprimis, quod hæc commutatio potest fieri, non tantùm in Sacramento pœnitentiæ, sed etiam extra. *Sanch: n. 18.* Item votum semel commutatum in aliquam materiam, potest iterum commutari, etiam quoad illam materiam subrogatam. *Sanch:*

Et acceptatâ commutatione, licet vouenti, redire ad priorem materiam promissam, omissa subrogatâ. Imò si sæpè votum sit commutatum, vt peregrinatio annua in menstruam confessionem, ista in ieiunia aliquot, hæc in aliquot preces, ; licitum est voventi exequi votum in quacunque materia. *Sanch: c. 55. n. 28. Azor: t. 1 lib: 11. c. 18. q. 10.* Sed postquam redierit ad prius votum,

tum, nolens commutatione vti, non potest ad subrogatam redire propriâ authoritate, nisi sit facta commutatio in euidenter maius bonum, & votum illud, non sit Papæ reservatum. *Santhi c. 55. n. 30.*

Idem obseruandum est in commutatione iuramentorum.

QVÆSITVM X.

Quæ & quot sunt spectanda in commutatione facienda?

℞. Multæ circumstantiæ sunt considerandæ, sed præsertim septem.

1. Maior Dei honor, & quod ei gratius, aut æquè gratum sit futurum, id quod subrogatur. 2. Reipubl: aut etiam voventis ipsius vtilitas, vt si magis congruit saluti eius spirituali. Vnde expedit mutationem facere, in res quas vovens sibi elegerit, vel solitus est facere, non alligando ipsas ad tempus. 3. Finis, ad quem promissum ordinatur, vt si quis propter castitatem, vovit peregrinationem: magis conducent ad eam, ieiunium & oratio, frequentatio Sacramentorum, pœnitentiæ & Eucharistiæ, ac meditatio. 4. Obligatio vouentis respectu rei promissæ: nam si votum esset de vitando peccato, (v. g. fornicationis) minori commutatione opus est: quia per commutationem non aufertur obligatio præcepti: nisi illud votum valde arceret à peccato, tunc enim subrogandum esset, correspōdens opus tali fini. Hinc si votum conduceret ad hunc finem, commutandum esset in perpetuā menstruam confessionem: si non, in Rosarium totum, semel quolibet mense, per triennium. 5. Habenda est ratio difficultatis, in adimpletione rei promissæ, & subrogandæ: vt ieiunium pauperis in minorem eléēmosynam, vt quæ difficilior est pauperi quàm diviti. Et pauciora ieiunia imponenda laborantibus, cholericis & debilibus, quàm otiosis, phlegmaticis, robustis. Quia pauciora in illis, æquiualent pluribus: ratione maioris difficultatis & laboris, in illis perferendis. 6. Perpendenda est vouentis fragilitas: curandumque est, ne nimis gravetur, ita vt maneat periculo transgrediendi subrogatā materiam expositus. 7. Expensæ quoque considerandæ, sed illæ quæ vltra domesticas & ordinarias fierent: & labor itineris. Vbi sciendum est, quod non exigitur expensas computatas mitti ad locum, ad quem votum refertur. Sufficit enim ipsas erogari in pias causas, vbi placuerit, *Sanch: c. 56. n. 21.* Res tamen ibi offerenda, relinquenda, aut subsidium promissum, transmittendum aut compensandum est, illi ipsi loco intento.

QVÆSITVM XI.

Possuntnè aliqua exempla mutandorum veterum proponi, vt Confessarij magis rem hanc penetrent?

℞. Possunt. Sanchez enim *lib. 4. c. 56. n. 39.* proponit aliqua. Primum itaq; exemplum est ex cap. venientis, de voto: vbi commutatur votum Hierosolymitanum cuiusdam pueri, ob iustam causam: vt id votum eléēmosynis redimeret, & toto vitæ curriculo, vni pauperi provideret.

2. *Ex cap: magnæ,* de voto: simile votum cuiusdam Episcopi commutatur: vt expensas eundi & redeundi, & commorandi ibi, integrè mittat (quāvis hoc non sit necessitatis) & laborem

rem

rem itineris compenset, solicitiùs instando vigilijs, devotiùs vacando orationibus, & fortiùs se exercendo ieiunijs.

3. Labor peregrinationis promissæ, commutatur sic à viris doctis. Si peregrinatio pedestris esset promissa, vt vltra expensas; labor vnius diei commutetur in ieiunium vnius diei, & duorum dierum in duo ieiunia: & sic deinceps. Si non esset futura pedestris, vt labor quatuor dierum commutetur in ieiunium vnius diei. *Sanch. Sayro lib. 6. c. 12. n. 20. Azor. t. 1. lib. 11. c. 18. q. 13.*

Quòd si peregrinatio mendicatò fuit promissa, nullæ expensæ sunt attendendæ, sed labor & humiliatio.

4. Votum non contrahendi matrimonium, commutari potest, in confessionem singulis mensibus per triennium, & in novem Sacra. Posset addi brevis aliqua oratio singulis diebus ad mortem.

5. Votum Sacerdotij assumendi, in recitationem quotidianam Psalmorum Pœnitentialium cum Litanijs; vel Officij B.V.M. vel integri Rosarij, & in confessionem ac communionem singulis quindenis, & faciendum Sacrum quolibet mense, & vt voueat castitatem in statu sæculari. Quodsi vellet contrahere, addendum ieiunium semel in hebdomada.

6. Votum ieiunandi semel in septimana; in confessionem & communionem triennio singulis quindenis, & in tria Sacra facienda: aut in recitationem Rosarij, & eleemosynam medicam quâlibet septimana perpetuò faciendam.

7. Votum simplex, Castitatis & Religionis non potest tolli purâ commutatione, sed debet admisceri dispensatio. *Soto 7. de Iust. q. 4. a. 3. & Sanch.* Hoc autem solius Summi Pontificis est, neque solet concedi in Iubileis.

* *Monet Eligius Baßæus Capucinus Confeßarii imperiti onus commutandi vota in se non suscipiant, sed consulant habentes peritiam commutandi, quia defectu huius, multa ridicula sæpè commutationes fiunt. Si autem Confessarius nequit peritiorem consulere: eò quòd pœnitens renuat expectare, dicat secundùm citatum Doctorem. Ex nunc commuto tibi votum hoc in res quas iudicabit talis ad cuius sententiam te obligo. V. Sent. M. in fine, additione 3.*

* *Notanda tamen pro consolatione Confessariorum doctrina Philippi à SS. Trinit. in 2. 2. de virtute Religionis disp. 3. dub. 11. Dicunt aliqui, qui habet tantùm potestatem commutandi vota debet illa commutare in æquale vel penè æquale. Sed probabilius videtur, quòd possit commutare in minus. Quia commutare in æquale vix apparet ullum privilegium, cùm probabile sit potestatem commutandi in æquale esse penes ipsum voventem. Ita in terminis citatus Doctor. Et innuitur l. 1. Sent. M. d. 15. conc. 13.*

QVÆSITVM XII.

Quotuplex est finis Iubilei?

℟. Duplex: proximus, qui est consecutio Indulgentiarum; hoc est, relaxationis, expiationis, & (vt interim sic crassa Minerua rem declarem) remissionem pœnarum pro peccatis in confessione remissis, debitarum.

Vltimus finis Iubilei, est impetratio alicuius auxilij, aut gratiæ à Deo.

QVÆSITVM. XIII.

Quomodo ampliantur gratiæ in Iubileo contentæ?

℟. Ad personas Religiosas clausas,

sas, incarceratas, itinerantes, infirmas.

Sed diversimodè. Nam Confessarijs Claustralium perpetuò ibi degentium, incarceratorum, captivorum, infirmorum, non valentium requisita implere, committitur, vt possint omnia & singula in pietatis opera commutare, vel in aliud, proximum tamen tempus, differre. Vbi vtrumq; arbitrio ipsius Confessarij committitur.

Quoad itinerantes autem, vel navigantes, aliter dicitur. Nam neque dilatio, neq; commutatio, Confessarijs committitur; sed ordinatur, vt illi peracto tali itinere, requisita exequantur.

QVÆSITVM XIV.

Quomodo limitantur fauores Iubilei?

℞. Restringuuntur quoad duo. 1. Quoad irregularitates, siue publicas, siue occultas: notas, defectus, incapacitates, inhabilitates. Ad has enim non se extendit facultas Confessariorũ, neque etiam in foro interiori, vt dictũ est superiori titulo.

2. Quoad censuras. Quòd absolutio ab illis valebit in foro pœnitentiali tantùm: in contentioso autem posse procedi contra absolutum. Deinde neque in foro interno conscientiæ valebit, quoad illos, qui sunt ab aliquo Iudice excommunicati, suspensi, vel interdicti, vel aliàs incidisse in hæc declarati, vel publicè denunciati, nisi intra tempus Iubilei satisfecerint, aut cum partibus concordaverint.

* *Nota pro coronide: non suspendi per annum Sanctum indulgentias pro animabus Purgatorii. Nec quæ conceduntur, viuis vt applicentur mortuis. Nec concessæ Ecclesiis Vrbis Romæ. V. Sent. M L 2. d. 74. Supponitur ergo durante anno Sancto suspendi extra Romam omnes indulgentias (de non plenariis enim alia ratio) quoad vivos etiam in carceribus, non tamen in periculo mortis constitutos, ut refert P. Hermanus declarâsse Vrbanum Octauum. Suspenduntur etiam aliæ facultates v. g. absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ Domini, commutandi vota, dispensandi &c. concessæ in ordine ad lucrandas plenarias indulgentias, referente præfato Doctore.*

TITVLVS XIV.

De quibusdam superstitionibus.

Habet quæsita 4.

QVÆSITVM I.

Fascinatio quid significat: an detur, & quomodo curetur?

℞. 1. Fascinatio importat quoddam nocumentum, quòd aliquis alicui à se distanti infert, aspectu, voce, aut laudatione.

2. Fascinatio triplex potest esse: Vulgaris seu fabulosa: Naturalis: & Magica.

Vulgaris quidem illa est, cùm aliquis lædit qvempiam, non coniunctum corporaliter, nec id eum quidpiam agens, sed merè solâ visione, voce aut commendatione.

Naturalis est, contagio seu infectio, ex quibusdam causis naturalibus procedens.

Magi-

Magica, est nocumentum alteri illatum operâ diabolica, & pacto cùm ipso inito, cuius nota potest esse in oculis.

Hâc distinctione possunt DD. conciliari affirmantes, & negantes eã dari.

Nam Glossa *Gal.* 5. apertè docet quorundam oculos esse virulentos, qui alios videndo, præsertim infantes & pueros, atq; animalcula, inficiunt. Cuius rationem assignat D. Th: *1. p. q. 117. a. 3. ad 2.* egregiam.

3. Cæterùm alij cõstãtissimè negãt. Inter quos Abulensis *sup. q. 18.* sic ait: Nos quoq; cum tota Ecclesia fascinationem improbamus. Eandem damnat Basilius, Chrysostomus, Hieronymus. Porro Richard: *quodlibi 3. q. 12.* profert duos articulos, quibus anathema dicitur his qui illam tenent.

Itaq; hi DD. sic possunt conciliari, quod vulgaris illa fascinatio est muliebris nugatio atq; superstitio, nullum fundamentum apud Philosophos, aut Medicos habens. Neq; enim aspectus ex se solo, absq; admixtione alicuius causæ naturalis, vel diabolicæ, potest esse venenosus, & noxius; similiter & vox seu laudatio: vnde meritò eam damnant DD. Atqui naturalis, & diabolica, possunt admitti.

4. Fundamentũ Physicæ fascinationis, est corruptio humorum in homine, proueniens ex annositate, morbo, cibis nocivis. Quæ corruptio prodit in oculos, præsertim, in os atq; nares. Dum verò intra oculos, nares & os nõ continetur: emissa ex ore per halitum, ex oculis & naribus per euaporationẽ, inficit àërem vicinum qui infectus insinuat se in oculos pueri, quæ est pars tenerrima, & attrahitur ore pueri oscitantis: inde ad alias corporis partes diffunditur. Vnde & puer infirmatur, ac vomitum patitur. Quod manifestari posset hàc experientia, à D. Th: *vbi supra*, allata. Ex aspectu mulieris menstruatæ, specula, si fuerint nova & pura, contrahunt quandam impuritatẽ, ita vt superficies sit, velut nubes sanguinea: similiter mutuus intuitus inter sanum & lippum: læsionem facit.

5. Origo huius superstitiosæ & vulgaris fascinationis, facta est à gentilibus, quorum dementia eò vsq; processit, vt se ipsum quoque aliquem fascinare posse, crediderint: vt de illo asserebant, qui intuens faciem suam in aqua, se ipsum visu & complacentiâ infecerit.

6. Remedijs autem vanis vti, vt lavare faciem aquâ fluvij, cum quibusdam obseruationibus, superstitiosum est. Sed error deponendus est, (quoad fabulosam fascinationem. Aut ad remedia naturalia per medicos: & supernaturalia, per orationes, vsum Sacramentorum, (si subiectum capax est) vel tandem aquæ benedictæ, si infectus puer est, confugiendum est (quoad fascinationes naturales & veneficas.) Patienter autem tolerãda est crux hæc à Deo permissa, imò etiam mors, si Deo non placuerit, per hæc remedia sanitatem restituere: & non est recurrendũ ad dæmonis hostis nostri præsidia. Poterit quidem ille conferre sanitatem, applicando occultas naturales virtutes, sed cum præsentissimo periculo damnationis æternæ. Hæc obiter & breuiter sunt dicta. Plura si quis scire desiderat, legat: *Azor t: 1. lib: 9. c. 25. Martinum Delrium, lib: 1. c. 3. q. 4. & lib: 3. q. 4. sect: 1. Sanch: lib: 2. c. 40. n. 48.*

QVÆ.

QVÆSITVM II.

Licetnè duobus secum pacisci, vt præmoriens, superstiti appareat, certiorem eum facturus de suo statu?

℞. Hoc valde periculosum est, quia tales exponunt se periculo illusionis diabolicæ. Incertum an ipsa anima compareat, vel dæmon eius vices subeat. Præsumptuosum ac temerarium est, scrutari arcana Dei, circa salutem nostram. Satis autem est sequi doctrinam Apostolicam, cum timore & tremore operando salutem suam: præcepta Dei implendo, regulas Ecclesiæ & S. scripturæ, observando.

Hinc esse videtur, quædam Dei tentatio, velle scire, viâ extraordinaria, omissâ via nobis per divinam providentiam ostensa.

Peccaminosa quoque est ista curiositas, & pro varietate circumstantiarum, aliquando erit culpa mortalis, aliquãdo venialis. *Sanch: lib: 2. c. 38. n. 25. Delrius ibidem citatus.*

QVÆSITVM III.

Provocare ad divinum iudicium, licetne?

℞. Regulariter non licet, quia est extraordinarium medium, & periculosum. Nihilominùs aliquando in iuriâ affectus, licitè potest lædentem citare, ad comparendum coram Deo Iudice, siue intra certum tempus, siue absolutè; cõcurrentib⁹ quinq; cõditionib⁹.

1. Ex parte iudicij humani, si non sit qui iustitiam administret, vel nolit, aut opprimat.

2. Ex parte provocantis, si aliàs sit pius ac timoratus.

3. Ex parte motivi, vt non faciat ex odio, impatientia, ira, desperatione, vanitate, aut vindictæ cupiditate, & quouis alio malo affectu.

4. Si sit in materia maximi momenti, & non sit causa leuissima.

5. Ex parte finis & intentionis, vt scilicet eius innocentia appareat, familia non grauetur infamiâ, vt liberetur mundus tali tyranno, aut is resipiscat, & timore perculsus pœniteat, desinatq; ab oppressione miserorum.

Absq; his conditionibus id facere, est peccatum mortale, quia grave nocumentum proximo infertur. Traducitur enim: & si sit meticulosus, ex terrore moritur, aut in morbum incidit.

Citatus tamen si nullius iniustitiæ conscius est, potest talem tentationem floccipendere. Conscius autem alicuius iniuriæ, debet se diligenter recolligere & corrigere. *Delrius lib. 4. c. 4. q. 4. sect. 1.*

QVÆSITVM IV.

Consvetudo, quâ iumentis vena aperitur die alicui sancto dedicato, estnè superstitiosa?

℞. Est superstitiosa, ac proinde extirpanda. Quia nulla causa naturalis, huius rei esse potest. Neque supernaturalis, quæ aut in Sacra Scriptura tradatur, vel ab Ecclesia doceatur. Et præterea, diabolicum inventum est, vt homines à Dei cultu retrahantur, & his vanis distrahantur. Idem dicendum est de collectione herbarum tali vel tali tempore, Festo aut Vigilia. Et de observatione temporum, de qua superstitiosi versus erant olim: Clara dies Pauli, &c. De his copiosè *Delrius lib. 3. q. 4. sect: 6. Sanchez lib 2. cap. 40. n. 31. & 32. Sayro lib: 4. cap: 6, num: 8. Nauar: cap: 11. num: 34. Greg: Val: 22. disp: 6. q. 13. p. 2.*

SVPPLEMENTVM MOSCICENSIS,

Seu

TRACTATVS De Matrimonio,

AVTHORE

P. F. FERDINANDO OHM aliàs IANVSZOWSKI, Ord: Præd: S. T. MAGISTRO

TITVLVS I.

De antecedentibus Matrimonium.

Habet quæsita 13.

QVÆSITVM I.

Quid sint Sponsalia?

℟. Sponsalia sunt mutua futurarum nuptiarum promissio. *S. Th: in Supplem:* *q. 43. a. 1.* & sic requiritur vt vterque promittat, nec sufficit acceptare alterius promissionem, nisi etiam intendat se obligare, non etiam sufficit simplex propositum, *v. g.* volo te in meam; cùm hoc non inducat obligationem, vt patet in voto, nisi quis intendat se obligare.

QVÆSITVM II.

Quot modis fiant Sponsalia?

℟. Ex S. Th: citato, quatuor modis. 1. nudâ promissione, v. g. accipiam te in meam, & viceversa. probabiliùs est, hanc non sufficere, non aliam ducam, quàm te. *Bonac: de mat: q. 1. puncto 1. n. 13.* cum communiori, quia dicta verba faciunt sensum conditionatum, si aliquam ducam, non aliam quàm te, tenetur tamen ducere, si sic deceptam violavit. 2. datis arrhis Sponsalitiis, v. g. pecuniâ, vel alio simili. 3. annuli subarrhatione.

4. In.

4. Interveniente iuramento, non tamen valent, licèt fint iurata, fi prima non funt legitimè diffoluta. *Syluester v. Spons. n. 10. Armilla n. 7.* ficut non valent, licèt fint iurata, interveniente metu invalidante matrimonium. *Sa, v. spons. n. 1.* & probabile iudicatur in fumma *Diane v. metus n. 7.*

QVÆSITVM III.

An poßit apponi pœna solvenda ab eo, qui non steterit sponsalibus?

℟. Sponfi vel propinqui Sponforum, vel ftricti eorum amici, non pof. funt apponere pœnam gravem vel levem folvendam ab eo, qui non fteterit fponfalibus. *ex C. gemma, de spons.* fi appofuerint, non tenentur eam folvere, nec in foro externo, nec in foro interno; licèt iuramentum intervenerit; quia iuramentum non obligat ad rem illicitam. *Bonac. de Spons. punct. vltimo n. 1. & 2.*

Apponere huiufmodi pœnam non eft mortale fecundùm *Caiet. v. Spons. & alios,* veniale tamen.

QVÆSITVM IV.

Quotuplex Sponsalium effectus?

℟. Duplex 1. Obligatio fub mortali contrahendi matrimoniū. *S. Thom. citatus ad 3.* nifi adfit legitimum impedimentum, hæc obligatio non neceffariò antecedit matrimonium ficut & fponfalia non neceffariò antecedunt matrimonium. Sponfi in foro contentiofo non compelluntur, quia matrimonia coacta malum exitum habere confveuerunt, nifi interveniffet iuramentum, vt quidam dicunt. Sed neque propter hoc cogendi funt, ob dictam rationem *Armi. v. Spons. n. 7. ex Panormitano.*

Qui temerè retrocedit, amittit munera. Conftans verò non.

Secundus Sponfalium effectus, eft inhabilitas contrahendi cum confanguineis fponfi vel fponfæ, in primo gradu tantùm, quod dicitur impedimentum publicæ honeftatis, *Trid. sess. 24. de Matr. Cap. 3.*

QVÆSITVM V.

An Persona nobilis & diues, quæ iniit voluntariè sponsalia cum ignobili & paupere, cuius conditionem non ignorabat, teneatur matrimonium contrahere?

℟. Tenetur. nam cùm effet confcia conditionis, & voluerit fponfalia contrahere, tenetur adimplere promiffionem, ex qua oritur obligatio fub mortali. *Bonac. q. 1. de Matr. p. 2. n. 2.* cum communi. modò ex tali matrimonio non fequatur graue malum vel magnum fcandalum, vt graves rixæ inter parentes contrahentium, vel aliud graue incommodum, nam Sponfus vel fponfa non tenetur adimplere promiffionem futuri matrimonii, quando prævidet fore, vt matrimonium fortiatur pravum exitum. idem *ex Nau. & Rodriq.*

QVÆSITVM VI.

An vir teneatur ducere fœminam, cum qua sub ficta promißione matrimonii copulam habuit?

℟. Qui fub ficta promiffione defloravit virginem, tenetur fub mortali eam ducere. *S. Th. relatus à Lebat de Mat. dub. 5. §. 1.* nifi aliqua rationabilis caufa oppofitum fvadeat, tunc enim fat eft alio modo fatisfacere. Oppofitum *D. Thomæ* tenet *Bonac. punc. 2. de*

de Sponſ. n. 5. cum aliis. Qui etiam ficte promiſit iam per alium corruptæ, aliàs bonæ famæ, quæ infamiam ob carnalem copulam incurrit, tenetur eã ducere, infamata enim, cui, vt compe- tit nubet? *Labat loco cit:* Secus dicen- dum, dum nullum periculum infamiæ, tunc enim ſufficit pro iniuria ſatisface- re. *Samuel de Lub. v. promiſſio n. 9.* & alii. Hæc à fortiori currunt, ſi pro- miſſio ficta ſit iurata, tunc enim tene- tur ducere, etiam ab alio iam corru- ptam. *S. Thom: 22. q 89. a. 7. ad 4.* addu- cens illud *Iſidori L. 2. de ſummo bono C. 31.* quâcunque arte verborum quis iuret, Deus tamen qui teſtis conſcien- tiæ eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui iuratur, intelligit.

QVÆSITVM VII.

Quot modis ſolvantur ſponſalia quã- vis iurata?

℞. Multis. 1. defectu ætatis, ſi quis non habeat ſeptennium ferè com- pletum.

2. Per religionis ingreſſum, & ſer- mo eſt de religionis ingreſſu, ante pro- feſſionem, qui mox dirimit: non po- teſt tamen ingredi ſi ſponſam violauit, & nulla via, etiam per matrimonium ratum, poteſt damnum reſarcire. nam ſi poteſt per matrimonium ratum da- mnum reſarcire, contrahat, deinde ingrediatur.

3. Per ſimplex caſtitatis votum, etiã poſt ſponſalia iurata emiſſum; nam Sponſalia iurata cenſentur ſub hac con- ditione facta, niſi perfectior ſtatus eli- gatur. *Bonac q. 1. de Matr punčto 5.* cum aliis DD. idem de voto ordinis ſacri.

4. Per ſubſequens cum altera ma- trimonium. Nota contra *dela Cruz* obligatio ſponſaliorum ſoluto per mor- tem matrimonio, ſicut & dimiſſo re- ligionis habitu, non reviviſcit. nam obligatio ſemel extincta non revivi- ſcit. primam partem docet *Arm:* ſe- cundam *Sylu: v. Spons.*

5. Per alterius ſponſi fornicatio- nem, quàmvis fœmina ſit vi oppreſſa.

6. Per affinitatem ſupervenientem, etiam ex copula illicita. aut aliud im- pedimentum dirimens, imò quàm- vis tantũ ſit fama de tali impedimento.

7. Si Sponſus huc & illuc vagetur, & longiùs vadat.

8. Si in contractu Sponſaliorum tempus determinetur, eoque comple- to vnus non velit contrahere, alter liber manet.

9. Si ſponſalia facta ſub conditio- ne, & hæc non impleatur, v. g. vt tanta dos detur.

10. Per gravem infirmitatem, v. g. per morbum gallicum, per magnam de- formitatem, v. g. orbitatem oculorũ. vel ſi aliqua vitia detegantur, aut alia ſuperveniant, quæ ſi antea ſcirentur, ſponſalia non contraherentur.

11. Per graves inimicitias ortas inter ſponſos.

Tandem per vtriuſq; voluntatem. hæc probat *dela Cruz: de Mat: q. 2. n. 3.* exceptis iis pro quibus refertur *Bonac: n. 3. & alii n. 4.* In prædictis caſibus ſi ſponſalia clandeſtina, vel cauſa mani- feſta, non eſt neceſſarium vt per iudi- cem diſſolvantur. *Sylv: v. ſpons: n. 10.* quod dictum ſupponit ſponſalia clan- deſtina eſſe valida. imò nec damnã- tur peccati mortalis *à Sa v. ſpons: n. 1.* *contra Armillam v. ſpons: n 14.* cuius ta- men ſententia ſecurior. & elicitur ex duodecimo Canone pœnitentiali *apud Moſc:*

Mosc: in Elementis ad Sacras Conf: p. 5.

QVÆSITVM VIII.

An per vtriusq; consensum ita solvantur sponsalia, vt liceat in eodem gradu ducere?

℞. Negat *Bonac: q. 3. de Mat. p. 11. n. 7.* adducens, novam declarationem Cardinalium. si enim per mortem v. g. sponsæ, non tollitur impedimentũ publicæ honestatis, vt passim docent DD. *ex C. Sponsam, de sponsalibus*, a fortiori non tollitur per vtriusque consensum.

QVÆSITVM IX.

An, & sub quo onere, quo loco, & tempore faciendæ denuntiationes?

℞. 1. Antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solennia publicè denuntietur, inter quos matrimonium contrahendum. *Trid: sess: 24. Cap, 1.*

2. Per omissionem denuntiationũ non invalidatur matrimonium. Sed peccatur mortaliter, si omittatur sine facultate, aut legitima causa, cum sic possint sequi gravissima mala, quamvis nulla censura ipso facto incurratur. *Bonac: q. 8. p. 6. n. 6. & 7. cum aliis DD.* suspendendus tamen ab officio per triennium omittens denuntiationes. *C. cùm inhibitio de clandestina desponsatione*; ex quo patet, quàm cavendum Parochis, ne facilè aduenas copulent. omittere vnam denuntiationem non videtur aliquibus mortale propter parvitatem materiæ, si Parochus sit certus moraliter non adesse impedimentum.

3. In vtraque Parochia faciendæ denuntiationes, vel à proprio Parocho, vel ab alio de Parochi licentia, si contrahentes sint diuersarum Parochiarũ, Tridentinum enim sic loquitur, à proprio contrahentium Parocho. & *Bonac: loco cit: n. 10.* refert declarationem sacræ Congregationis.

4. Denuntiationes possunt fieri extra Ecclesiam v. g. in cæmeterio, sicut & matrimonium. Nec peccatur faciendo eas, alio die, quàm festo, quando ingens multitudo populi confluit. Hoc dictum probat *Bonac: loco cit: n. 18.* à fortiori possunt fieri, quando celebratur festum particulare, ad quod populus confluit.

QVÆSITVM X.

An, & de quibus causis, possint omitti denuntiationes?

℞. Dum adest causa valde vrgens sufficit vna denuntiatio, aut saltim Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus, matrimonium celebretur: etsi non adsit facultas Episcopi vel Officialis quia necessitas lege caret. v. g. quando periculum est in mora, & non patet aditus ad Episcopum, vel Officialem & aliàs teneretur dispensare.

Quando autem vna tantùm de licentia Episcopi, seu aliàs, denuntiatio præmittitur, non statim eâ factâ matrimonium contrahendum, sed per aliquod tempus, iudicio prudentis expectandum. *Sanchez, & alii apud Bon: loco cit: n. 16.*

2. Causæ iustæ omittendi denuntiationes sunt multæ. de quibus vir prudens & timoratus iudicet. 1. Quando ti-

do timetur matrimonium malitiosè impediendum. 2. Quando instat tempus, quo nuptiæ prohibentur, vt est Adventus &c. quod autem fiat denuntiatio ter, sc: in prima Missa, in Missa solenni diei, tandem hâc finitâ in missa ante matrimonium celebrandum, tantùm pura ceremonia est, cùm id parum iuvet ad notitiam impedimentorum. 3. Cùm magnates contrahunt, non enim timendum de impedimento, cùm magnatum matrimonia publica. 4. Quando concubinarius, citò petit coniunctionem matrimonialem &c. *Bonac: loco cit: n. 8.* in his tamen debet cõstare moraliter non adesse impedimentum dirimens.

QVÆSITVM XI.

Dum matrimonium contractum sine denuntiationibus, propter aliquam vrgentem causam, an possit consummari, non præmissis denuntiationibus?

℟. Non potest, ita Trid: citatum; aliàs peccatur mortaliter propter periculum impedimenti, toties, quoties, consummatur. *Bonac: cum multis aliis loco cit: n. 8. & 9.* Ledesma tamen, Lopez & alii ab eodem relati negant, si Parochus & contrahentes adhibuerunt sufficientem diligentiam, vt deprehendatur impedimentum.

QVÆSITVM XII.

Sub qua obligatione, sunt detegenda impedimenta matrimonij?

℟. Sub obligatione peccati mortalis, etiam sub secreto scita, quàmvis probari non possint: quia agitur de gravi proximi spirituali damno: præmittatur tamen correctio, si fructus speratur. Item quàmvis tantùm audita, modò à persona fide digna. Secus si audita à persona nihil certi sciente, vel quæ non meminit à quo audivit. *Bonac. loco cit: n. 20. cum aliis DD.*

QVÆSITVM XIII.

An oscula, amplexus, & his similia, liceant Sponsis?

℟. Oscula & amplexus libidinosa, hoc est cum delectatione facta, non sunt mortalia inter Sponsum & Sponsam, si desit periculum pollutionis, vel vlterioris consensûs. *Armilla v. Spon. n. 14. Samuel de Lublino v. spon: n. 4* eò quòd Sponsus habeat aliquod ius, licèt tantùm inchoatum & imperfectum ad corpus sponsæ, & viceversa, amplexus verò solius benevolentiæ causa, nullo modo sunt peccata.

Nota hanc doctrinam non posse extendi ad tactus partium verendarum inter sponsos. *Arm: v. imped: n. 2. & Samuel loco cit.* nec ad delectationem de copula, non enim licet sub mort: sponsis delectari delectatione libidinosâ carnali, de copula futura.

Quare ad hæc, & vlteriora peccata vitanda, non est vllo modo permittenda sponsis cohabitatio, magnum enim periculum, quod in conscientia vitare tenentur.

*. *Dixi: delectatione libidinosâ carnali. Nam quando docetur à nonnullis licere sponsis delectari de copula futura, & viduis de præterita delectatione libidinosâ, non est sermo de delectatione carnali, sed in qua tantùm fit repræsentatio delectationis carnalis. Et hâc ratione poßunt conciliari oppositæ. Qui affirmant licere declarari sponsis de futura copula &c. loqvuntur secundùm*

repræ-

repræsentationem. Qui negant: loquuntur secundùm sensum.

Voco autem delectationem libidinosam, prout præcisè dicit ordinem ad venerem & coitum præscindendo ab vtilitate prolificâ & honestate de redditione debiti coniugalis.

Eandem doctrinam applica dictis p. 8, Elementorum ad S. Conf: dum a. 12. agitur de peccatis viduarum. Et p. 2. Tyrocinii Artis Pœnit: de Luxuria n. 17.

TITVLVS II.

De Sacramento Matrimonij in genere?

Habet quæsita 12.

QVÆSITVM I.

Quid sit Matrimonium, & quando institutum?

℟. 1. Matrimonium in ratione contractûs naturalis, est legitima coniunctio maris & fœminæ in vsum coniugij, individuam vitæ consvetudinem retinens. *Labat de Mat: dub: 1, §. 2*, in ratione Sacramenti: est novæ legis Sacramentum à Christo D. institutum causativum gratiæ vnitivæ, *Salazar*. gratia enim quæ in hoc Sacramento datur, significatur per modum vinculi & coniunctionis, & ordinatur ad mutuam supportationem, item ad honestam procreationem & educationẽ prolis *Mosc: in exam: approb: tit: 1. q. 5.* nec solùm in hoc Sacram: significatur gratia coniungens coniuges ad invicem, sed etiam significatur minùs principaliter vnio Verbi cum humanitate, & coniũctio Christi cum Ecclesia.

2. Iuxta varietatẽ temporũ est variè institutũ sacramẽtũ matrimonij. in statu enim innocẽtiæ est institutũ in officium naturæ, ad propagandam speciem humanam. in statu naturæ lapsæ, vltra hoc, in remedium concupiscentiæ. In lege gratiæ à Christo Domino, in ratione Sacramenti. *S. Th: in Supp. q. 42. a. 2.* Institutum inquam, siue Ioa: 2. in nuptiis, vel Matth: 19. dicendo. quod Deus coniunxit homo non separet.

QVÆSITVM II.

Quæ materia & forma in Sacramento Matrimonij?

℟. Vtriusque coniugis consensus mutuò per verba, vel per nutus expressus, est materia proxima, & forma huius sacramenti, sub diversa tamen ratione: quatenus enim consensus coniugum habet rationem traditionis, est materia, quatenus habet rationem acceptationis, est forma. *Ita Theologi, maximè Thomistæ cum Angelico D. in supp: q. 42. a. 1. ad 1. & 2.* Materia verò remota, sunt ipsi contrahentes, vel corpora ipsorum. Et sic verba, ego vos coniungo non sunt forma huius sacramenti, imò nec ad valorem simpliciter necessaria. cùm ante Trid: valida fuerint matrimonia clandestina, vt patet *Sess: 24. Cap. 1.*

Nota, verborum, ego vos coniũgo, non

non est sensus; ego vos coniungo aliàs non coniunctos, sed confirmo & benedico vestram coniunctionem. vel, ego vos coniungo in facie Ecclesiæ, vt pro veris coniugibus coram omnibus sitis. *de la Cruz de Mat: q. 1. n. 1.*

QVÆSITVM III.

Qualis consensus ad valorem matrimonij necessarius?

℞. Consensus in hoc sacramento necessarius, debet esse expressus per verba de præsenti, vel per aliqua signa. nam cùm sit sacramentum, debet constare rebus sensibilibus, sicut & alia sacramenta.

Si puella interrogata, præ verecundia tacet, & adstantes pro ea respondent, ipsa non contradicente, fit matrimonium, nam illa taciturnitas cum aliis circumstantiis temporis, & respondentium pro ea, est sufficiens signum sensibile, significans eius internum consensum. S. *Th: in supp. q. 45. a. 2. ad 3.* Consensus ergo per verba de futuro expressus, v. g. habebo te, non matrimonium, sed spõsalia efficit. S. *Th: cit a. 3.* idem dic de his, contraho tecum pro anno futuro, at per verba, exnunc habebo te in meã vxorem, fit matrimonium, cùm de præsenti consensum exprimant.

QVÆSITVM IV.

An consensus conditionatus ad valorem matrimonij sufficiat?

℞. Sufficit, si apponatur conditio de præsenti. consensus tamen conditionatus appositã conditione de futuro, ordinariè loquendo, non sufficit, v. g. si Patri placuerit, quod si non expectato conditionis eventu consenserint in copulam affectu maritali, tunc fit matrimonium, nec opus est nova præsentiã Parochi & testium, pro hoc insinuat declarationem Congregationis Cardinalis *de la Cruz q. 3. de Mat n: 3.* Et idem censet Navarr: de matrimonio celebrato coram Parocho & testibus sub conditione licita, si antequam voluntas mutetur, impleatur conditio, tunc enim perficitur matrimonium, sine nova Parochi & testium præsentia. Sed oppositum aliis videtur veriùs, quos tacitè refert *de la Cruz loco cit.*

QVÆSITVM V.

An consensus externus sine interno efficiat matrimonium?

℞. Non efficit, cùm omnia sacramenta requirant intentionem. S. *Th: a. 4.* talis tamen in foro Ecclesiæ potest adstringi, cùm hæc secundùm allegata iudicet.

Et sic qui verbis de præsenti cum aliqua cõtraxit, non habẽdo consensum internũ, & postea cũ alia contraxit habendo consensum internum verbis expressum, si per excommunicationem cogatur, vt primam habeat in vxorem, debet potiùs patienter sustinere excommunicationẽ, qvàm ad primã accedere. *Ita in C. inquisitionis de sent: excomm: & S. Th: ad 3.* & oppositum, Magistri sent: est erroneum, nam ille accessus esset fornicarius, cùm esset accessus ad non suam: nec efficitur sua, quàmvis interveniat sententia in foro externo iusta, *iuxta C. lator de sent: & re iudicata* vel recedat secum vxorem veram ducendo, si fieri potest. S. *Th: ibidem.* Hæc doctrina etiam procedit, dum matrimonium ob aliam causam est nullum.

QVÆ-

QVÆSITVM VI.
Ad quid teneatur, qui contrahendo matrimonium, consensum fictum habuit?

℟. Si non interveniat impedimentum dirimens, tenetur verè iterū cum coniuge defraudato contrahere matrimonium, cùm ei maximam irrogaverit iniuriam, etiam seclusâ copula, quæ iniuria aliter non resarcitur, nec satisfacit dotando eam, si ipsa hoc non acceptet. *dela Cruz, q. 3. n. 3.* aliquando tamen excusabitur, v. g. si intercedat magna inæqualitas, aut si timeatur malus exitus, aut grave damnum &c. Sed recompensatio non omittenda;

QVÆSITVM VII.
Quis Sacramenti Matrimonij minister?

℟. Minister essentialis, sunt ipsi contrahentes, cùm ipsi tantùm formam ponant, vt patet ex Conc: Flor: in decreto vnionis Armenorum. Sacerdos enim tantùm minister accidentalis. aliàs matrimonia clandestina nō fuissent valida ante Trid: quod est contra *Sess. 24 Cap. 1.*

Et sic Sacerdos in mortali, matrimonio assistens, non peccat mortaliter. imò contrahentes, licèt sit minister essentialis huius Sacramenti, cùm non sint specialiter consecrati ad hoc, non peccant mort: illud ministrando in mortali, *dela Cruz de Sacram: in genere q. 4. n. 4.* peccant tamen mortaliter indignè recipiendo.

QVÆSITVM VIII.
Quod huius Sacramenti subiectum, & quæ in eo dispositio necessaria?

℟. Primò. Omnis homo nullum habens impedimentum est subiectum Sacramenti matrimonij.

2. Vt debitè ad hoc Sacramentum accedat præmittenda confessio, & Eucharistia sumenda. Sed hoc tantùm consilium, præceptum verò, contritionem esse præmittendam, si contrahens in mortali existit, cùm sit Sacramentū vivorum.

3. Accedens ad hoc Sacramentum, intendat, saltē virtualiter, facere, quod facit Ecclesia, & suscipere hoc Sacramentum, non cum affectu libidinis, sed cum affectu suscipiendi prolem ad gloriam Dei.

QVÆSITVM IX.
Quid de necessitate benedictionis nuptialis dicendum?

℟. Matrimonio iam cōtracto sponsi in eadem domo non cohabitent ante benedictionem in Ecclesia à Parocho vel cum licentia ab alio Sacerdote recipiendam. *Trid: sess. 24. C. 1.*

Omittendo hanc benedictionem non incurritur mortale. *Samuel de Lu: v. Banna n. 5 & 6. Sa. v. Matr. n. 6.* sicut & omittendo solennitatem nuptiarū non est mortale, imò absolutè omittēda benedictio in secundis nuptiis ex parte viri & mulieris, vel mulieris tantùm, non autem in secundis nuptiis ex parte viri tantùm, cùm adhuc saluetur significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia.

QVÆSITVM X.
An Matrimonium inter absentes, per literas vel procuratorem celebratum, sit verum?

℟. Ita esse, patet ex vsu Ecclesiæ sæpè

sæpè talia matrimonia celebrantis, quæ deinde in præsentia coniugum non celebrantur. idem de sponsalibus dicendum, si sit consensus vtriusq; vel saltim si vterque ratificet sponsalia nomine suo a parentibus celebrata, aliàs enim sic à parentibus facta, nec à sponsis ratificata, non valent.

Imo matrimonium inter absentes baptizatos, celebratum per literas vel procuratorem, coram Parocho & testibus, est sacramentum, tanquam probabiliùs tenendum.

QVÆSITVM XI.

Quæ bona, finis & effectus matrimonii?

℞. 1. Bona matrimonii sunt, fides, proles, Sacramentum, fides ne cum aliis coniuges misceantur. proles, vt Christianè educetur. Sacramentum, vt matrimonium non separetur.

2. Finis, ad quem matrimonium institutũ. primò est propagatio speciei & conservatio individuorum. 2. Remedium concupiscentiæ. 3. Commoditas obsequii vtriusque ad invicem.

3. Effectus Sacramenti matrimonii est gratia unitiva, hoc est gratia sanctificans. vt importat mutuam concordiam decentem vsum matrimonii moderando carnis concupiscentiam, familiæ prudentem gubernationem, Christianam prolis educationem. rerum domesticarum diligentem curam, dispositionem & fidelem dispensationem. *Mosticensis 2. p. Tyrocinii artis pœnitentiariæ § 4. n. 25.*

QVÆSITVM XII.

An Matrimonium amore diuitiarũ, delectationis captandæ, & ob similem causam inhonestam celebratum, sit validum?

℞ Matrimonium ob talem causam contractum, non caret culpâ veniali, sicut ob causam mortaliter inhonestam non caret culpâ mortali. validum tamen, sicut baptismus propter lucrum administratus, est validus.

TITVLVS III.

De impedimentis impedientibus tantùm matrimonium.

Habet quæsita 4.

QVÆSITVM I.

Quot sint impedimenta impedientia tantùm matrimonium?

℞. Supponendo impedimenta matrimonii duplicia esse. alia tantùm impediunt ne licitè contrahatur matrimonium, validum tamen est. alia verò etiam contractum dirimunt, tanquam invalidum.

Impedimenta ergo tantùm impedientia sunt quinque, votum, interdictum.

ctum, Sponsalia, catechismus, crimen.

Crimen est multiplex quo commisso non licet ducere vxorem. 1. Occisio vxoris adulteræ propria authoritate facta. 2. Presbytericidium per iudicem declaratum. 3. Matrimonium cum moniali scienter contractũ. 4. Susceptio proprij filij in baptismo aut confirmatione malo animo, vt scilicet contrahat cognationem cum propria vxore 5. Publica pœnitentia. Sed hæc iam non est in vsu. 6. Raptus alienæ sponsæ. Sed hoc post Trid. est etiã dirimens, secundùm dicenda in sequentibus 7. Incestus cum propria affine, vel etiam cum consanguinea. Sed hoc secundùm negat *D. Th. & alii apud dela Cruz. q. 4. n. 1.*

Hoc impedimentum criminis, iuxta Sanchez, Ledesma, & alios apud *Elonas: de Mat: q. 3. puncto 14. n. 21.* non inducit mortale, etsi dispensatio non petatur.

Si quis dispensationem desiderat, adeat Episcopum, qui in omnibus tantùm impedientibus impedimentis dispensat, excepto voto castitatis perpetuæ, & religionis. Candi: aureum de Mat: n. 110. ex D. Antonino & Paludano.

QVÆSITVM II.

Quid nomine voti, & interdicti veniat? vbi & alia resolvuntur.

℟. Primò. Nomine voti intelligitur votum simplex religionis, aut castitatis, vel votum suscipiendi sacros ordines, vel votum non nubendi.

2. Nomine interdicti venit prohibitio, quâ certo anni tempore interdicitur matrimonium ab Ecclesia, Item si ab Ordinario loci aut Curato interdicatur contrahere matrimonium, donec constet, non esse impedimentum, aut aliam ob causam.

Tempus interdicti incipit à media nocte præcedente primam Dominicã Adventûs vsq; ad festum Epiphaniæ, & à media nocte ante feriam 4. Cinerum, vsque ad Dominicam in Albis, inclusiué, *Trid: Sess: 24 Cap. 10.*

Interdicitur autem hoc tempore solennitas nuptiarum, vt accipere benedictionem in Ecclesia, aut convivium solenniter celebrare, & contra faciens peccat mortaliter, quia in re gravi transgreditur præceptum Ecclesiæ, *Bonac. de mat: q. 3. puncto 14. n. 4. cum aliis DD.*

Non interdicuntur hoc tempore Sponsalia. *Samuel de Lublino v. nuptiæ n. 1.* item non prohibetur contractus & consummatio matrimonii, sub mortali, atque bannorum publicatio, dummodo nullæ adhibeantur nuptiales solennitates. *Samuel n. 5. cum Paulo Piasecio.* Sicut & priuatim traducere tempore interdicti sponsam in domum sponsi non est prohibitum.

QVÆSITVM III.

Quæ de impedimento Catechismi scitu necessaria?

℟. Impedimentum Catechismi contrahitur ab eo, qui tenet infantem baptizandum respondetque eius nomine ministro interroganti, an credat, an renuntiet diabolo, &c. & quidem si idem sit patrinus Catechismi & baptismi contrahit impedimentum dirimens. Si solius cathechismi contrahit tantùm impediens. Sed negat Pontius relatus *in summa Diana v. impedi n. 4.* quia

4. quia in Trid: dicitur spiritualem cognationem non contrahi nisi in baptismo & confirm: præter hoc citat pro sua sententia declarationem Sacræ Congregationis interpretum.

QVÆSITVM IV.

Quæ testimonia sunt sufficientia ad impediendum Matr: ?

℟. Impeditur Matrimonium ad dictum unius, maximè matris, deponentis de aliquo impedimento testimonium, nisi interveniat iuramentum in oppositum.

Impeditur etiam ad dictum unius Personæ gravis, cui fides debetur, & de fama vel scandalo docet, etsi in oppositum interveniat iuramentum parentum.

Quod si unus testis dicat, audisse ab uno ex suis maioribus, duos esse in quarto, v. g. gradu consanguinitatis, nō impeditur matrimonium inter eos, nam unus testis, maximè de auditu nihil probat. Secus si plures graves audissent, à pluribus fide dignis.

Vt verò matrimonium contractum dissolvatur, efficaciora debent adesse testimonia, nam hoc non dissolvitur sine plurium iuramento. hæc è jure deducta reperies apud de la Cruz *qu. 4. de Matr: n. 3.*

TITVLVS IV.

De impedimentis dirimentibus matrimonium iure naturali.

Habet quæsita 16.

QVÆSITVM I.

Quot sunt impedimenta dirimentia Matrimonium?

℟. Impedimenta dirimentia & annullantia matrimonium de iure antiquo sunt 12. quibus de iure novo Tridentini addita sunt duo raptus & matrimonium clandestinum, comprehēduntur his versibus.

Error. Conditio. votum. Cognatio. Crimen.
Cultûs disparitas. vis. Ordo. ligamen. honestas.
Si sis affinis. si fortè coire nequibis.
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptaq; sit mulier. nec parti reddita tutæ.
Hæc facienda vetant connubia. facta retractant.

Error Personæ, professio solennis, ligamen, impotentia perfecta & perpetua, iure naturali dirimunt matrimonium. idem de amentia perpetua & de defectu ætatis sentiendum. alia dirimunt iure Ecclesiastico. vide de la Cruz *q. 4. de Matr: n. 2*

Hæc impedimenta non eo sensu dicuntur dirimentia, quatenus solvant matri-

matrimonium, iam validè cõtractum: Sed dicuntur dirimentia, quia impediunt, ne validè possit contrahi, & sic professio solennis facta post matrimonium ratum & illud dissolvens, item conversio unius coniugis ad fidem, dissolvens matrimonium in infidelitate consummatum, ut infra dicetur, non dicuntur propriè impedimenta.

Nota. Si Parochus sciens matrimonij impedimentum ex confessione, rogetur assistere matrimonio, non habẽdo aliud remedium, assistat. nam maius malum esset confessionis revelatio, quàm talis matrimonii invalidi permissio. Vide *D. Th. in Supp. qu. 11. a. 1. ad 1.*

QVÆSITVM II.

Qualis error dirimat matrimonium?

℞. Error essentialis tollit enim consensum pro matrimonio requisitum, talis error est circa personam cùm matrimonium includat personas, quæ cõiunguntur.

Error verò accidentalis, & circa personæ qualitatem. v. g. circa bona fortunæ, non dirimit matrimonium, v. g. si contrahas cum Bertha putans esse virginem, nobilem, divitem, &c. cùm hæc ad essentiam matrimonij non spectent nisi talis error in personã transfunderetur, v. g. si taliter cum Bertha contrahere intendas, si non sit virgo, dives vel nobilis, contrahere nolis; in tali enim casu error consensum tollit. S. *Th. in supp. q. 51. a. 2. ad 5.*

QVÆSITVM III.

Quale votum dirimat Matrimoniũ?

℞. Simplex castitatis votum non dirimit matrimonium iam contractũ, sed solùm impedit contrahendum. *San. Th. cit. q. 53. a. 1.* nam matrimonium fortius est vinculum, cùm in eo fiat actualis corporum traditio: per votum autem simplex solum fit promissio, rei promissæ non transferens dominium, & idem dicendum de voto ingrediendi Religionem.

Excipe simplex castitatis votum Patrum Societatis iesu, quod ex statuto Ecclesiæ matrimonium dirimit, & eos verè religiosos facit.

Votum ergo solenne Religionis dirimit matrimoniũ, non solùm ex iure divino, sed ex natura sua, ut docent Thomistæ: nam præter promissionẽ ad votum simplex sufficientem, importat perfectam & absolutam traditionem & acceptationem: unde qui sic solenniter vovet, & postea matrimonium contrahit, invalidè contrahit.

QVÆSITVM IV.

Quam obligationem inducat simplex castitatis votum, celebrato iam matrimonio, cùm illud non dirimat?

℞. Qui vovit ingressum religionis, primo bimestri, non potest reddere, à fortiori non potest petere, cùm secundùm communem sententiam adhuc teneatur religionem ingredi. Si iam petendo vel reddendo consummavit, potest non solùm reddere, sed & petere: ad castitatem enim obligabatur ratione voti religionis, cùm ergo sit liber à religione hîc & nunc, eo quòd consummaverit matrimonium, etiam liber, vivente sua coniuge, à castitate.

Qui verò sine voto ingrediendi religionem, habet votum castitatis perpetuæ,

tuæ, & contraxit matrimonium, numquam petere potest, ut docent communiter, sed elapso primo bimestri reddere tenetur, etiam tantùm interpretativè petitus, non autem ante: nam ut habet *Bonac: circa 2. Præceptum q.2. punc: 5. § 5. n.4.* coniuges habent ius non reddendi debitum, in primo bimestri, etiam præciso voto. quare intra hoc reddens primâ vice, peccat mortaliter.

An verò intra bimestre, teneatur ingredi religionem? negat *Bonac: loco cit: contra Caj: & Sylu: v. Matr.*

QVÆSITUM V.

An unus coniugum possit altero invito religionem ingredi?

℟. Quòd non, matrimonio iam consummato, nam nullus potest præstare oblationem ex alieno, corpus autem coniugis per carnalem copulam factum est alterius. *S. Th: q. 61. a. 1.*

Consummatur autem matrimonium secundùm aliquos per solam apertionē clauftri, licèt non sit seminatio, alii requirunt seminationem, & quidem utriusque ut videre est *in Summa Dianæ v. affinitas n. 2. & v. Matr. n.22.* per seminationem tamen in vase fœminæ, absque vasis penetratione matrimonium consummatur.

Potest tamen unus coniugum, etiam matrimonio consummato ingredi religionem si remanens in sæculo consentiat, & votum castitatis emittat, ad quod tenetur licèt sit provectæ ætatis. nam si sit iuvenis, etiam tenetur ingredi, *ut probat Bonac: de Matr: q. 3. p. 4. n. 12.* præterea si Episcopus consentiat, cuius consensus si omittatur, secundum aliquos non incurritur peccatū mortale.

Dixi, matrimonio cōsummato. Nā, ut supra insinuatum, duo menses sunt concessi coniugibus ad deliberandum circa religionis ingressum, etiam altero renuente, intra quos non tenentur consummare.

Et licèt ante elapsos duos menses cognoscat sponsam violenter, ipsa verò religionem ingrediatur, & profiteatur, matrimonium adhuc quoad vinculum solvitur, quia non videtur adhuc illi suum corpus communicasse, cùm violenter fuerit oppressa. *Sam: de Lub: v. divert: n. 20. cum Armilla.*

QVÆSITVM VI.

Infidelis habens plures uxores si convertatur ad Fidem, cum qua permanere teneatur?

℟. Tenetur permanere cum prima si ipsa voluerit cum eo permanere: de quo infra.

Si verò omnes convertantur præter primam nolentem cum eo permanere, aut volentem quidem permanere sed cum iniuria Creatoris, vir non tenetur ullam ex conversis ducere in rigore loquendo, quia nulla ex ipsis est vera uxor exceptâ prima, licèt repudiata. *Bonac: de Matrimon: q. 3. puncto 10. n. 7. cum alijs DD.*

Hic sciendum est, quod dispensatio quæ concessa fuerat à Deo in veteri lege ad habendas plures uxores ad hoc tempus non perseveret; nam revocata fuit à Christo Domino *Matth: 19.* Qui dimiserit uxorem & aliam duxerit, mœchatur.

QVÆSITVM VII.

Quid faciendum, dum ignoratur vel dubitatur, an Maritus vel uxor vivat; an ad secundas nuptias transeundum?

℟. Vt superstes coniux possit cum alio matrimonium inire, requiritur certitudo moralis, seu tanta certitudo, quanta iudicio prudentis sufficit ad credendum, priorem coniugem certò esse mortuum. *Soto. Speculum. Rodriqu: Gutierez, Sanchez, Perez, Valentia & alij, quos sequitur Bonac: loco cit; n: 12.* quia nisi adsit tanta certitudo, contrahentes exponunt se periculo adulterii, cùm fieri possit priorem coniugem adhuc vivere.

Vnde uxor nequit cum alio matrimonium contrahere, quando eius vir absfuit per multos annos. *C. in præsentia de Sponf. & C. dominus de secundis nuptijs.* nam certitudo moralis non habetur per absentiam multorum annorum. sicut nec habetur per solam famam, cùm fama oriri soleat ex auctore incerto, & plerumq; fallaci, nisi fortè cum fama existant tanta indicia, ut nullus dubitandi locus relinquatur de morte illius. *Bonac: loco cit; in 13. cum Speculo, Sylv: Navarr Rodriq. & alijs DD.*

Ex quo per contrariam consequentiam sequitur uxorem posse matrimonium cum alio contrahere, quando maritus ingressus prælium, & postea non comparuit, & fama est ipsum periisse, aut quando per literas eorum, qui prælio interfuerunt, acceptum est, maritum mortuum. *Henriq: & alij citati à Bonac: l. c. n. 14*

Nota, relinquendum est iudicio prudentis viri, iudicare in casibus particularibus, an sit certitudo moralis, & cōiecturæ sufficientes ad contrahendum novum matrimonium.

Non tamen sufficienter probatur mors per unum testem. *Bonac: l. c. n. 16. & Sanchez contra Speculum & alios.* Sicut enim unus testis non sufficit in causis pecuniariis, ita neq; sufficit in causa secundi matrimonii, in qua agitur de periculo animæ. nisi fortè adsint tantæ coniecturæ, vel nisi coniux mortuus sit in loco ita distante, ut non possint facilè haberi aliæ probationes, nisi per unum fide dignum testem. *Et hoc modo intelligitur C. in præsentia, de Spons.* ubi præcipitur prælatis ne permitant matrimonium contrahi, donec certum nuntium de morte percipiant. Ob id cavere debent Parorochi, ne aliquos coniungant non obtentâ facultate ab Episcopo, apud quem fieri solent probationes de morte alterius coniugis. quo tamen non obstante, mulier potest contrahere matrimonium, quando ipsa sola certò novit virum esse mortuum, quàmvis hoc probare non possit, & aliàs non timetur scandalum. quia tunc cessat periculum adulterii. *Idem qui supra n. 16. cum alijs DD.*

Ex his patet fœmina quæ contraxit matrimonium cum secundo, credens primum virum mortuum, tenetur recedere à secundo, postquam rescivit primum virum vivere, alioquin adulteratur & peccat mortaliter petendo vel reddendo debitum post talem notitiam; nam secundum matrimonium est invalidum. Si verò non certò novit, priorem virum vivere, sed tantùm dubitat, non potest existente dubio, petere debitum alioquin exponit se periculo adulterii. *de la Cruz q. 3. de Matr: n. 1. ex C. inquisitioni, de sent: excomm.* tenetur alteri coniugi petenti reddere, quam diu nō cōstat priorem coniugem vivere. nam alter coniux habet ius petendi, nec tenetur credere coniugi dubitanti; nisi dubitans ita probet, ut al-

ter

ter propter eius motiva & probatio- ne, teneatur credere, vel ita dubitare, ut nequeat deponere dubium.

QVÆSITVM VIII.

An validum sit matrimonium contractum ab eo, qui quidem credebat priorem coniugem vivere, sed falsò credebat, cùm mortua fuerit?

℟. Si sic contrahens putabat se validè cōtrahere, vel si habebat intentionē contrahendi quantùm poterat, validū est matrimonium, quia adest sufficiens consensus inter personas habiles.

Et idem dicendum de eo, qui contrahit matrimonium credens adesse impedimentum dirimens, cùm revera nō sit, modò intendat ut supra: ratio à simili: nam qui credit baptismum nihil valere, tamen baptizando, intendit, quod potest, & quod intendit Ecclesia, validè baptizat, ut docetur comm. idē ergo in casu proposito.

QVÆSITVM IX.

Quando frigiditas, seu impotentia coëundi dirimit matrimonium?

℟. Frigiditas seu impotentia coëundi dirimit matrimonium quando est perfecta, id est incurabilis, etsi cōiuges ad castè vivendū contrahant, ut patet ex *D. Th: in supp: q. 58. a. 1. ad 4.* nā de intrinseca matrimonii ratione est traditio potestatis ad usum & copulam coniugalem, quam impotentes tradere non possunt, cùm non habeant. Et licet vir possit coire, si nequit seminare, invalidum est matrimonium, ut patet ex quadam declarat. SIXTI V, de qua mox. *Dixi*, si sit perpetua & perfecta, nam si hæc impotentia sit temporanea, licèt ignorata, quæ ætatis processu aut humanâ arte sine mortis periculo auferri potest, valet matrimonium. *D. Th: loco cit.*

Procedit autem resolutio quæsiti de perpetua & perfecta impotentia cum omni fœmina. Si enim cum una sit impotens & potens cum alia, valet matrimonium etiam cum illa, cum qua est impotens, *secundùm S. Th: loco citato, contra Sylv: & alios deducitur ex C. laudabilem. & C. fraternitatis, de frigidis & maleficis.* ubi dicitur. si quis separato priori matrimonio invenitur habilis ad aliam fœminam, redeat ad priora connubia.

QVÆSITVM X.

An impotentia generandi dirimat matrimonium?

℟. Impotentia generandi non tollit matrimonium. Matrimonia enim senum & sterilium valida sunt, ut patet ex usu. nam etsi isti non possint habere filios, qui est finis ultimus matrimonii, salvatur tamen in eis finis proximus, scilicet usus matrimonii. *D. Th: loco cit. ad 3.* quo usu concupiscentia sedatur, & est inter eos vera traditio corporum, & obligatio ad actus matrimoniales; item emittunt semen natura sua prolificum, quàmvis ex accidentali frigiditate ineptum.

Secus de spadonibus dicendum, qui etsi penetrent vas fœminæ, quia tamen non emittunt semen ex natura sua prolificum, sunt inhabiles ad matrimonium. accedit Bulla Sixti V. edita anno 1587. declarans matrimonium spadonum cum quibusvis mulieribus, sive scientibus, sive ignorantibus esse nullum.

QVÆ-

QVÆSITVM XI.

Quid si fœmina arcta, item non retinens semen, an valeat Matrimonium?

℟. Si fœmina ita sit arcta, ut sine miraculo, aut arte magica, aut sine mortis periculo non possit aperiri, est inhabilis ad matrimonium *juxta C. ex literis de frigidis & maleficiatis.* Secus sentiendum si industriâ medicorum aperiri potest, ad quod ipsa tenetur secundùm DD, etiam cum gravi dolore, non verò cum gravissimo.

2. Fœmina quæ recipit semen, etsi non possit illud retinere, erit habilis ad matrimonium, nec ipsa, nec vir accedens ad eam cum tali periculo, peccāt mortaliter. *Bonac: q. 4. de Matr: puncto 6. n. 18.* isti enim, sicut & steriles faciunt, quod in se est, etsi ex aliquo accidentali impedimento semen effundatur, & non sequatur generatio,

QVÆSITVM XII.

An cognitâ impotentia, matrimonium mox dissolvendum?

℟. Si constat impotentiam esse perpetuam, non expectandum, sed mox dissolvendum matrimonium. nec licet osculis vel tactibus vacare. Si dubitatur, conceduntur tres anni, quibus possit uti uxore & spe ad nitendum. *C. laudabilem de frig: & malef.*

Attamen si sic nitentes certificantur de impotentia perpetua, non licet ulterius niti. eò quòd, vel hæc impotentia, tandem successu temporis cognita, præcessit matrimonium, & sic matrimonium est nullum, quare habens hanc, nequit ulterius niti, vel est subsecuta matrimonium, & sic etiam non licet ulterius niti, eò quòd cum copula suo fine proximo frustretur, est illicita. poterunt tamen hi, inquibus post matrimonium est subsecuta impotentia se libidinosè tangere & osculari, sine periculo tamen pollutionis. *Bonac: loco cit: n. 17. & dela Cruz a. 7. n. 2.*

QVÆSITVM. XIII.

Impotentia orta ex maleficio an dirimat matrimonium?

℟. Impotentia orta ex maleficio & ligamine dæmonis, si sit perpetua & antecedat matrimonium, dirimit illud. Secus si sit temporalis ad quod experiendum conceduntur tres anni, *juxta C. laudabilem de frigidis & maleficiatis.*

Nota si maleficium sanetur per remedia hæc, ut per confessionem, lachrymas, eleemosynas, orationes, exorcismos, signum est matrimonium valuisse, cùm impedimentum sit ablatum per media ordinaria contra incursus dæmonum. quòd si maleficium sit ablatum per miraculum vel arte dæmonis, signum est matrimonium non valuisse, & sic isti possunt cum aliis contrahere, *secundùm D. Th: loco cit. art. 2 ad 3.*

QVÆSITVM XIV.

Quid de hermaphroditorum matrimonio sentiendum?

℟. I. Hermaphroditus in quo prævalet unus sexus, potest matrimonium inire iuxta sexum. qui in ipso prævalet. unde si prævalet sexus virilis, potest contrahere cum fœmina, quia censetur esse illius sexus, qui in eo prævalet.

Et sic matrimonium est invalidum si celebretur iuxta sexum inferiorem, quare si sexus virilis prævaleat & fœmineus sit inferior, invalidè contrahitur cum viro, eò quod censeatur con-

trahi

trahi matrimonium cum persona eiusdem sexûs.

2. Hermaphroditus in quo sexus est æqualis, secundùm quem voluerit, poterit contrahere matrimonium.

Factâ tamen semel electione sexûs, & contracto semel iuxta illum statum matrimonio, non potest mortuo coniuge mutare electionem. nam variaret electionem in re gravissima, cùm sit valde indecens, uti modò hoc, modò altero sexu. Si tamen contraheret, validè contraheret, etiam facto iuramento non variandi sexum. quia nullum ius tale matrimonium irritat.

Nota. quinam sexus prævaleat, pertinet iudicare ad Medicos, vel ad Matronas peritas. In dubio, ferendum est iudicium ex ipsius hermaphroditi assertione, nullus enim meliùs valet discernere.

Caveat tamen Parochus assistere illius hermaphroditi Matrimonio in quo sexus æqualis, donec hermaphroditus coram Iudice Ecclesiastico cum iuramento protestetur quem sexum sequi velit. cùm enim hæc pertineant ad forum externum non debet Parochus se ijs immiscere, antequam hæc peragantur coram Iudice Ecclesiastico. *Bonac: quo ad omnes partes cum alijs DD. q. 3. de Matr: puncto 13. a. n. 26.*

QVÆSITVM XV.
An amentia dirimat Matrimonium?

℟. Amentia sequens Matrimonium non dirimit illud; cùm sit insolubile, secùs dicendum est de amentia omninò tollente usum rationis & antecedente Matrimonium, cùm sic non habeatur consensus pro Matrimonio necessarius.

Si tamen aliquis habens lucida intervalla, tempore lucidi intervalli cõtrahat, valet Matrimonium, erit tamen peccatum mortale si sic amens contrahat. ob periculum abortûs, nisi aliàs sit sterilis. Et tales interdicendi sunt ab usu matrimonii ob periculum abortûs & educationis prolis.

QVÆSITVM XVI.
Quot anni ad contrahendum Matrimonium necessarij?

℟. Matrimonium puerorum ante 14. annum & puellarum ante 12. regulariter est nullum, ex defectu plenioris usûs rationis pro Matrimonio requisiti. Et hoc tempus taxatur in Iure.

Quòd si aliquis ante dictos annos pubertatis habeat sufficientem usum rationis & naturæ vigorem, & contrahat sine Papæ dispensatione, valet Matrimonium juxta D. Thomam, *in supp: q. 58. a. 5.* peccat tamen mortaliter. nam in Matrimonio contrahendo non debet attendi tempus, sed an cõiuges cõcipere possint & generare.

Sufficit prædicta ætas, scilicet in puero 14. & puella 12 annorũ, etsi pro tunc non habeant actualem potentiam coëundi, sed processu temporis habebunt. Nam potentia actualis coëundi non est de essentia Matrimonii. Expectandum tamen est usque ad annum 18. ut iudicetur an sit perpetua impotentia. *Sa. v. Matr: n. 7. ex Sylvestro.*

TITVLVS V.

De Impedimentis dirimentibus Matrimonium Iure Ecclesiastico.

Habet quæsita 30.

QVÆSITVM I.

An servitus in omni casu dirimat Matrimonium?

℞. Servitus nota non dirimit matrimonium, sed ignorata. imo si servus contrahat cum serva putans liberam, valet matrimonium. *S. Th: in supp: qu. 52. a. 1. ad 1.* cùm ambo sint eiusdem conditionis, & nulla interveniat iniuria.

Servitus etiam matrimonio superveniens non dirimit illud, vir enim absque consensu uxoris potest se ipsum in servum vendere, cùm sit mulieris caput, solùmque ei in spectantibus ad matrimonii actum subdatur. *S. Th: loco cit: ar. 3.* peccat tamen vir sine magna necessitate hoc faciens, cùm sic graviter uxorem conturbet.

Nec dirimit servitus matrimonium invito Domino contractum. nam matrimonium est de iure naturali & Divino, servitus de iure positivo, ius autem positivum non præiudicat iuri naturali & Divino. *S. Th: cit: a. 2.*

QVÆSITVM II.

Quotuplex sit cognatio?

℞. Cognatio est triplex. carnalis, quæ est consanguinitas vel affinitas. spiritualis. & legalis.

Consanguinitas est propinquitas duarum personarum, quarum una ab altera, vel ambæ ad eadem carnaliter descendunt.

Affinitas est propinquitas personarũ ex carnali copula, aut ex eius potestate proveniens. per ultimam particulam denotatur affinitatem, etiam causari ex matrimonio rato non consummato, alii negant ex matrimonio non consummato oriri affinitatem, pro se citant declarationem Sacræ Cong: & solùm vocant hoc impedimentum publicæ honestatis dirimens matrimonium intra quartum gradum. per quod distinguitur ab impedimento publicæ honestatis orto ex sponsalibus. Sed quæstio est de nomine, parùm refert an hoc impedimentum affinitas vel aliter vocetur. hoc verùm, quòd intra quartum gradum dirimat, ut determinat Pius V. motu proprio, qui incipit, Ad Romanũ spectat.

Cognatio spiritualis est propinquitas personarum ex vera baptismi aut confirmationis collatione, aut ex baptizati vel confirmati susceptione proveniens.

Cognatio legalis est propinquitas personarum ex adoptione unius ab altera proveniens. de his infra.

QVÆSITVM III.

Quot sint lineæ in cognatione naturali consanguinitatis?

℞. Duæ, una recta, altera trásversa: est

est autem linea, ordinata collectio personarum sangvine iunctarum.

Linea recta est collectio personarũ, quarum prima producit secundam, secunda tertiam, & sic cõsequenter, veluti Pater, Filius, Nepos, &c. descendendo. & in hac consideratione appellatur recta linea descendentium, nam si ab inferiori incipiamus sursum versus, appellatur recta linea ascendentium.

Linea transversa est collectio personarum, quæ ab eodem principio (stipitem appellant DD.) carnali propagatione emanant, talis est collectio fratrum patruelium, qui sunt fratrum nati. consobrinorum, qui sunt ex fratre vel sorore matris nati. amitinorum, qui sunt ex sorore patris nati.

Linea transversa aliâ est æqualis alia inæqualis. linea transversa æqualis est, quando duæ personæ distant eodẽ gradu à communi stipite v. g. duo filii, duo patrueles primi, &c.

Linea transversa inæqualis est, quãdo duæ personæ distant à communi stipite inæqualiter, v. g. Petri Filius & Patruus, hoc est frater Petri, sunt in transversa linea inæquali, quia à communi stipite hoc est ab avo distant inæqualiter.

QVÆSITVM IV.

Quæ regula ad cognoscendam pluralitatem graduum rectæ lineæ ascẽdentium & descendentium: consequenter ad cognoscendam distantiã personarum consanguinearum in recta linea ascendentium & descendentium.

℟. In recta linea ascendentium & descendentium, tot sunt gradus, quot sunt Personæ mediæ, numerando unũ extremum. hinc quia inter Patrem & Filium nulla mediat Persona, Pater & filius sunt in primo gradu. Pater, Filius, nepos, sunt tres. sed quia duæ Personæ mediant numerando unum extremum, ideo avus & nepos sunt in secundo gradu lineæ rectæ. Proavus & pronepos sunt in tertio gradu, abavus & abnepos, in quarto, tritavus, & trinepos, in quinto.

Vel ut loquitur Moscicensis 2 p. Tyrocinii § 4 n 45. numerẽtur omnes Personæ, infima, suprema, hoc est, stipes & intermediæ, tot ergo erunt gradus, & tanta distantia à communi stipite quot recensebuntur personæ, unâ tamen dempta.

QVÆSITVM V.

Quæ regula ad cognoscendam distantiam Personarum Consanguinearũ in linea transversa æquali distantium?

℟. In linea transversa æquali, quo gradu una Persona distat à communi Principio seu stipite, eo gradu distant inter se. v. g. duo Fratres germani quia cum Patre sunt in primo gradu, in eodem gradu sunt inter se. Item duo fratres patrueles primi seu Nepotes, quia ab avo distant secundo gradu, eodem gradu distant inter se.

 EXEM-

EXEMPLVM.

Pater & Mater

Primus gradus.

Petrus Anna

Secundus gradus.

Agnes Paulus. Nepotes.

Tertius gradus.

Simon Martha. Pronepotes.

Quartus gradus.

Lucia Thomas. Abnepotes.

QVÆSITVM VI.

Quæ Regula ad cognoſcendam diſtantiam Perſonarum Conſanguineorum in linea tranſverſa inæquali diſtantium?

℞. In linea tranſverſa inæquali, quo gradu à communi ſtipite diſtat perſona remotior, eodem gradu diſtant inter ſe, v. g. Petri Filius & Patruus, hoc eſt Frater Petri, ſunt in ſecundo gradu, quia Petri Filius diſtat à communi ſtipite, id eſt ab avo ſecundo gradu. Vnde diſtans à communi ſtipite quinto gradu licitè contrahit cum diſtante ab eodem ſtipite, quarto, tertio, ſecundo, vel primo gradu.

EXEMPLUM.

Pater & Mater

Petrus Anna

Agnes Paulus

Simon Martha

Lucia Thomas.

Hic & ſequentes diſtant ab iſto quarto gradu, quia ipſe diſtat à ſtipite quarto gradu.

QVÆSITVM VII.

Quo iure Consanguinitas dirimat Matrimonium?

℟. Consanguinitas in Primo gradu lineæ transversalis ut inter Fratrem & Sororem iure naturali dirimit Matrimonium. In quo Deus ab initio mundi cum Filio & Filia Adæ dispensavit. Et in hoc secundum communem sententiam nequit Papa dispensare.

Consanguinitas verò in secundo, tertio, quarto gradu, lineæ transversalis, solo iure Ecclesiastico dirimit Matrimonium. Sicque solos fideles obligat. Nec infideles taliter coniugati separari debent si baptizentur. C. de infidelibus de consanguinitate & affinitate.

QVÆSITVM XIII.

Gradus Affinitatis, & distantia inter affines, ex quo desumatur?

℟. Gradus affinitatis desumitur ex gradu consanguinitatis. Et sic tot sunt gradus affinitatis, quot consanguinitatis. Quare Titius v. g. in eo gradu affinitatis est cum consanguineis uxoris suæ in quo gradu consanguinitatis est uxor cum illis, v. g. Titius in primo gradu affinitatis est cum sororibus uxoris suæ, quia uxor Titii est in primo gradu consanguinitatis cum illis.

QVÆSITVM IX.

Quæ copula causat affinitatem?

℟. Sola copula ex qua quantùm est de se, potest sequi generatio, etsi defactò non sequatur, causat affinitatem. Quamuis claustra non rumpantur, sed aliunde semen habeatur. Quare copula spadonum non causat affinitatem sicut & Matrimonium eorum non est validum, ut supra dixi, Matrimonium autem senum & sterilium causat affinitatem, sicut & Matrimoniū eorum est validum, quia ex eorum copula quantùm est ex se, potest sequi generatio licèt per accidens non sequatur.

Probabilitate non caret ad contrahendam affinitatem non sufficere semen virile sed debet simul concurrere semen muliebre. Colligitur ex S. Thoma *in suppl qu. 55. ar. 4 ad 2.* ubi dicit: Vir & mulier efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum. Vnde quantumcunque aliquis claustra pudoris invadat & frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur affinitas. hucusque S. Thomas. Nam secundùm Hypocratem & Galenum in summa Dianæ *ver: Affinitas, n. 7.* relatos, semen muliebre est necessarium ad generationem.

Igitur in hac sententia qui habuit copulam cum sorore Vxoris suæ, si hæc non seminavit, non contrahit affinitatem, & potest petere debitum. Vel si hoc fuit ante Matrimonium, non contrahitur impedimentum dirimens.

Hoc certiùs est, quòd non sufficiat semen mulieris ad causandam affinitatem. *Bonac: de Matrim: q. 3. Puncto 12. n. 13. cum Paludano & alijs DD.*

QVÆSITVM X.

Ad quem gradum extendatur affinitas?

℟. Affinitas orta ex matrimonio extenditur ad quartum gradū, quàmvis matrimonium sit tantùm ratum, ut declarat Pius V. motu proprio, qui incipit, Ad Romanum. Imo *Bonac: qu. 3. puncto 11. n. 11.* idem docet contra Samuelem

muelem de *Lib v. spon: n. 18. & Nau.* licèt matrimonium ratum sit invalidum, modò non sit invalidum defectu consensûs. & præter communem sent; adducit declarationem Cardin; attamen non vocat hoc impedimentum affinitatis, sed publicæ honestatis usque ad quartum gradum, Sed quæstio de nomine.

Et sic qui contrahit sponsalia cum aliqua & deinde celebrat matrimoniũ cum eius sorore, non potest priorem accipere. & sic nullam potest in uxorem habere.

Affinitas verò ex copula illicita, tantùm extenditur ad secundum gradum, ex Trid; *Sess: 24. C. 4.* & sic maritus accedens ad consanguineam uxoris in tertio gradu, non privatur iure petendi debitum à sua uxore. *de la Cruz q. 4. a. 5. n. 2. de Matrim.*

Quia tamen hoc impedimentum affinitatis solo iure Ecclesiastico dirimit matrimonium, in omni gradu affinitatis Papa dispensat, sicut dispensavit cum Casimiro Rege Poloniæ, ut cum Ludovica Uxore fratris sui matrimonium iniret.

Nec dirimit hoc impedimentum, nisi baptizatorum matrimonium. inde infideles intra gradus affinitatis apud Christianos prohibitos coniugati separari non debent, si convertantur.

QVÆSITVM XI.

Affinitas cum propria uxore contracta, quid causet?

℟. Qui dedit causam affinitati privatur iure petendi debitum, tenetur tamen ex iustitia reddere, etiam tantùm interpretativè & implicitè petitus, quia alter coniux ob istius malitiã non debet suo iure privari.

Quodsi ignoranter v. g. uxor accessit ad consanguineum viri sui, non privatur iure petendi debitum, sine culpa enim, non debet privari aliquis iure suo. idem dicas, si coacta, cum cõsanguineo viri, rem habuit.

Quodsi ambo coniuges dederunt scienter causam affinitati, privantur iure petendi, imo & reddendi, *Bonacin: loco cit: p. 12. n. 21.*

QVÆSITVM XII.

Quis dispensat ut coniuges in prædicto casu privati debito petendi, liberè & sine peccato petant?

℟. Episcopus, vel Confessarius Regularis, virtute cuiusdam privilegii concessi Monachis Monasterii S. Benedicti Congreg: Vallisoletanæ.

Confessarius tamen Regularis, qui dispensat in tali impedimento, debet esse specialiter deputatus à suo Superiore (quæ deputatio ad libitum datur Superioris, & per eius mortem vel amotionem expirat) item hæc dispensatio debet fieri in confessione, & Ecclesia Religionis. *Lezana tom: 3. quæst. regularium V. affinitas n. 5* hæ limitationes; sine dubio colliguntur ex ipso textu privilegii.

Olim poterant hoc Confessarii Regulares extra Confessionem, extra propriam Ecclesiam, & probabiliter absq; deputatione ex vivæ vocis oraculo Iulii II. & Pii V. sed hæc vivæ vocis oracula modò non suffragantur, utpote per Urbanum VIII. sublata, 1631. *Has conditiones non requiri in Confessario Regulari probo in addit: ad Sent: Mor. additione 5*

Nota. qui ignorat legem huius pœnæ, non petendi debitum in prædicto casu, non privatur iure petendi. *Potest. ad*

in addit: ad dubia Reg: vt ignorantia, n.29. & rationabiliter.

QVÆSITVM XIII.

An Consanguinei mariti fiant affines consanguineis uxoris, & consanguinei uxoris fiant affines consanguineis mariti?

℟. Quod non, nullo enim iure potest probari talis affinitas, propterea duo fratres possunt ducere duas sorores, hoc tamen verum est, consanguinei mariti fiunt affines uxoris, & viceversa.

Ob eandem rationem, potest filius Patris ex alia uxore ducere filiam uxoris Patris, ex altero viro.

QVÆSITVM XIV.

An Titius v. g. qui habuit Bertham in uxorem, eâ mortuâ, possit ducere uxorem fratris Berthæ, mortuo fratre Berthæ?

℟. Quod sic, quia Titius factus est affinis consanguineis Berthæ, non verò factus affinis affinibus Berthæ: quia affinitas non parit affinitatem. Vxor autem fratris Berthæ non est consanguinea Berthæ, sed affinis, consequenter Titius poterit illam ducere, mortuâ Berthâ & eius fratre. *Bonac: loco cit: n. 2. cum alijs* DD.

QVÆSITVM XV.

Quâ pœnâ puniendi consanguinei & affines attentantes scienter matrimonium contrahere?

℟. Excommunicantur, sicut & Religiosi, Moniales, & sacris ordinibus initiati.

Qui tamen ex ignorantia, quàmvis vincibili, facit contra hanc legem, non excommunicatur, ut probat *Ledi C 15. de Matr.* excommunicatur verò; si faciat ex ignorantia affectata.

Qui etiam fictè contrahit, virtute prædicti decreti, non excommunicatur, quia in re ipsa non contrahit.

QVÆSITVM XVI.

Impedimentum publicæ honestatis, ad quem gradum extendatur, & quando contrahatur?

℟. Ex Sponsalibus causatur impedimentum publicæ honestatis, dirimẽs matrimonium in primo gradu lineæ rectæ & transversalis, hoc est, nec matrem nec sororem sponsæ ducere potest. *Trid Sess. 24 Cap: 3.* ratione cuius sponsus accedens ad matrem aut sororem suæ sponsæ committit incestum, etsi imperfectum, sed in confessione explicandum.

Quod si Sponsalia fuêre nulla, ex quacunque causa, non contrahitur hoc impedimentum, ut declarat Trid: loco cit: moderando in hoc ius antiquũ.

Item sponsalia conditionata suspendentia consensum in futurum, ut si dicas, promitto te in uxorem ducere, si factis denuntiationibus non sit impedimentum non causant tale impedimẽtum. Secùs dicendum, dum impletur conditio, hac enim impleta, incipiunt esse vera sponsalia.

QVÆSITVM XVII.

Qui ligantur impedimento cognationis spiritualis?

℟. Inter baptizantem, baptizatum, eiusque parentes, inter baptizatum, patrinos, baptizatique parentes, contrahitur cognatio spiritualis, *ex Trident: Sess: 24. Cap: 2.* ius antiqvum auferente, in

in quo ista cognatio ad baptizati & patrini filios extendebatur.

Per Sacramentum Confirmationis contrahitur similiter cognatio spiritualis.

Si non est facta designatio Patrinorũ sive oblivione sive negligentia, omnes tãgentes realiter contrahunt cognationem. Si post designationem alii tetigerint, non contrahunt cognationem. Si plures fuerint designati, omnes contrahunt, si omnes tetigerint. *Moscic: 2. p. Tyrocinii, §. 4. n. 46.*

Hæc spiritualis cognatio non contrahitur inter Patrinos ad invicem, ut declaravit Pius V. in motu incipiente, *Cùm illius vicem,* nec transit à viro in uxorem, nec ad carnales patrini filios. quare potest aliquis accipere in uxorem filiam Patrini, aut etiam coniugem patrini, patrino defuncto. hoc patet *ex Trid: loco cit.* ius antiqvum auferente, cui D. Thomas ante Trid: vivens, conformabatur *in supp: q. 56. a. 4. & 5.*

Vt Patrini hanc cognationem contrahant, necessarium est realiter puerũ tangere, quando actualiter baptizatur, ex declar: Card: insinuata *à dela Cruz, a. 6. n. 2.* Vnde qui sunt Patrini per procuratores, hanc cognationem non contrahunt. Sed soli procuratores secundùm comm: Theol: & Canonistarum. Nec tamen omnes tangentes realiter contrahunt cognat: spiritua em. Nam tenentes puerum in baptismo necessitatis non contrahunt cognationẽ spiritualem; cùm Tridentinum loquatur de patrinis in baptismo solennitatis, dum ait, quod Parochus interroget, qui fiut Patrini.

Non baptizatus, etiam, dato quòd sit patrinus, (cùm tamen esse non pos-sit) non contrahit cognationem spiritualem. nam cùm sit expers vitæ spiritualis, non potest spiritualem cognationem cõtrahere. non confirmatus verò, patrinus confirmati, contrahit cognationem spiritualem, *Sylv: V. Matr: num: 8.*

Sed an puer doli incapax, si sit patrinus, contrahat hanc cognationem? negat *Nav: Lib: 4. cons: 2. & 3.*

QVÆSITVM XVIII.

Cognatio spiritualis, quæ stante iam matrimonio contrahitur, quid causet?

℞. Cognatio spiritualis, quæ contrahitur tempore matrimonii, non tollit matrimonium, sed eum qui dat causam culpabiliter tali cognationi, privat iure petendi debitum.

Quare si Pater baptizat filium in necessitate, quando alius non est qui baptiret, non privatur iure petendi debitum. cùm sine culpa non debeat suo iure privari.

Ex quo non inferas patrem baptizantem filium ex fornicatione susceptum, etsi non sit alius qui baptizet, posse postea contrahere matrimonium, cum matre huius. *Labat de Matr: dub 7. §. 2. dela Cruz a. 6. de Matr: n. 6.*

Qui etiam extra necessitatem baptizat filium, & ignorat inculpabiliter se per hoc contrahere cum uxore cognationem spiritualem, potest petere. nã non dat causam culpabiliter cognationi.

QVÆSITVM XIX.

Quid & quotuplex sit adoptio?

℞. Adoptio est extraneæ personæ in filium, seu filiam, vel nepotem, &c. assumptio.

Est

Est duplex una perfecta, naturalem filiationem imitans, arrogatio dicta, per quam traducitur adoptatus in adoptantis potestatem, & succedit adoptanti ab intestato, nec potest eum adoptans sine culpa, quarta hæreditatis parte privare. & hæc adoptio fit tantùm principis authoritate.

Alia, quæ naturalem filiationem imperfectè imitatur, simplex adoptio dicta, qua adoptatus in adoptantis potestatem non transit, unde potius est quædam dispositio ad perfectam adoptionem, nec fit principis sed v.g. magistratûs authoritate, neq; adoptatus in bonis adoptantis succedit, nisi adoptans testamento ea relinquat. Si adoptari potest, si non est sui iuris.

Nota. qui non est sui iuris, vel est 25. annorum minor, aut mulier, nequit aliquem adoptare, nisi ex speciali principis concessione. cùm enim adoptio ad hæreditatis successionem ordinetur, solùm competit habentibus potestatem de hæreditate disponendi.

QVÆSITVM XX.

Ex qua adoptione, & inter quas personas, reperiatur cognatio legalis.

℟. Ex adoptione perfecta contrahitur vinculum matrimoniũ dirimens, quod est cognatio legalis.

Inter hos autem contrahitur cognatio legalis.

1. Inter adoptantem & adoptatum, filiosque adoptati usq; ad quartum gradum.
2. Inter adoptãtem & uxorem adoptati & inter adoptatum & uxorem adoptantis.
3. Inter adoptatum, filiosque adoptantis legitimos. Sed hæc tertia nõ perpetuò matrimonium dirimit, & solùm durat, dum alter eorum non emãcipatur. S. Th: *in supp: q. 57. a. 3.*

QVÆSITVM XXI.

In quibus casibus contrahatur impedimentum criminis?

℟. In his. Primus casus est, si adulteri sibi invicem promiserunt de matrimonio contrahendo, post mortem alterius coniugis. & sufficit, sive hæc promissio præcedat, sive subsequatur adulterium, ut probat Fernandez *de imped: Matr: sect: 5.* Requiritur tamen quod uterque istorum sciat interesse matrimonium. nam si unus id ignorat, in eius arbitrio positum est contrahere matrimonium, aut non C. *propositum, de eo qui duxit*, item requiritur ut promissio sit seria & acceptata.

Secundus casus, Si vir & fœmina convenerunt ad occidendum coniugẽ, ut inter se contrahant, & defactò occidunt, oritur inter eos impedimentũ dirimens. etiam nullo præmisso adulterio. Quare requiritur ut ambo communi conspiratione ad mortem concurrant. & satis est concurrere per se vel per alium, immediatè vel mediatè, præcipiendo, iuvando, consulendo, non tamen sufficit ratihabitio. Item satis est quovis mortis genere occidere, seu ferro, seu veneno, seu suffocatione. requiritur insuper, ut concurrant ad mortem animo sibi nubendi. Tandem requiritur, quod mors sequatur ex vi machinationum adhibitarum, & non a casu, aut aliter. hæc omnia probat *Fern: loco cit.*

Tertius casus. Si unus coniugum occidat alterum coniugem animo contrahendi matrimonium, etiam eo ne-

sciente cum quo intendit contrahere, dummodo interveniat adulterium cognitum ab ipsis adulteris. Quare ad incurrendum hoc impedimentum requiritur, ut adulterans, sive per se, sive per alium occidat eo animo, ut cum adultero contrahat. requiritur etiam, quod uterq; istorum sciat interesse matrimonium. vide *Fernand: loco cit.*

Quartus casus. Si adulteri contraxerunt vivente coniuge innocente, dũmodò uterq; adulter sciat alterum cõiugem superstitem. & sufficit adulterium subsecutum. *Armilla v. Matr. n. 33. Bonac: de Matr: qv. 3. p. 6. n. 8* & hoc impedimentum currit, licèt primum matrimonium fuerit tantùm ratum, & quoad habitationem separatum. *Cand: aureum, n. 213.*

Duo hîc sunt notanda. primum., dicta, explicando præfatos casus, sunt vera. si primum matrimonium verum, & non solùm existimatum.

2. Hæc impedimenta criminis (& idem de alijs impedimentis) incurri, non solùm ab eo, qui habet notitiam eorum, sed etiam ab eo. qui ignorat hæc esse impedimenta. patet ex praxi. nam & pro his solet exigi dispensatio. *De impedimento criminis. oppositum insinuo l. 4. Sent: Thom: d. 56. conc: 4.*

QVÆSITVM XXII.

Quid dicendum de matrimonio inter baptizatum & non baptizatum?

℟. Tale Matrimonium est invalidum, etsi post matrimonium alter eorũ baptizetur. Imo si Christianus cum Catechumena credeute contrahit, invalidum est matrimonium. Non autem est invalidum matrimonium personæ catholicæ cum hæretica, sed mortaliter illicitum, ut innuit *Mosc: 2. p. Tract: §. 4. n 36.* Sed Navar Azor, & Sanchez relati *in addit: Sat n. 8.* non damnant mortalis, matrimonium catholici cum hæretica, ubi hæretici cum catholicis permixti vivunt.

Si prædicta disparitas cultûs, quòd videlicet unus sit baptizatus & alter non baptizatus, contingat post matrimonium, non dissolvitur matrimonium. Matrimonium enim paganorum, non dissolvitur per hoc solùm, quod alter coniugũm ad fidem convertatur, *ex C. gaudemus, de divortio.* Quod intelligitur, si matrimonium fuit contractum sine impedimento iuris naturalis, licèt fuerit contractum cum impedimento iuris canonici tantùm. Vnde potest coniux conversus ad fidẽ, cum non converso habitare sine iniuria Creatoris.

Dixi, sine iniuria Creatoris, nam si coniux persistens in infidelitate nolit cum converso ad fidem habitare, nisi cum iniuria Creatoris, hoc est Deum blasphemando, eius laudes audire renuendo, coniugem ad fidem conversum scandalizando, matrimonium etiam consummatum dissolvitur. *S. Th: in supp: q. 59. a. 5.* tuncq; conversus ad fidem potest aliam uxorem ducere. Idem est, si coniux infidelis discedit, nolens cum coniuge ad fidem converso habitare quod patet ex 1 ad Corin: 7. *quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater*, id est, liber manet à matrimonii iugo, ut communiter explicant.

Et quidem secundùm aliquos, matrimonium statim ac infidelis discedit, aut cum alio habitare non vult, nisi

cum

cum iniuriaCreatoris, dissolvitur. Sed secundùm S. Th: loco cit: ad 2 non dissolvitur, quousq; fiat aliud matrimonium, cuius signum est, si infidelis cõvertatur, qui fuit ad fidem conversus, nondum coniugatus, ad eum redire tenetur, idque facere potest absque novo consensu, & tunc contractus civilis matrimonii, elevatur ut sit Sacramentum.

Quodsi coniux ad fidem nõ cõversus nimium distet ut requiri non possit, quid agendum? Sanchez putat nihil ultra requiri. nam moraliter certũ est, quòd nolit converti & domum relinquere. Pontius requirit dispensationem Summi Pontificis. *In summa Dia. v. imp: Matr: n. 10.* utraq: opinio iudicatur probabilis. Hic casus in partibus nostris facilè evenit, dum v. g. Turcæ vel Tartari baptizantur.

Cæterùm si coniux præsens ad fidẽ non conversus velit pacificè sine iniuria Creatoris cohabitare alteri ad fidem converso, hic non potest aliud matrimonium inire. *S. Th: loco cit.* licèt possit liberè discedere à non converso ad fidem. Verba enim Apostoli, 1. ad Corint: 7. ego dico, non dominus, si quis uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. consilium tantum continent.

Supponit ergo S. Th: posse coniugẽ conversum ad fidem, cum non converso habitare, sine iniuria Creatoris, & periculo subversionis, aliàs non, sed ex Conc: Tol: 4. Cap: 61. debet statim separari.

Bonac: tamen *de Matr: q: 3. puncto 7. n. 6* in casu supra posito matrimonium celebrari posse, & allegat aliqvorum locorum consvetudinem, in quibus certum tempus assignatur, intra quod si alter non convertatur, fit separatio. in eandem sent: inclinat *Mosc: loco cit: n. 25.* nec tamen S. Th: contrariatur, sed praxi aliquorum locorum probabile fundamentum habenti, favet.

QVÆSITVM XXIII.

Si conversus ad fidem recipiat sacros Ordines, & uxor memor suæ salutis tandem convertatur, an cum alio matrimonium celebrari possit?

℞. Negativè. Si tamen solenniter profiteatur, uxor tandem ad fidem cõversa, cum alio matrimonium contrahere potest, licet primum matrimoniũ in infidelitate fuisset consummatum, & utramq; partem probat. *Bonac: de Matr: loco cit n. 9.*

QVÆSITVM XXIV.

Quando vis dirimit Matrimonium?

℞. Tunc vis dirimit matrimonium, quando unus coniugum per violentiã aut metum iniustum, in virum constãtem cadentem, & à causa libera illatũ matrimonium contraxit etiamsi interiùs habuerit consensum. *comm: DD.* etiamsi iuraverit *Bonac: qu. 3. de Matr: puncto 8 n. 26.* etiamsi consummaverit. *Candel: aureum, n. 225.* citans S. Th: est autem metus in virum constantem cadens, qui virum animo fortem frangit, qualis metus est diuturni & sordidi carceris, necis, &c. in fœmina tamen ad metum in virum constantem cadentẽ; minus requiritur.

Validatur tamen Matrimonium, si ille qui antea fuit coactus, postea consentiat copulæ affectu maritali.

Qui ergo contraxit, per metum iniustè

ſtè incuſſum, & in virum conſtantem cadentem, non poteſt accedere ad mulierem, cum qua ſic contraxit, licèt ei mors immineat, cùm non ſit ſua, attamen ad evadendam mortem, poteſt accedere affectu maritali, & tunc validabitur matrimonium: nec erit neceſſaria parochi & teſtium præſentia; ut ex dicendis patebit. nam non eſt intentio Eccleſiæ annullantis, matrimonia coacta, impedire iſtum ſi velit contrahere, cùm lex in favorem eius lata.

Dixi, per metum in virum conſtantē cadentem. nam matrimonium ex metu levi, quamvis iniuſtè incuſſo contractum, ſecundùm communem ſententiam valet; niſi deſit conſenſus. quia qui ex metu levi operatur, cenſetur liberè operari, cum poſſet metum deponere.

Et ſic ſi puella metu reverenciali mota conſentit in matrimonium, valet. Vbi confeſſarii notent pro puellis, ſæpè enim parentibus ſtante metu reverentiali dicunt, faciatis ut vultis. in quibus verbis licèt non cōſentiant expreſſè ob verecundiam, conſentiunt tamen tacitè. *Samuel de Lublino V. filius n 7.*

Secùs eſt quando puella propter timorem parentum, quem præceſſerunt comminationes, verbera, maledictiones & huiuſmodi generis mala, conſentit in matrimonium. tunc enim eſt nullum.

Dixi etiam ſuperius, per metum iniuſtè incuſſum. nam metus in virum conſtantem cadens. iuſtè tamen incuſſus, non invalidat matrimonium, ut communiter DD. Vnde ſi inventus in ſtupro, promittat matrimonium ne iudici & magiſtratui prodatur, valet matrimonium. quia iuſtè prodi poterat, niſi hoc fine incuteretur metus accuſationis ut matrimonium contraheretur tunc enim matrimonium non valeret. *Bonac: loco cit: n 10.* Similiter ſi matrimonium promittat ne occidatur, quia metus occiſionis pro ſtupro iniuſtè incutitur. ſi etiam iudex ei quem ad mortem, vel ad aliam pœnam gravem damnare debuerat, offerat in matrimoniū filiam occiſi, matrimonium non eſt invalidum: quia metus iuſtè incutitur ad compenſandum damnum. Non verò validum matrimonium: ſi iudex promittat liberationem, ut filiam ſuam in uxorem accipiat, quia hoc non tendit ad compenſationem delicti.

Nota. ſecundùm *Bonac: loco cit. n. 11.* non iuſtè cogitur ſtuprator iudici proditus ut eam ducat, quam conſentientē defloravit, niſi alius titulus adſit. qualis titulus eſſet, ſi ibi eſſet lex recepta, præcipiens contrahere matrimonium cum ſtuprata, vel ſi præceſſerint ſponſalia. vel promiſſio Matrimonii ut dicit Sanch: Lib: 4. diſp: 14. n. 7. vel ſi involuntariè violata. ut dicit *Bonac: loco cit* addo, ſi quæ conſenſit, imprægnata.

QVÆSITVM XXV.

An Parentes poſſint cogere filios ad contrahendum?

℞. Quòd non, neq; ad tale matrimonium. cùm filij habeant plenam libertatem, ad eligendum ſtatum: unde hac occaſione non poſſunt exhæreditari. Poſſunt tamen parentes mediis ſvaſionib⁹ imò & increpatione paterna abſque vi & metu, quando adeſt iuſta cauſa. v. g. qua minùs decens eſt matrimonium; impedire tale matrimoniū vel inducere ad aliud.

Licet autem filij non poſſint cogi, tenen-

tenentur tamen sub mortali, consilium parentum petere; & deindè sic consultis parentibus, inire matrimonium, quod placet. Nisi multum intersit ut filius tale matrimoniũ contrahat, v.g. ad cõponendas graves immicitias, &c. tunc enim sub mortali tenetur obedire parentibus: si nubere voluerit & non habet iustam causam resiliendi, *Mosc: quoad omnes partes loco cit: n. 30.*

Pro meliori horum notitia, scias ex *Triden: sess: 14. cap: 9.* Excommunicari DD. temporales, Magistratus, & alios iurisdictionem in foro exteriori habétes, si cogant sibi subditos ad contrahendum matrimonium. Aliqui hanc excommunicationem extendunt ad parentes cogentes. Sed *Bonac. loco cit. n. 34.* cum commum DD. negat. imo negat extendi ad impedientes attento textu Tridentini. *Moscic: 2. par. Trott: §. 4. num. 31.* extendit ad impedientes, quod & alij docent.

QVÆSITVM XXVI.

An Sacer Ordo dirimat Matrimonium?

℟. Ordo Sacer Matrimonium antecedens, illud dirimit. insuper taliter matrimonium contrahens excommunicatur, & fit irregularis; ut refert *dela Cruz de Matrim: a. 3. n. 4.*

Ordo verò sacer matrimonio superveniens non dirimit illud, quàmvis tantum fit ratum, sicut dirimit professio solennis. *Bonac: de Matr: q. 3. pun: 4. n. 60.* cum alijs DD.

Idem censeo de voto à Patribus Societatis peracto biennio emisso, quod de susceptione Ordinis Sacri, per se loquendo,

QVÆSITVM XXVII.

Quid dicendum de eo, qui stante Matrimonio ordinatur?

℟. 1. Si reclamante uxore ordinatur, quàmvis id faciat matrimonio nõ consummato, manet irregularis etiam mortua uxore, *Ita in extrau: antiquæ, de voto.* Ordinis tamen susceptio valida.

Tenetur in sententia probabiliori ait *Ledesma apud dela Cruz* loco citato, intrare Religionem ante consummationem Matrimonii. Si non ingreditur, tenetur post duos menses reddere debitum petitus. *Ita S. Th: qu. 53. art. 3.* ipse vero non potest petere, & petenti ait D. Th. non tenetur uxor reddere, nam recipiendo Ordines cessit iuri petendi.

Si uxor consensit ut vir ordinetur, privatur iure petendi & tenetur vovere castitatem, imo si sit iuvencula cuius castitas periclitatur, tenetur religionem intrare. Colligitur ex *S. Th. loco cit: a. 4. ad 2.*

QVÆSITVM XXVIII.

An ad valorem Matrimonij sit necessaria præsentia Parochi & testium?

℟. Matrimonium clandestinum, hoc est in absentia Parochi & duorum testium contractum est illicitum, & novo iure Tridentini nullum. Nec habet vim sponsaliorum. *Moscic: loco cit: n. 32.* Contrahentes tamen matrimonium sine Parocho & testibus quàmvis consumment illud; possint, si non obstat aliud impedimentum sine dispensatione de novo in facie Ecclesiæ contrahere, illis tamen, & testibus sine præsentia Parochi, punitis, Nec obstant il-

la ver-

ia verba Tridentini, sint inhabiles ad sic contrahendum. Nam non debent intelligi, quod sint absolutè inhabiles ad contrahendum, sed quòd sint inhabiles ad permanendum simul durante matrimonio clandestino.

Necessariò ergo debet assistere Matrimonio Parochus contrahentium. Patet ex *Trid. sess. 24. cap. 1.* ubi dicitur. qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de Parochi vel ordinarii licentia, &c. contrahere attentabût, sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & huiusmodi contractus nullos esse decernit. Et satis est ut assistat Parochus, alicuius contrahentium, etsi matrimonium celebretur in aliena parochia. Ex declaratione Cardinalium insinuata, *à dela Cruz q. 3. de Matr: n. 7.* Qui etiam ad aliquem locũ divertit propter negotium, intentionẽ habens manendi ibi maiore parte anni, potest ibi contrahere. *Bonac: de Matr: qv. 2. p. 8. n. 3.* cum aliis Doctoribus. Nam si potest ibi sepeliri & adstringi legibus, cur non poterit ibi matrimonium contrahere ?

Quod si Parochus sit ipso iure privatus beneficio, modò in iudicio non fuerit illo legitimè privatus: validè assistit Matrimonio. Quia adhuc est parochus cum titulo colorato, & errore cõmuni vulgi, quæ autem fiunt ab aliquo cum titulo colorato, & errore communi, nec adest impedimentum Iuris naturalis vel divini, sunt valida; etiam respectu illius qui scit verum titulum deesse. Et ob id validè assistit matrimonio cui non ex animo, sed fictè, proprius parochus dedit licentiam assistendi. Item cui datur licentia eò quòd putetur esse Sacerdos licèt non sit; quia adest error communis & titulus coloratus, nec adest impedimentum iuris naturalis vel divini. Hæc probat *Bonac: loco cit.*

Licèt etiam Parochus adesse cogatur, valet matrimonium. Nam Sacerdos non est minister matrimonii, sed ipsimet contrahentes, quare non est necessarium ut assistat voluntarius. Idem sit iudicium de testibus. Imo etsi parochus affectet non audire obstruendo aures, claudendo oculos, valet matrimonium. Item valet matrimonium celebratum coram Parocho aut eius Vicario, etsi Episcopus prohibuisset aliquos matrimonio copulare. Pro his insinuat declarationes Cardinalium *dela Cruz q. 3. de Matr: n. 9.*

Nec tamen Parochus est unicus assistens Sacramenti Matrimonii, sed de licentia Parochi vel Ordinarii, vel Vicarii generalis potest alius sacerdos assistere & non requiritur licentia in scriptis vel specialis ad istum actum. Sed sufficit verbalis generalis, ad omnia reqvisita pro officio parochi, nec tamen sufficit præsumpta. Sed debet esse expressa, ut insinuat, ex declaratione Cardinalium *dela Cruz loco cit. n. 7.* quam dare potest Vicarius parochi licèt amovibilis habens facultatem administrandi sacramenta & assistendi Matrimonio *Bonac: q. 2: de Matr: punt 8. n. 12.*

Parochus non Sacerdos potest dare licentiam, aliis assistendi matrimonio: licèt sit excommunicatus, suspensus, irregularis, & non toleratus, imo Sacramẽtorum administratione interdictus. Manet enim in possessione, dum Parochiâ non privatur. *Ita Samuel de Lublino v. Matr: n. 18. cum aliis DD.*

Non obstantibus his quæ diximus, qui

qui ex partibus, ubi Tridentinum est receptum; vadit, etiam per modum transeuntis ad partes, ubi Tridentinum non est receptum; validè ibi contrahit, licèt quandoq; peccet. *Bonac: q. 2. p. 7. n. 2.* possumus enim uti privilegiis regionis in qua sumus, nisi hoc fine vadat. Nam sic non contrahit. licet oppositum doceat *Bonac*: Pro nobis enim est declaratio Sacræ Congregationis, anno 1628. insinuata in summa Dianæ. V. Imp: Matrim: n. 28.

QVÆSITVM XXIX.

Quales testes esse debeant qui assistũt Matrimonio?

℞. Hos duos testes à Concilio requisitos, debere esse rationis compotes, quicunq; illi sint. ut consanguinei, Religiosi, fœminæ, infames secundùm Covarr. & sufficiunt etsi ad id non sint vocati Imo etsi sint coacti, ut declaravit sacra Congregatio. de qua *dela Cruz loco cit: n. 6.*

Non sufficit tamen præsentia testium sicut & parochi. physica tantùm, qualem habet dormiens, & surdus. Sed requiritur moralis: ita ut assistant cum actuali advertentia, & de tali contractu fidem dare possint.

QVÆSITVM XXX.

Quid de impedimento Raptûs dicendum?

℞. Inter raptoré & raptam; quàmdiu rapta est in potestate raptoris non potest stare matrimonium. Et raptor, auxiliantes, consulentes, faventes, excommunicantur. maneat perpetuò infames. Quòdsi sint Clerici de proprio gradu decidant. Et tenetur raptor, raptam decenter arbitrio iudicis dotare, sive eam in uxorem ducat cassante raptu, & libertati restituendo, sive non. *Trid: sess. 24. cap. 6.*

Nota. Raptum tunc propriè committi quando mulier vi rapitur ad matrimonium, non verò si rapiatur ob aliam causam; etiam causâ libidinis, *Sanchez.* Et declaravit Sacra Congregatio, quam insinuat summa Dianæ. v. impedimenta Matrim: n. 21.

Si puella non vi rapitur, non est verè raptus, sed potius fuga. licèt hoc fiat invitis illis sub quorum cura manet, consequentet validè contrahitur matrimonium. *Diana parte 3. tom: 4. resolutione 261. & alij DD. contra Bonacin.* Quia Tridentinum solùm respexit ad libertatem puellarum, ne scilicet virgines nubere cogerentur. Hic autem nulla fit coactio. Item, si quis rapiat sponsam suam invitam; non committit verum raptum nec invalidatur matrimonium. Si sponsa solùm contradicat raptui propter certos respectus, non verò contradicat matrimonio. *Ita aliqui apud Bonac: de Matr: q. 4. pun. 18. n. 11.* à forciori idem dicendum, si sponsa non invita rapiatur. Nec in tali casu, licèt parentes sint inviti, committitur verus raptus in iure Canonico ut habet *Bonac: ibidem.* consequenter validè cõtrahitur. Secùs in Iure Civili.

TITV.

TITVLVS VI.

De modo occurrendi impedimentis, tùm validando matrimonium invalidè contractum, tùm dispensando.

Habet quæsita 6.

QVÆSITVM I.

Quomodo validandum est Matrimonium, quod est invalidum defectu consensûs interni?

℟. Sufficit si consensus de novo præstetur ab eo, qui consenserat fictè, modò ille qui verè consenserat non revocaverit suum consensum. nam ex parte unius adsunt omnia ad contrahendum matrimonium. Ergo accedente consensu ex parte alterius nil deest. Ergo sic validatur matrimonium. nec est necessarium in hoc casu dicere aliquid illi, qui verè consenserat. nec est necessarium aliquo signo externo exprimere consensum internum. Quia signum externum jam fuit exhibitum in contractu solenni. Secus dicendum est quando defuit consensus utriusque: sic enim necessarius est consensus signo externo expressus *Bonac: de Matr: q. 2. pun: 9. n. 1. & sequ: cum alijs.*

Sed quantùm temporis debeat effluere inter consensum præcedentem unius coniugis, & consensum novum alterius coniugis, ut censeatur validari matrimonium? Respondet Navarrus, & Guttierez posse in tali casu validari matrimonium licèt intercedat quodcunque temporis spatium. Nam quantùm præstat ad naturam Matrimonii materia & forma censetur esse simul moraliter, quàmvis consensus alterius præstetur post multùm temporis, modò alter non revocaverit suum cōsensum.

Nota. Securius esse in prædicto casu validari Matrimonium per consensum utriusque. cum Clemens VIII. responderit Rectori Romanæ pœnitentiariæ Soc: IESU: requiri consensum utriusque si unus ficte consensit, *De quo in summa Dianæ. V. Matri n. 10.*

QVÆSITVM II.

Quomodo validandum Matrimonium quod fuit nullum propter impedimentum dirimens?

℟. Ad validandum Matrimonium, quod fuit nullum propter impedimentum dirimens, necessarius est post acceptam dispensationem, vel impedimenti cessationem novus utriusque consensus signo externo expressus, nec sufficit consensus illius qui novit impedimentum. *Ita communiter.* nam sicut à principio reqvirebatur consensus utriusqve exteriùs manifestus, ita modò requiritur, cùm prius matrimonium perinde se habeat acsi nullo modo fuisset celebratum.

Et sic quando matrimonium fuit invalidum propter impedimentum dirimens, tunc impedimentum obtentâ dispẽsatione, vel cessante impedimento, manifestandum est coniugi illud ignorãti, quãdo manifestari potest absq; gravi periculo. Secus si cõmodè & absq; gravi periculo nequeat manifestari. Et hoc pacto intelliguntur clausulæ dispensationum, in quibus præscribitur coniugem admonendum de invaliditate matrimonii. Non enim credibile est obligare Summum Pontificem cum tanto incommodo.

Non negandum tamen est Matrimonium posse validari, etiamsi impedimẽtum non manifestetur, modò alter inscius impedimenti ita consentiat, ut dicat, consentio quantùm possum vel quantùm debeo. Quia positis his adest sufficiens consensus. Secus dicendum est, si coniux inscius invaliditatis prioris matrimonii intendat solùm ratificare præteritum Matrimonium, quod credit esse verum, ut docet *Bonac: loco cit: n. 7.*

Nota. Licèt metus gravis sit impedimentum dirimens, tamen quando matrimonium est invalidum propter metum gravem, solet doceri, quòd sufficiat illud revalidare per consensum unius vel internum, vel ut securiùs, externum. v. g. accedendo vel acceptando copulam affectu maritali. benè spectatâ saltim authoritate DD.

QVÆSITVM III.

Quomodo procedendum quando impedimentum nequit absque gravi periculo manifestari Coniugi ignoranti illud?

℞. Quando vir est lætus, mulier v. g. dicat: ita te diligo, quòd si non essemus coniugati, vellem de novo tecum contrahere, & nunc dico, me tecum matrimonium contrahere, & petat, à viro, ut in gratiam sui eadem verba repetat, vel saltim aliquo signo ostendat. *dela Cruz de Matr: qu. 3. n. 5.* Caveat tamen ne ante validatum matrimonium petat ut reddat debitum. Docent etiam aliqui, quando, impedimentum uni coniugum notum, non potest absque periculo manifestari, nec consensus extorqueri, quod fit, si vir nõ sit hilaris, nec velit respondere, & ex alia parte petat debitum, & uxor nequeat negare absque scandalo & ruina mariti, docent inquam sublato impedimento sufficere, ut ipsa copulam habeat affectu maritali. Sed hæc sentẽtia probabilis est, ob auctoritatẽ DD. & non ob rationem, ait *Bonac.*

QVÆSITVM IV.

Vt validetur Matrimonium antea invalide celebratum propter aliquod impedimentum dirimens, requiriturne ut de novo contrahatur coram Parocho & testibus, etiamsi prius matrimonium fuerit malâ fide celebratum?

℞. Quòd non. Et desumitur ex praxi, ut ait Navar: in manuali cap: 22. n. 70. quod intellige, modò impedimentũ sit occultum & sublatum, nec sit periculum ut probetur in iudicio, & matrimonium dissolvatur in foro externo. Item, modò impedimentum sit ignotũ parocho extra confessionem, & testib9, quando contrahebatur matrimonium, aliàs non possent testari de validitate matrimonij.

A fortiori non requiruntur benedictiones quando sublato impedimento revalidatur matrimonium.

Non loquor autem in resolutione data de impedimento matrimonii clandestini. hoc enim revalidatur per præsentiam Parochi & testium.

QVÆSITUM V.

Quid faciendum post notitiam impedimenti dirimentis, contracto iam Matrimonio?

℞. Nec peti nec reddi debet debitũ sub mortali, cùm non sint veri coniuges. Quo in casu consulat cõsci⁹ impedimẽti confessariũ vel alium virũ doctum quomodo se gerere debeat. Confessarius verò si prudenter putat se nihil profecturum propter maximam rei difficultatem, non moneat, sed in bona fide relinquat. *Moscic: par. 5. Element: ad Sacr: confess: de prudentia confessarij n. 14.* Cautè autem discurrat, ne de invaliditate scrupulum ingerat. Est autem in præsenti bona fides, quando impedimentum nescitur, licèt peccatũ adulterii, vel alterius criminis præcesserit. quòd si confessarius sperat se profecturum, debet monere vel etiam quã-tùm potest dispensationem procurare: si autem pœnitens malâ fide, hoc est sciendo impedimentum dirimens, matrimonium contraxit, omninò confessarius moneat. Imò si parva spes emẽdationis, non absolvat, ne malo statui pœnitentis cooperetur.

Nota. ut possit confessarius cognoscere pœnitentem laborare ignorantiâ invincibili, & bonâ fide procedere, curet bono & prudenti modo intelligere, an pœnitens putet se in bono statu cõstitutum esse. Nam si putaret non in bono statu se constitutum esse, iam nõ laboraret ignorantiâ invincibili, nec bonâ fide procederet, & consequenter esset corrigendus. Cautè tamen Confessarius, ut supra dixi, discurrat, ne dubium aliquod ingerat pœnitenti, dum non adest spes emendationis, non est autem spes emendationis quando pœnitens saltim mediocriter suo obiecto afficitur, ex alia verò parte non ponderat impedimentum, quod maximè locum habet in rudibus. Semper tamẽ in his debet considerari difficilis aditùs ad Papam vel Legatum, vel saltim ad Ordinarium loci. Hæc modo benè, & non primò, occurrente in confessione casu, considera.

QVÆSITVM VI.

Quis dispensat in impedimentis dirimentibus Matrimonium?

℞. Papa dispensare potest in omnibus impedimentis dirimentibus iure Ecclesiastico introductis.

Imò & Episcopus potest in foro occulto conscientiæ, si hæc simul concurrant: primò, si impedimentum sit occultum. secundò, si matrimonium sit publicum. tertiò, si separatio sit maximè scandalosa. quarto, si ad Papam vel ad alium habentem potestatem, propter legitima impedimenta, non adsit accessus. *Ita Candel. aureum cum alijs de Matr: circa finem.* Quod intellige, modò matrimonium sit contractum bonâ fide, nam si contrahatur mala fide, sciendo impedimentum dirimens, præsumitur Summum Pontificem in tali casu sibi reservare facultatem *iuxta Conc: Trident: sess. 22. cap: 5.* quod vult sic contrahentes separari sine spe dispensationis obtinendæ.

Potest

Potest etiam Episcopus per se vel per delegatum in urgentissima necessitate dispensare in impedimento dirimente & antecedente matrimonium, v. g. si iam parata sunt omnia ad nuptias, nec adest alia via evadendi infamiam vel suspicionem gravis delicti in confessione manifestati, ut docent aliqui *apud Bonac.*

Alii tamen securiùs dicunt, posse Confessarium hoc remedio uti, ut spōsus voveat castitatem, v. g. ad mensem vel duos. deinde dicat se castitatem vovisse, mandatumq; à Confessario à matrimonio abstinere, donec dispensatio veniat. Caveat tamen ne dicat se ad mensem tantùm v. g vovisse, ne audientes asserant sufficere dispensationem Episcopi, sicq; remediū deludatur. Cæterum si nullum periculum infamiæ vel suspicionis delicti, aperiùs procedatur & dicatur ut modò sit solennitas convivii, deinde adveniente dispensatione, matrimonium celebretur.

TITVLVS VII.

De Divortio.

Habet quæsita 9.

QVÆSITVM I.

Quid, & quotuplex sit Divortium?

℟. Divortium est legitima uxoris & mariti separatio apud competentem iudicem cum causæ cognitione & sufficienti probatione facta.

Est duplex. Quoad thorum & quoad vinculum. quoad thorum contingit divortium, quando habitatio vel conversatio mutua Coniugum ad tempus vel nulla temporis habitâ ratione interdicitur. Quo ad vinculum, quando matrimonium secundum substantiam suam in perpetuum rescinditur, quasi non fuisset.

QVÆSITVM II.

Quot modis solvatur Matrimonium quoad vinculum?

℟. Tot modis, quot sunt impedimenta dirimentia & antecedentia matrimonium. Nam impedimenta sequētia contractum matrimonium non solvunt, cùm sit insolubile.

Sunt tamen nonnulla quæ solvunt matrimonium iam contractum. Sic professio solennis emissa in religione approbata, & non solus ingressus ad talem Religionem, solvit vinculum matrimonii contracti rati & nondum cōsummati.

Conversio etiam ad fidem altero remanente in infidelitate secundùm superiùs dicta solvit vinculum matrimonii licèt fuerit consummatum.

Idem à fortiori de morte, unde licèt mortuus à mortuis resurgat, alter non

manet obligatus, nisi de novo contrahat. Quod & procedit de Religioso mortuo, qui si resuscitetur, non tenetur ob observantiam Religionis. V. M. Soto in 4. dist: 41. qu. unica. a. 1. ad 3.

QVÆSITVM III.

Quando unus coniugum fornicatur, quale Divortium faciendum?

℞. In tali casu non est faciendum divortium quoad vinculum. Matrimonium enim non dissolvitur per fornicationem unius coniugum, ut determinatur *in Trid: Seß:24. can: 7.* Nec obstat illud *Matth:19. Qui dimiserit uxorem & aliam duxerit, exceptâ fornicationis causâ, mœchatur.* nam illa exceptio solùm refertur ad dimissionem uxoris, ut docet *S. Th: in supplem: qu: 52. ar: 5. ad 4.*

Solùm ergo potest vir dimittere uxorem & uxor virum, ob fornicationẽ. Nam fidem frangenti fides frangitur eidem. Et sic ut docet *S. Th: ar. 3 loco citato.* Si coniux scit etiam in secreto alterum adulteratum esse, potest, nisi excommunicatione cogatur, ei debitum negare, quàmvis non possit sine iudicio Ecclesiæ ab eo separari quoad cohabitationem. *C. Porro. de Divortio* Sed petere separationem, nisi alias adulterium, aut alia causa sufficiens pro divortio sit notissima. *dela Cruz de Matr: q. 5. n 4.*

Nec solùm tunc quando de fornicatione certò in secreto constat, licet petere divortium, sed etiam quando suspicatio adest violenta, ut si inveniatur solus cum sola, horis & locis suspectis. *Ita S. Th: loco cit: a. 3. ad 4.*

QVÆSITVM IV.

An vir teneatur dimitere uxorem fornicantem?

℞. Vir tenetur dimittere uxorem fornicantem, alias non pœnitentem, ne peccato eius consentire videatur, & favere incertitudini prolis. Et dimissio eius sæpe proderit ut corrigatur, ad quod tenetur vir, cùm sit caput. Et intelligitur conclusio regulariter. Nam si ex dimissione uxoris subtrahantur necessaria viro pauperi & infirmo, aut subeat periculum incontinentiæ, & aliàs non sequitur scandalum, & ruina aliorum, nec spes emendationis, licèt viro sequatur infamia, non dimittatur cum tanto damno.

QVÆSITVM V.

In quibus casibus, non licet viro adulteram dimittere?

℞. In his: Primò, si ipse ante divortium etiam insciâ uxore fornicatus, quàmvis post uxoris fornicationem, ut docet *S. Th: loco cit: a. 6. ad 5.* Secundò. Si vir uxorem prostituit, vel scivit quòd adulteretur, & non prohibuit. Tertiò. Si uxor probabiliter credens suum virum obijsse, alteri nupsit. Nisi scienter steterit cum secundo post adventum primi. Quartò. Si latenter est ab alio cognita sub specie viri. Quintò. Si fuit per vim oppressa. si tamen metu vel præcepto parentum, instantiâ consanguineorum vel simili causa fornicetur, non excusatur ut liberetur à divortio. *Samuel de Lublino v. Divort: n. 16.* Sextò. Si illam vir reconciliavit. Censetur autem reconciliare quòd carnaliter sponte & non ab Ecclesia coactus cognoscat, & sciens adulterium. Septimò. Si tempore infidelitatis vir dedit uxori libellum repudii, & mulier alteri nupsit. tunc si uterq; convertatur ad fidem, tenetur vir uxorem recipere Ex

cap:

cap: Gaudemus, de Divor: vide D. Thomam loco cit: ar: 1.

Addit Samuel de Lublino loco cit: n. 16. casum octavum, si vir contra voluntatem uxoris abstinendo præter adulterandi occasionem. Non si prætextu alterius incommodi, v. g. paupertatis. Sed Sa, V. Divort: n. 10. absolutè docet, quòd vir nō possit dimittere uxorē cui dedit adulterandi occasionem.

QVÆSITVM VI.

An Sodomia vel aliud peccatum contra naturam sit causa Divortij?

℞. Sodomiam activam vel passivā & bestialitatem esse causam sufficientem divortij perpetui. *Bonac: quæst 4. de Matr: puv: 5. n 4.* Nam per sodomiam & bestialitatem dividitur caro coniugis cum bestia vel alio. Nec obstat quod in Tyrocinio artis pœnitentiariæ *secunda par. §. 4. n. 37.* dictum fuerit ob solam fornicationē carnalem, esse perpetuum divortium, hoc enim intelligendum est magis ordinariè.

Quando peccatum quasi sodomiæ committitur cum propria uxore, non est causa sufficiens divortii perpetui, quia non dividitur caro. *Bonac: cum aliis loco citato.*

Tamen quando uxor solicitatur à viro ad tale peccatum, discedere potest propter periculum animæ donec vir resipiscat.

Pollutio etiam extratraordinaria cū alia vel cum propria exore non est causa sufficiens divortii perpetui, quia caro propriè non dividitur. Idem *loco citato n. 5.* potest tamen esse causa divortii ad tempus, eò quòd sit inductio ad peccatum.

Iuxta dicta intelligendus est *S. Thom: loco cit. ar: 1. ad 4.*

QVÆSITVM VI.

An sint aliæ causæ Divortij?

℞. Divortii temporalis plures causæ assignantur. Prima causa est hæresis, unde si unus coniugum persistat in hæresi, divortiū celebrari potest quàmdiu persistit. Imò tenetur coniux catholicus divertere ab hæretico nolente resipiscere, quod potest facere etiam propriâ auctoritate. Siquidem iure naturæ obligatur cavere proprium animæ periculum, quod hic imminet ex tam vicino hoste. Nam ex nimia familiaritate cum quibus frequentes sumus, pessimi mores trahuntur. *Moscici loco cit* in hoc & simili casu, non tam est divortium, quam simplex relictio coniugis.

Secunda causa est sævitia Mariti. Et intelligendum est de sævitia propter quam timetur grave aliquod malum, non verbera levia. siquidem est licitū viro uxorem verberare, non passim ex leviq; causa, nec acriter, quamvis gravis causa per uxorem sit data, sed rarò urgenti de causa atq; moderatè: quia acris verberatio Iudici est relinquenda. *Moscic loco cit: n 39.*

Quod si uxor iniustè & graviter verberata non tamen facto per iudicem divortio discesserit, repetenti viro cuius sævitiam veretur, non restituitur, nisi præstitâ cautione, quòd restitutæ nullam inferet violentiam. Quæ cautio secundùm *Bonac. de Matr: q. 4. p. 5. n. 15.* debet esse pignoratitia vel fideiussoria, si spectatis nonnullis circumstantiis non sufficiat iuratoria. Si verò tanta sit viri sævitia ut uxori timēti de securitate nequeat ullo modo provideri, tunc usque ad causæ decisionem

 alicui

alicui probæ & honestæ mulieri committatur custodienda.

Tertia. Si unus coniugum machinatur alteri mortem. Et sufficit huius machinationis vehemētissima suspicio. *Samuel de Lubl: V. Divort: n. 9.*

Quarta. Quando delictum unius est causa gravis damni alterius, ut quando uxor est venefica, graviter nocens familiæ maleficiis, imò licèt tantùm sit venefica commercium habens cum dæmone, digna est divortio.

Quinta. Quando furia unius coniugis ita est vehemens ut alter coniux cohabitando subeat periculum vitæ. Sed istæ tres causæ immediatè positæ, reducuntur ad sævitiam.

Sexta. Quando unius coniugum inducit alium ad quodvis peccatum. v. g. si in domum suam adducat parum pudicos, sitq; ita incautus ut aliquo ex illis relicto exeat, ipsa vero solicitetur ab illo verbis, nutibus, aut tactibus. Maritus verò rogatus ab uxore ne eos admittat, negligat. Non tamen potest discedere à viro ministrante ei alimēta ex usura, furtoque acquisitis rebus. Quia quando uxor aliunde alimenta non habet excusatur istis parcè utens iuxta decentiam sui statûs: quàmvis maritus efficiatur impotens ad restituendum iniustè parta. *Moscic: loco citato, num. 38.*

Sed si vir nollet desistere ab usuris & furtis posset à tali discedere. ita aliqui *à Sa: tacitè relati. V. Divort: n. 5.* licèt ipse in oppositum inclinet. Has causas reducit *Moscic:* ad triplex crimen.

QVÆSITVM VIII.

An uxor possit recedere à Marito propter morbum gallicum vel amentiam?

℟. Samuel de Lublino loco citato; n. 15. Negativè nec ob lepram quæ etiam est contagiosa. præterea nec ob amentiam, nisi immineat sibi probabile mortis periculum. Cæterùm doctrina S. *Thomæ in supp: q. 64. a. 1. ad 4.* de lepra hæc est. Vxor viro leproso tenetur reddere debitum, non tamen tenetur ei cohabitare quia non tam citò inficitur ex coitu, sicut ex frequenti cohabitatione. & quàmvis proles generetur infirma tamen meliùs est ei sic esse, quàm non esse. hæc D. Th.

QVÆSITVM IX.

De reditu Coniugis nocentis ad innocentem post celebratum divortium?

℟. Coniux innocens post divortium ritè celebratum non tenetur recipere coniugem nocentem etiam correctam & suppliciter veniam petentē. cùm iam nocens amiserit ius. Etiamsi innocens post divortium fornicatus esset, ut docet *S. Th: in supp: qv. 62. ar. 6. ad 4.* ad cavendum tamen periculum animæ & scandalum, potest cogi à iudice ut coniugem nocentem recipiat.

Quando verò innocens revocat nocentem tenetur redire. *S. Th. loco citato ad 3.* quia illa sententia lata est in favorem innocentis, & sic non debet eius iuri præiudicare. Nisi nocens per divortium separatus de licentia innocentis castitatem vovisset aut religionē intrasset. S. *Th: loco cit:* Ledesma tamē *Cap: 29.* de Matr: nullam requirit licentiam. nam qui divortium fecit, eo ipso ad tale votum licentiam dedit.

TITU-

TITVLVS VIII.

De Matrimoniali Debito.

Habet quæsita 14.

QVÆSITVM I.

An Coniuges teneantur sibi mutuò debitum reddere?

R. Coniuges tenentur sibi mutuò debitum reddere, etiam interpretativè & implicitè petentes, ut docet *S. Th: in supp: q. 64 ar: 2.*

Quare sine rationabili causa debitũ negans, mortaliter peccat, nisi alter remissè petat vel nolit negantem tam rigorose obligare. Fundamentum conclusionis sumunt Theologi *ex prima ad Corint: 7. Vir Vxori debitum reddat.*

QVÆSITVM II.

An coniuges quandoq; excusentur à redditione debiti?

R. Coniuges sæpè à redditione debiti excusantur. Primò ob salutis periculum, v.g. si fœmina in partu moreretur conceptâ prole. In dubio verò an debitum noceat saluti, non tenetur reddere: Secundò, si proli iam conceptæ, à fortiori si proli animatæ periculum abortûs immineat. animatur autem proles, si mas, post dies 40. fœmina, post dies 80. Tertiò excusantur coniuges à redditione debiti, si mulier non habeat nutricem. fæcundata enim mulier lac amittit. Quartò. si multi filii, nec adest, unde alantur. Quintò. Si febri coniuges laborent, non autem si capite medioriter, vel dente molari. *Mosc: 2. par. Tyroc: in speculo part. n. 25.* Sextò. Si statim post prandium petanti cùm copula tunc sit gravis detrimenti causa. Septimò, si unus ex coniugibus nimis frequenter petat vel formaliter ebrius sit. cum tunc irrationabiliter petat. *Si in debito reddendo datur parvitas materiæ. Et sic qui ex quatuor vel quinq; petitionibus in mense, negat semel non peccat mortaliter. Gab: à S. Vinc. V. Matr: usus. & Summa Dianæ. V. Debitum.* Octavò. lepra, vel simili morbo laboranti non est obligatio reddendi debitum cùm periculo infectionis, nisi hic defectus notus fuisset ante contractum Matrimonium, tunc coniux sanioris corporis cessit iuri suo, nec obstat quod ex tali coitu generetur infirma proles; quia si coniugis infirmitas est perpetua, non sunt coniuges perpetuò privandi iure petendi & reddendi debitum ob prolis infirmitatem. Nonò. innocens si per excommunicationem, vel superioris præceptum compellatur habitare cum adultero, per hoc non tenetur ad debitum. *Samuel de Lubl: V. Divorti n. 11.* Decimò. non tenentur coniuges reddere debitum ante duos induciarũ menses, neq; ante nuptiales benedictiones. denique si sit rationabilis causa negandi debitum.

Scias. in his attendendum prolixitatem

tatem temporis, quo debitum negatur, periculum incontinentiæ, & causam ob quam debitum negatur.

QVÆSITVM III.

An fœmina peccet mortaliter, negando debitum, quando experta est se non posse filios in lucem vivos edere?

℞. Quod non, quia magnum vitæ periculũ subit ex morte fœtûs in ventre. Potest tamen petere cum tali periculo ad evitandum grave periculum incontinentiæ. nam eligit minus malum ad vitandum majus. *Bonac: de Matrim: q.4. p.1. n. 14. cum Led: Vict: & alijs.*

QVÆSITVM IV.

An accedere ad menstruatã sit peccatum mortale?

℞. Esse veniale secundùm Caietan: V. Matr: & alios. menstruata non tenetur reddere. eò quòd non sit obligatio reddendi quando adest turpitudo ex parte actûs, ut comm: docetur. est autem in præsenti turpitudo ex parte actûs, ut dictum est.

Quòd si menstrum est perpetuum, nec veniale est à tali petere, nisi grave vitæ periculum immineret. tunc enim etiam mortale esset ad menstruatam accedere.

QVÆSITVM V.

An unus coniugum possit vovere continentiam sine consensu alterius?

℞. Verbis S. Th: *in suppl. qv: 64 art: 4. ad 3.* Circa hoc duplex est opinio, quidam enim dicunt, quòd unus absque consensu alterius potest vovere, quòd non petat debitum, non autem quòd non reddat. quia in primo uterq; est sui iuris, sed non in secundo. Sed quia si alter nunquam peteret debitum, ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oporteret unum onus semper petendi debitum subire. & ideo alii probabiliùs dicunt, quòd neutrum potest sine consensu alterius vovere. Hæc S. Th: doctrina non intelligitur de viro parùm verecundo.

Nota. doctrinam S. Th: *non contrariari dictũ tit: 4. q. 4 § 9* qui verò, cùm votum validè emissum, non tam facilè in toto cesset.

QVÆSITVM VI.

Quid in casu, si ambo coniuges conveniant in vovendo castitatem?

℞. Si ambo coniuges conveniant in vovendo castitatem, probabile est quòd si unus petat debitum, alter non possit reddere, cùm uterq; tunc renunciaverit iuri petendi. Sed etiam probabile, si unus petat etiam implicite tantùm, alter teneatur reddere. cùm per votum etiam in convenientia factum, neuter amiserit ius ex iustitia petendi: quàmvis sic petens debitũ, peccet contra votum. *Bonac: q. 4. de Matr: part. 3. n. 8. cum alijs* DD. & idem, si unus coniux de alterius licentia emisit votum de non reddendo debitum. *dela Cruz q. 6. de Matr: n. 2.* per hoc enim non transfertur dominium quod habetur in corpus alterius.

Hoc tamen securiùs, qui consensit in votum uxoris, potest tutâ conscientiâ petere, si solùm permisit eam facere, quidquid velit.

QVÆSITVM VII.

Dubitans de valore Matrimonij, an possit petere vel reddere debitum?

℞. Cir-

℟. Circa hoc iam aliquid dictum tit: 4. circa finem qv: 7. addo tamen, si uterq; dubitat rationabiliter de valore matrimonij, & nondum adhibitâ diligentia, non potest reddere debitum petenti, quia non habet ius petendi nondum adhibita diligentia *Bonac: loco cit: par. 4. n. 7.* Si adhibita diligentia potest & reddere, & petere. *dela Cruz q. 3. n. 1.*

Dixi rationabiliter. Nam si dubium parùm fundamentale, iudicio prudentis deponatur.

QVÆSITVM VIII.

An debitum reddendum ei, qui illicitè petit?

℟. Si illicitè petat ob solam circũstantiam personæ, quia v. g. voto castitatis se obstrinxerat, alter tenetur, & ex iustitia, & sub mortali reddere. Hanc probat *Bonac: loco cit: par. 3 n. 3. allegans comm: DD & patet ex q. 6.* idem procedit de sene, sterili, prægnante, licèt multoties peccare possint venialiter petendo debitum. his enim ex iustitia & sub mortali reddendum.

Secundò. Si illicitè petat ob circũmstantiam actûs, non est reddendũ debitum, v. g. petit retro accedere, in vase tamen debito, & sine periculo effusionis *Arm: V. deb: n. 6. & alij.* nisi adsit necessitas: quia vir v. g. pinguis. Sententia tamen Sanchez & aliorum etiam probabilis, quòd taliter petenti reddendum debitum, quia sic reddendi debitũ ordinariè est necessitas. cùm aliàs soleant oriri rixæ.

An verò possit uxor licitè petere & reddere debitum Marito qui solet in fine copulæ membrum extrahere, & extra vas seminare, approbare vereor, cũ his, quos citat *Pontius lib: 10. c. 11. n. 3.*

Nec obstat quòd petens vel reddens cóoperetur actioni quæ ex se potest benè fieri: nam & ille qui domino ascẽdenti per fenestram ad stuprandam virginem scalam tenet, cóoperatur actioni quæ potest quantùm est ex se, & genere suo, benè fieri, mortaliter tamen peccat, ut determinat Innocentius XI. damnando propositionem 51.

QVÆSITVM IX.

An actus Matrimonij possit exerceri sine omni peccato?

℟. Duobus modis possunt coniuges exercere actum matrimonij sine omni peccato, scilicet si intendant prolem vel debiti redditionem. Aliàs semper est ibi peccatum ad minũs veniale. *S. Th: in suppl: q. 49. a. 5.* sufficit autem hæc intendere virtualiter seu implicitè.

Quare convenire cum uxore ad cavendam incontinentiam, aut fornicationem in se, est veniale. *S. Th: loco cit: ad 2.* Dicit enim, si intendat vitare fornicationem in se, sic ibi est aliqua superfluitas. & secundùm hoc est peccatum veniale. Nec ad hoc matrimonium est institutum, nisi secundùm indulgentiam, quæ est de venialibus. Sic S. Thom. Alii oppositum tenent, & taliter convenientem peccati venialis non damnant.

Convenire tamen ad vitandam incontinentiam alterius coniugis, non est veniale. quia sic est quædam redditio debiti. *S. Th: ibidem.*

Convenire etiam cum coniuge propter sanitatem, est veniale. *S. Th: loco cit: ad 4.* à fortiori convenire propter solam delectationem est veniale. *S. Th: loco cit: ar. 6* & determinat Innocentius

tius XI. dum hanc propositionem damnat. *Opus coniugij ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpa ac defectu veniali.*

QVÆSITVM X.

Quando peccant coniuges mortaliter, exercendo actum Matrimonij?

℟. Peccant mortaliter coniuges, extra vas naturale, & legitimum, copulam habentes, aut extra vas seminantes. Et quoties voluntariè impediunt conceptionem fœtus. Tactus etiam & amplexus coniugum si ex eis sequatur pollutio extra vas, sunt peccata mortalia.

Quòd si fœmina à parte superiori maneat seu à latere accedat, non est mortale, nisi esset periculum effundendi seminis extra vas. Immò non est mortale secundùm Samuelem de Lublino, & alios, *V. Debitum n. 4.* si vir etiam non urgente necessitate, retrò ad vas tamen legitimum accedat, veniale tamen gravissimum docet *Bona: q. 4. de Matr: puncto 13. n. 2.* accedere etiam ad suam, imaginando aliam, est mortale.

QVÆSITVM XI.

Quando peccant coniuges non complentes copulam?

℟. Si vir habens copulã cùm uxore non seminet cùm possit, peccat mortaliter: præcipuè si iam fœmina seminavit; nam tenetur perficere opus suum. *Ledesm: cap: 9. de Matrim: & alij.* Ex causa tamen urgentissima potest vir relinquere imperfectam copulam, etsi fœmina iam seminaverit. Et est probabile mortaliter non peccare eũ, qui non seminat quia valde debilitatur, *Ledesm: & alij.* Nam ista copula licèt non assequatur finem principalem qui est generatio, vitat tamen fornicationem, quæ vitatio est finis secundarius.

Vel si honestas ita suadeat v.g. quod aliquis interea superveniat. Et hoc est probabile licèt alioquin secutura pollutio extra vas: cum hæc pollutio non censeatur voluntaria, sed præter intentionẽ ut docent aliqui apud *Bonac: quæst. 4. de Matr: punt 10. n. 16.*

Docet etiam *Arm: V. Debitum, n. 9.* non esse mortale, si coniuges incepto coitu, unus de alterius consensu desistat ab actu, sine periculo tamen pollutionis.

QVÆSITVM XII.

An liceat petere debitum diebus sacris?

℟. Nullum tempus sacrum impedit debiti redditionem. *Arm: V. Debit: n. 10. cum Palud:* licet sit bonum his diebus abstinere. Magis tamen inconvenit die ante Eucharistiæ sumptionem, vel ipsâ die sumptionis reddere debitum ob Eucharistiæ reverentiã, nisi alter coniugũ nimis instet. Tamen si fiat, non iudicatur mortale à Theologis. *Præcipuè tamen abstinendum diebus solennioribus.* v. g. *Die Natalis Domini. Die Paschæ. Pentecostes. Ascensionis. Corporis Christi. Passionis Domini, & similium.* Quòd autem Concilium Eliberitanum dicat hominem ante sumptionem debere abstinere à propria uxore tribus, quatuor aut octo diebus, consilium tantùm est.

Duo tamen præter alia sunt, quæ cõiugibus reverentiam erga hoc Sacramẽtum inculcant. Primò, si panes Propositionis ab his qui uxorem tetigerant comedi non poterant, quantò magis

panis

panis ille qui de cælo descendit. Secũdò, Regem Oza 1. Paralip: cap: 13. manum suam ad Dei arcam extendentem, ne boum exorbitantiâ caderet, fuisse à Deo percussum, moxq; exspirâsse, quòd nocte præcedenti uxorem cognoverit, ut affirmant Expositores.

QVÆSITVM XIII.

An liceat petere debitum in locis Sacris?

℟. Si coniuges diu cogantur habitare in Ecclesia, nec extra ad coitum exire possint non peccãt tunc côeundo. Nec violatur Ecclesia etsi talis coitus publicetur. *de la Cruz qu. 3. de Sacrificio Missæ, n. 3. cum Silv: & Victoria.*

Et minor necessitas requiritur, ut res habeatur cum uxore, in locis Ecclesiæ adhærentibus, ut in loco turris vel cæmeterio.

At si coniuges fine causa in loco sacro côëant, utpote si possint exire ad coitum extra locum sacrum, aut si per breve tempus cogantur esse in loco sacro, & facilè possint abstinere à coitu ibi, peccant mortaliter peccato sacrilegii petendo & reddendo debitum, & violatur Ecclesia, si coitus publicetur. *de la Cruz cum Ledesma.*

QVÆSITVM XIV.

Quis dispensat cum eo, qui vovit castitatem, & Matrimonium contraxit, ad hoc ut petat? reddere enim tenetur.

℟. Papa, vel si difficilis aditus ad Papam, & periculum incontinentiæ, Episcopus. hoc enim votum, ut suppono, est absolutũ & perfectum, licèt ex accidenti hîc & nunc habeat statum imperfectum. Quare Confessarius Regularis in tali casu non dispensat: solùm enim virtute privilegiorum dispẽsat in votis, quæ sunt per se Episcopalia, non verò quæ per accidens, ut est in præsenti. Oppositum reputat probabile *Antonius à Spiritu S. in Directorio Regul: to: 2. dist: 2. Sect: 2. §. 2. & refert Aversam, Murtiam, Pasqualigo.* probatur ratione, quam vide. Regulares quibus privilegia vix aliqua, videant quid agant. Cum eo tamen qui in Matrimonio etiam de licẽtia alterius vovit castitatem, potest dispensare Confessarius regularis. cùm tale votum non sit votum perfectum castitatis, adhuc enim stante tali voto, manet per se & non tantum per accidẽs obligatio reddendi debitum, ut patet *ex q. 6. & q. 8.* Suppono autem hîc vota imperfecta castitatis non esse Papæ reservata, de quo in materia de voto, posseque Regulares virtute privilegiorum in illis dispensare ut docet. *Antonius à Spiritu S. loco cit: de la Cruz de privil: Reg: lib: 2. c. 6. dist: 8. & alij.*

Et hæc sufficiant in honorem Christi mei Crucifixi, Matris eius Sanctissimæ, Sanctorum & Sanctarum Dei.

Pro maiori sufficientia videantur dicta *2. parte.* Tyr: Artis Pœnitentiariæ de peccatis capitalibus. §. de luxuria, & dicta in fine *3. parte* eiusdem Artis Pœnitentiariæ.

Sententiæ damnatæ ab Alexandro VII. Summo Pontifice. Die 24. Septembr: 1665.

1. HOmo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actū fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris, ad duellum provocatus, potest illud acceptare, nè, timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulij in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentiss: Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur solicitasse in Confessione; ac proindè non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ solicitationis est: si solicitatus cōfiteatur cum solicitāte, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructûs ipsimet celebranti correspondentem, idq; post Decretum Vrbani Octavi.

9. Post Decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur per alium satisfacere collato, illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam iuramēto firmatâ, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seù oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propriâ auctoritate substituere sibi alium potest, qui locò ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui Beneficium curatum habēt, possunt sibi eligere in Confessarium simpli-

ſimplicem Sacerdotem non approbatũ ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratꝰ, vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram graviſſimis Viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licèt interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnũ evitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Vxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriã Iudicis, eò quod ſit pœna.

21. Habens Capellaniam collativã, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio literarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officiũ per alium recitet.

22. Non eſt contrà iuſtitiam, Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interveniente nõ non exigit illam pro collatione Beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubiicere præcepto.

24. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideòque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens; cõmiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicãdo copulam.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber ſit alicuius iunioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquàm improbabilem.

28. Populus non peccat, etiãſi abſq; ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Die 18. *Martij*, 1666.

29. In die ieiunij, qui ſæpiùs modicum quid comedit, etſi notabilem quãtitatem in fine comederit, non frãgit ieiunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunij, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio.

31. Excuſantur abſolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunq; iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

32. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcunq; eleemoſynas, quas anteà Beneficiarius

ficiarius de fructibus sui beneficij fecerit.

34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit præcepto.

35. Vnico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegijs suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodiè sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cũ peccato mortali confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore cõfitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgò *regalo* dum deficiente illâ, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuũ legatum pro Anima relictum, non durat plus, quàm per decẽ annos.

44. Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, eiusque contumaciâ cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibitâ diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimùm, tanquàm scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ità ut quicunque illas, aut coniunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quâcunq; etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicij, prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscunque conditionis, dignitatis, ac statûs, etiam speciali, & specialissimâ nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Sententiæ Damnatæ ab Innocentio XI. Summo Pontifice Die 2. Martij, 1679.

1. NOn est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, cõventio,

ventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Iudicem posse iudicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sivè intrinsecâ sivè extrinsecâ quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, cõfisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actũ dilectionis Dei, semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, nè singulis quidem rigorosè quinquennijs per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tùnc solùm obligat, quando tenemur iustificari, & non habemus aliã viam, quâ iustificari possumus.

8. Comedere, & bibere usq; ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus Coniugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleëmosynã, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13. Si cum debitâ moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundùm se.

17. Satis est, actum fidei semel in vita elicere.

18. Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20 Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cùm notitia solùm probabili revelationis; imò cùm formidine, quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus.

22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex Testimonio Creaturarum, similivè motivo ad iustificationem sufficit.

24.

24. Vocare Deum in Teſtem mendacij leuis, non eſt tanta irreverentia, propterquàm velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſivè res ſit levis, ſivè gravis.

26. Si quis, vel ſolus, vel coràm alijs, ſivè interrogatus, ſivè propriâ ſpõtè, ſivè recreationis causâ, ſivè quocũque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligẽdo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viâ ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt periurus.

27. Cauſa iuſta utendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tùnc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare iuramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum,

29. Vrgens metus gravis, eſt cauſa iuſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi alitèr hæc ignominia vitari nequit; idem quoq; dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis, fugiat.

31. Regularitèr occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolùm licitũ eſt defendere defenſione occiſivâ, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatũ habem⁹, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tàm hæredi, quàm legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe talitèr defendere, ſicut & ius habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne Puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtũ, quamdiu in utero eſt, carere animâ rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac conſequẽtèr dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunq; ſit magna ſumma totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu eiuſdem Perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævìè inito, cùm intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretioſior

ſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentē, quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

42. Vſura non eſt dum ultra ſortē aliquid exigitur tanquam ex benevolētia, & gratitudine debitū, ſed ſolùm ſi exigatur tanquam ex iuſtitia debitum.

43. Quidni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Etſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale nō datur tanquàm pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivū dandi ſpirituale; imò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi iudicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundò, locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concurſus,

48. Tàm clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

49. Mollities iure naturæ prohibita non eſt. Vnde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeoq; ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, imò quatuor ſimul à diverſis celebrantibús audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia maior pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modò, honeſtam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicuius consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos ratione magni concursus Pœnitentium, qualis, v. g. potest contingere in die magnæ alicuius festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consvetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo quantùmvis laboret ignorantiâ Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri IESV Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse. Quicunque autem cuiusvis cōditionis, statûs, & dignitatis illas, vel illarum aliquam coniunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quâcunque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Christifidelibus, cuiuscunq; cōditionis, dignitatis, & status, etiam speciali, & specialissimâ nota dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab iniuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, aut alii quicunq; imposterùm se abstineant, & ut paci, & charitati consulatur; idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, necnon à quibuscunque convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec à Sancta Sede recognita super eisdem propositionibus iudicium proferatur.

Sententiæ ab Alexandro VIII. Summo Pontifice damnatæ, Die 7. Decembr: 1690.

1. IN statu naturæ lapsæ ad peccatū formale, & demeritum sufficit illa libertas, quâ voluntarium, ac liberū fuit in causa sua peccato originali, & libertate Adami peccantis.

2. Tametſi detur ignorantia invincibilis iuris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali.

3. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam,

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5. Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique huius generis nullum omninò accipiunt à IESV Chriſto influxum, adeoque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, nō tàm utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proindè meritò poſſumus petere, à gratia ſufficienti, *Libera nos Domine*.

7. Omnis humana actio deliberata, eſt DEI dilectio, vel mundi. ſi DEI, Charitas Patris eſt. ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8. Neceſſe eſt infidelé in omni opere peccare.

9. Re vera peccat, qui odio habet peccatum merè ob eius turpitudinem & diſcōvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deū offenſum reſpectu.

10. Intentio quâ quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut Cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec DEO placens.

11. Omne quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12 Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu, DEO famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ DEI, propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16 Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio naturæ rei id ipsū quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramēti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19. Homo debet agere totâ vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, plerèque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui Eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

22 Sacrilegi ſunt iudicandi qui ius ad Communionem percipiendam prætendunt, antequàm condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondùm ineſt amor DEI puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat à B.V.M.

B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testantur, quòd indiguerit purificatione, & quòd filius, qui offerebatur, etiam maculà Matris maculatus esset, secundùm verba legis.

25. Dei Patris sedentis Simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *In Nomine Patris, &c.* prætermissis illis, *Ego te Baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamq; baptizandi observat, intùs verò in corde suo apud se resolvit, *Non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium OEcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decerdendis infallibilitate.

30. Vbi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Vrbani VIII, *In eminenti*, est subreptitia.

Quibus maturè consideratis idem Sanctissimus statuit, & decrevit 31. supradictas Propositiones tanquam temerarias, scandalosas, malè sonantes, iniuriosas, Hæresi proximas, Hæresim sapientes, erroneas, Schismaticas, & Hæreticas respectivè, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicunq; illas, aut cõiunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacunq; etiam Dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicii prohibet omnibus Christifidelibus, cuiuscunq; conditionis, Dignitatis, & Statûs, etiam speciali, & specialissimâ nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propositiones in maiori numero ultrà supradictas 31. iam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare.

Sum-

Summa Contentorum in Elementis,

Ad Sacras Confessiones.

In 1. Parte agitur de peccato.

In 2. De modis peccandi.

In 3. De circumstantijs peccandi.

In 4. De Pœnitentia.

In 5. Conditiones Confessariorum enumerantur.

In 6. Documenta Confessariorum.

In 7. Documenta Confitentium.

In 8. Enumerantur peccata mortalia communiora & usitatiora.

In 9. De Censuris.

In 10. De reservatis casibus.

In 11. Pro accedentibus ad S. Communionem doctrina.

In 12. De studio meditationis.

INDEX ALPHABETICVS,

Contentorum in Elementis ad Sacras Confessiones.

A.

ABsolutionis Sacramentalis denegatio vel dilatio. fol: 28.

Absolutio ab excomm: maiori 53. à minori 72.

Anni discretionis. *17.*

Anni ad faciendum votum. Ad obligationem legis de ieiunio. Ad recipienda Ecclesiæ Sacramenta. *18.*

Apostatarum detentores excommunicantur. 63.

B.

Beneficiarius quando tenetur ad restitutionem fructuum. 56.

Bonitas Confessarii. 32.

C.

Canones Pœnitentiales. 28.

Casus Episcopo reservati de iure. 81. per generalem consuetudinem Ibidem. Casus Episcopales per Constitutionem specialem contenti in Rituali seu Agendorum libro. 82. Reservati Episcopo Cracoviensi in Synodo Diœcesana. 83. Episcopo in Synodo Diœcesis Plocensis. 84. Reservati Superioribus Regularium. 84.

Censuræ definitio, divisio, subdivisio, absolutio. 58.

Circumstantiæ peccatorum enumerãtur & explicãtur. 5. Notantur aliqua pro complemento circumstantiarum. 13.

Circumstantia adolescentis primò peccantis. Novitii. Novitiæ. Filiæ Confessionis an explicanda? 8.

Circumstantia duorum festorum. Duorum ieiuniorum Ecclesiæ eâdem die cadentium an explicanda? 14. In cogitatione turpi permissivè seu negativè se habere an sit p. mortale? 44.

Communio quomodo devotè peragenda? 85.

Confessionis definitio, materia. 17.

Conditionés, 17. Obligatio confitendi. 17. ubi de annis discretionis. Quando tenemur confiteri? 18. Quanta præparatio ad Confessionem? 19. Oblivioso quid facto opus? 19. Licètne uti duobus Confessariis uno pro venialibus, altero pro mortalibus? 19. in quibus casibus licita cõmunio sine confessione? Ibidem.

Confessiones invalidæ & iterandæ. 27. Quæ observanda Pœnitẽti, ante, in, & post cõfessionem? 38. 39.

Confessarii conditiones. 26. Quæ observanda Confessario, ante, in, post, absolutionem. 35. 36. 37. ubi proponitur breve examen pœnitentium. Contritio triplex. 15. Ad perfectam quatuor requiruntur. 15. imperfecta, hoc est, attritio quatuor modos habet. 16. Vitiosa: duos. Ibid.

Contumelia. vide, Detractio.

D.

Detractiones, attendendo distincta obiecta, an sint distinctæ speciei? 7. attendendo enim personas contra quas fiunt, distinguuntur specie. Quando detractiones censentur plura, solo numero morali, peccata? 7.

Diaconus. vide, Minister Ecclesiæ. Discordias seminare vel augere est peccatum cõtra Spiritum Sanctum. 46.

E.

Examen breve ad percipiendas Confessiones. 36.

Eccle-

Ecclesia quibus in casibus polluitur? 77.
Excommunicatus toleratus quãdo potest ministrare Sacramẽta? 32.
Excommunicationes reservatæ Papæ in Bulla Cænæ Domini. 58. Reservatæ eidem extra B. C. D. 60.
Excommunicationes Papales eidem non reservatæ. 65.
Excomm: aliquando Episcopales, aliquando Papales. 71.
Excomm: Episcopales. 71.
Excommunicatio minor quando incurritur? 72.

F.

Fortitudo Confessarii. 33.

I.

Definitio Interdicti. 58. Quæ Sacramenta prohibentur tempore Interdicti? Ibid. In quibus casibus incurritur. 75.
Interrogatorium Confessariorũ. 40.
Irregularitatis definitio. 58.

L.

Labor die festo. 2.

M.

Matrimonii impedimento deprehenso, Confessario quid faciendum? 31. 32.
Meditationis studium. 87.
Minister Ecclesiæ an semper peccet mortaliter exercendo officium. 32.
Missæ defectus. 57.

N.

Numerus peccatorum. 8. Animadversiones, & interrogationes circa numerum peccatorũ explicandum. 9.

P.

Definitio, divisio peccati. fol: 1.
Definito peccati mortalis. ibid
Regulæ ad cognoscendum peccatum mortale. 2. Quæ excusant à peccato mortali? ibid:
Quibus modis veniale vel nullum migrat in mortale? 3. Enumerantur modi peccandi. 3.
Quod modis peccatur mortaliter cogitatione? 3. Aliena peccata quibus modis nobis imputantur? 4.
Peccata contra virtutes Theologicas. 40. Contra Decalogum, 41. contra Præcepta Ecclesiæ, 42.
Septem peccata capitalia. 43.
Peccata in Spiritum S. 46. In cælum clamantia. 46. contra opera misericordiæ. ibid: contra Sacramenta. ibid:
Peccata aliena 47, Diversorum statuum 47.
Pollutio quando peccatum mortale? 45.
Pœnitentiæ definitio & partes. 14
Pœnitenti quæ observanda, ánte, in, & post Confessionẽ. 38, 39.
Potestas Confessarij dividitur & circa eam casus resoluũtur. 23.
Impedimenta potestatis. 24.
Potestas Prælatorum in Religione. 25.

 Pru-

Prudentia Confessarii. 31.

R.

Causæ excusantes à restitutione. 26. 27.

S.

Satisfactio. 21.
Scandalum. 13. Animadversiones circa scandalum. ibid.
Scientia Confessarii. Quæ tenetur Confessarius scire? 25.
Sigillum Confessionis. 32. 33.
Speculum Confitentium, seu interrogatorium Confessariorū. 40.
Subdiaconus, vide, Minister Ecclesiæ. Suspensio quid? 58.
Enumerantur suspensiones. 72.

V.

Vectigalium defraudatio. 44.
Verba iniuriosa circa distincta obiecta quando censentur plura numero peccata? 7.
Vexantes quatuor Ordines Mendicanticantium contra eorum privilegia excommunicantur. 66.

INDEX CONTENTORVM,

In Tyrocinio.

IN PRIMA PARTE.

De Pœnitentia. Fol: 1.

Pœnitentia quid significat. n 1.
Partes eius duæ. Materia & forma. n. 2.
Materia duplex. n. 3.

De Materia proxima. Fol: 1.

Contritio in quo consistit? n. 4.
Dolor duplex. n. 5.
Propositum quale exigitur. f. 1. n. 6.
Contritio triplex. n. 7.
Attritio quid. f. 2. n. 8.
Periculum attriti tantùm. n. 9.
Vitiosa contritio quæ. n. 10.

De Confessione Fol: 2.

Quot modis accipitur: & Sacramentalis describitur. n. 11.
Conditiones Confessionis. n. 12. & deinceps.

De Satisfactione. Fol: 5.

Satisfactio quid. n. 14.
Tres Ordines satisfactionis. n. 15.
Conditiones satisfactionis. n. 16.
Permutatio satisfactionis. f. 6. n. 17.

De Materia remota Pœnitentiæ. Fol: 7.

Quid sit peccatum? n. 19.
Quotuplex? 20.
Quomodo veniale à mortali differat in ordine ad confessionem? 21.
Quomodo cognoscitur mortale? f. 8. n. 23.
Quomodo ex suo genere mortale fiat veniale aut nullum? n. 24.

De modis peccandi. F. 9.

De peccatis mentalibus mortalibus. n. 26.

De circumstantijs peccatorum. f. 10. n. 27. usq; ad 47.

De Forma Pœnitentiæ. f. 18.
Circa formã animadversiones. n. 49.

IN SECVNDA PARTE.

De Pœnitente. Sex capita. Fol: 20.

1. *Quomodo se iuvare possit ad contritionem?* ibid.
2. *Quomodo se ad ad Confessionem parare debeat? fol: 21.*
3. *Quod speculum inspicere? 22.*

Speculum commune habet §. Octo.

De peccatis contra virtutes Theologicas. fol: 22.
De peccatis contra Decalogum. 23.
De peccatis contra præcepta Ecclesiæ. 26.
Circa Sacramenta animadversiones, 38.
De peccatis capitalibus. 45.
Intra hunc §. de detractione. 69.
De peccatis quinq; sensuum exteriorum 71.
De peccatis in cælum clamantibus. 76.
De peccatis contra opera misericordiæ. 77. ibid. de eleemosyna.

Speculum particulare, secundùm conditionum diversitatem. Fol: 83.

1. *De Ecclesiasticis fol: 83.*
2. *De Religiosis. fol: 83.*
3. *De Nobilibus 84.*
4. *De Militibus, 84.*
5. *De Civibus. 84.*
6. *De Mercatoribus, 84.*
7. *De Medicis, 85.*
8. *De Pharmacopolis, 85.*
9. *De Chirurgis. 85.*
10. *De Executoribus testamentorũ. 85.*
11. *De Hospitalarijs 85.*
12. *De Artificibus. ibid.*
13. *De Iudicibus. ibid.*
14. *De Causidicis. fol: 86.*
15. *De Notarijs. 87.*
16. *De Testibus. 87.*
17. *De Accusatoribus. 87.*
18. *De Reis. ibid.*
19. *De Simplicibus. ibid.*
20. *De Divitibus. 88.*
21. *De Rusticis. 88.*
22. *De Iuvenculis. 88.*
23. *De Viduis. 88.*
24. *De Vetulis. 88.*
25. *Quoad statum Matrimonii. ibid. seu Coniugatis.*
26. *De Filiis familias, & famulis, 89.*
27. *De Patribus familias. 89.*
28. *De Parentibus. fol: 90.*
29. *De Magistris. ibidem.*
30. *De Studentibus. ibid.*
31. *De Telonariis, ibid.*
32. *De Cauponibus. ibidem.*

Quomodo pœnitens in actu Confessionis se gerere debeat? fol: 91.

Quid peractâ confessione facere? fol: 92.

Quomodo circa sumptionem Eucharistiæ se habere? 92.

De Pœnitentiario Septem capita.

1. *Cur Sacerdotum alij prompti, alij difficiles ad excipiendas Confessiones.* fol: 95.
2. *Stante diversitate opinionum in casibus conscientiæ quid agendum?* 96.
3. *De Dubio.* 99.
4. *De conditionibus Confessarii.* 99.
5. *De partibus Confessoris.* 100.
   De arte discenda. 100.
   De potestate. 101.
   De præparatione eius. 103.
   Ante Confessionem. 104.
   In Confessione. 105.
   Post Confessionem. 106.
6. *De Pœnitentiario ut est Iudex.* fol: 107.
7. *De eodem quatenus est Medicus.* 108.

De Scrupulis. §. Decem.

1. *Quid nomine scrupuli intelligatur?* 112.
2. *Quanta mala operatur scrupulus?* 113.
3. *Vnde generatur?* 113.
4. *Quomodo causæ scrupulorum auferri possunt?* 114.
5. *Generalia remedia pro scrupulosis proponuntur.* 116.
6. *Specialia quoq; pro scrupulorum varietate.* 122.
7. *Quomodo Confessarius cum scrupulosis procedere debent?* 138.
8. *De Libertinis seu dissolutis.* 140.
9. *De Mixtis seu Monstruosis.* 142.
10. *De pacata conscientia.* 143.

Doctrina pro Missa, si quando loco vini, aqua in calice esset. 143.

Scrupuli in particulari numerantur 20.

1. *Turpium cogitationum.* 122.
2. *Infidelitatis.* 123.
3. *Fœdæ blasphemiæ.* 125.
4. *Subitorum motuum.* 126.
5. *Circa præterita.* 126.
6. *Circa gerenda.* 127.
7. *Circa ea quæ possent accidere.* 127.
8. *Circa peccata admissa.* 129.
9. *Circa dolorem de peccatis.* 130.
10. *Circa propositum vitandi peccata.* 131.
11. *Circa Confessiones.* 131.
12. *Circa Confessionem venialium.* 133.
13. *Circa recordationem peccatorũ.* 133.
14. *Propter Confessionem non admonentem.* 133.
15. *Ob conscientiam indignitatis ad Communionem.* 134.
16. *Ob defectum devotionis.* 135.
17. *In recitatione officii repetendo.* 136.
18. *Propter dubitationem de salute.* 137.
19. *Ex eo quòd non se quis existimet scrupulosum esse, cùm sit.* 137.
20. *Propter dubitationem de baptismo.* 138.

Practica Scrupulosorum curatio. 144.

Tres casus aliquando occurrentes circa dispensationem in Matrimonii impedimentis resolvuntur. 151.

Appendix ad Tyrocinium de absolvendis hæreticis tempore Jubilei. 153.

INDEX ALPHABETICVS,

Contentorum in Tyrocinio Sacræ Artis Pœnitentiariæ.

A.

ABsolutio. Fol: 18. Si quis tempore Iubilei oblitus casûs reservati à quo deinde absolvi potest? 19. Ibidem alia circa absolutionem. Error sacrilegorum præsumentium absolvere à non reservatis & cum reservatis consulunt expectare occasionem quâ concedetur facultas. 19. Quando differenda absolutio. 20. Quæ in periculo vel articulo mortis observanda. 20.

Acedia, 73. Filiæ acediæ, 73.

Accusatorum peccata. 87.

Advertentia quando censetur perfecta, 146. semiplena & imperfecta. 146.

Adulterium. 56.

Affabilitas. vide, benevolentiæ signa.

Ambitio. 49.

Amphibologia in iudicio. 25. In alio casu. 54 55.

Approbatus quando cēsetur semper approbatus. 102.

Artificum peccata. 81.

Aspectus turpium. 60.

Attentio in horis Canonicis. 136.

Attritio. 2.

Avaritia. 52 Filiæ avaritiæ. 53.

Auditio Missæ. vide, Missa.

Auditio turpium. 60.

Aversio à Deo. 74.

Authores duplices. 97.

B.

Baptizare quilibet potest. fol: 38. Materia. Forma baptismi. 39. Casus circa infantem non egressum de utero matris. 39. Matre mortua sub peccat mortali infans statim extrahendus. 39.

Baptismus non differendus. 39. Infidelium infantes an baptizandi? 39. Obstetrix nesciens formam baptismi peccat mortaliter. 39. Adultus recipiens baptismum quæ servare tenetur? 39. Circa hæreticum si convertatur, quæ observanda? 40.

Baptismus quando iterādus? 138.

Beneficiorum pluralitas. 83

Benevolentiæ signa communia inimicis ostendenda 80. 81 ubi alia & fol: 82. & præcipuè, n. 22.

Bestialitas. 57.

Blasphemia. 23. Differentia inter blasphemiam & hæresim. 24.

Bona

Bona fides (potiùs intentio) & mala in agendo describitur. 145.

C.

Caupones, fol: 90.
Cauponum peccata. 67.
Causidici. 86.
Certitudo moralis unde colligitur? 120.
Chirurgorum peccata. 85.
Choreæ, 62.
Clericis prohibitæ. 12.
Circumstantiæ peccatorum. 10. ubi multa scitu necessaria.
Civium peccata. 84.
Clamor quando peccatum? 65.
Communio Paschalis. 37. Sumẽda in propria Parochia non obstãtibus privilegiis. 37. Qui ab hoc onere liberi. 38.
Communicanti quæ observanda? 92.
Confessio quid? Conditiones. 2. Præparatio ad Conf. 21.
Confessio annua. 37. ubi & alia, à repetitione Cõfessionis scrupulosi abstineant. 139.
Confessarius proprius seu Ordinarius est triplex. 37. 101.
Conditiones Confessarii. 99. 100.
Confessario quid agendum, ante, in, & post Confessionem & absolutionem? 100. Quid agendum quando Pœnitens venit cum reservato? 103.
Confessarius tenetur contra suã sententiam absolvere. 108.
Confessarius quâ Judex. 107. Quâ Medicus. 108.
Confessario quomodo agendum cum scrupulosis? 138.
Confitens coram Religioso approbato satisfacit præcepto Ecclesiæ: nec requiritur licentia Parochi. 37.
Confirmationis utilitas. Effectus, circa hanc casus aliqui. 40.
Cogitatio morosa. 57. 58. 59.
Cognatio triplex. 44.
Coniugum peccata. 88.
Conscientia scrupulosa. 112. Libertinorum, seu dissolutorum. 140. Monstruosorum. 142.
Conscientia peccata 143.
Consensus perfectus. semiplenus 146. In scrupuloso signum cõsensûs imperfecti. 148.
Contentio. 50.
Contritionis definitio. Divisio. 1. Præparatio ad contritionem. 20.
Contumelia. 65.
Convitium. 65.
Correctio fraterna quando obligat? 79.

D.

Debitum coniugale. 88.
Decima solvenda. 34. Quas obcausas instituta? 34. Causæ propter quas tolli potest. 35. Bona à Deo, quæ sequuntur decimarum solutionem. 36. Mala secuta ad denegationem, 36. ubi alia.
Defectus in Missa. 143.
Deprecatio. 80. Quis modus in deprecatione servandus? 80. 81. n. 14. 5. Præterea. De-

Desperatio. 74.
Desperantibus quæ remedia adhibenda? 111.
Detractio. 68.
Discrimen inter detractionem & contumeliam. 69. Quando est peccatum mortale? 69. Quando excusatur à mortali, quando ab omni? 70. ubi alia. Audiens detrahenté quando peccat? 73.
Discordia. 50.
Divitum peccata. 88.
Divortium ob quas causas est licitum? 44.
Dubium. 99. In dubiis tutior pars eligenda, quomodo intelligendum? 120.

E.

Ebrietas. 67. Peccata in ebrietate commissa. 67.
Ecclesiasticorum peccata. 83.
Eleemosyna quos obligat? 78. 79.
Epikia. 119.
Evagatio mentis. 73.
Examen conscientiæ. 22. 107.
Exasperatio in benè monêtes. 74.
Extrema unctio quando obligat? 40. Quibus, & quando conferenda? Utilitas. Effectus. 40.

F.

Factiones. 66.
Famulorum peccata. 89.
Filiifamilias quoad bona paterna. 89.
Filii, in quibus tenentur parentibus obedire? 42. 52.
Fluxus libidinis. 61.
Fraus. 53.

G.

Gula. 66. Quando peccatum mortale? 66.

H.

Hæresis ut incurratur quæ concurrunt? 123.
Hæresis an virtute jubilæi à quolibet Confessario absolubilis? 153.
Homicidii voluntarii divisio. 24.
Hospitalarii. 85.
Hypocrisis. 49.

I.

Jactantia. 49.
Jejunii perfecti & imperfecti differentia. 28. Obligatio. 28. Causæ excusantes. 28. Quis dispensat? 30. 31. Hora comestionis. 31. Ubi alia de Patrefamilias. Famulis. &c. Vespertina refectiuncula. 33.
Impœnitentia. 75. 76.
Impugnatio agnitæ veritatis. 76.
Incestus. 56.
Indigenti quando & qualiter succurrendum? 78.
Indignatio. 64. ubi de omissione signorum honoris.
Ingratitudo. 52.
Inobedientia. 51.
Inquietudo mentis circa temporalia. 53.
Inventio novitatum. 50.
Invidia 67. Filiæ, seu germina invidiæ. 68.
Invidentia fraternæ charitatis. 75. 76.
Ira. 62. Ira licita. 63. vitiosa. 63. Filiæ, seu germina. 64.

Judices. 85.
Juramentum. 23.
Juvenum peccata. 88.

L.

Libertini secundùm conscientiam. 140.
Literæ dispensationis si pereant quid agendum? 151.
Luxuria. 55. Species luxuriæ. 55. Peccatum cum filia Confessionis. 56, Coitus cum dæmone. 57. Gradus peccati luxuriæ. 58.

M.

Magistrorum, seu Præceptorum peccata. 90.
Maledictio. 65.
Matrimonii effectus. 42. Parentes non possunt filios cogere ut contrahant. 42. Filii tenentur à Parentibus consilium petere. 42. Attamen non tenentur sequi. 42. Domini temporales excommunicantur si iniustè impediant. 43. Clandestinum nullum. 43. Raptus dirimit. 43. Adulterium. Homicidium quando dirimunt? 43. Inter fidelem & infidelem, nullum. 43 An cum persona hæretica prohibitum? 43. De consanguinitate. Affinitate, & gradibus. 44
Matrimonium cum ignorantia impedimenti celebratum. &c. 152. Recitantur tres casus occurrentes circa dispensationem in impedimentis Matrimonii. 151.
Medicorum peccata. 85.
Mendacium. 25. 54.
Mercatorum peccata. 84.
Merces operariorum defraudata. 77.
Militum peccata. 84.
Missa 26. Quando censetur notabilis pars omissa? 26. An tota ab uno celebrante audienda? 26. Quid nomine auditionis Missæ? 26. Qui ab audienda Missa excusantur? 28. Qui infra Missam confitentur, an satis faciant auditioni? 28.
Mollities. 56.

N.

Necessitas pauperum. 77.
Nobilium peccata. 84.
Notarii. 87.
Numerus peccatorum in confessione exprimendus. 12.

O.

Obedire, in quibus tenentur Religiosi? 51. Ecclesiasticus, Episcopo? 52. Sæculares Magistratui? 52. Filii, parentibus? 52. Servi Dominis? 52.
Obduratio. 53.
Obstetrix, vide, baptizare.
Obstinatio. 75. 76.
Odium. 64.
Omissio signorum honoris. 64.
Opera servilia. 24.
Opera misericordiæ. 77.
Opinionis divisio. 96. Quid nomine improbabilis, probabilis, probabilioris, communis? 96. 97. An liceat sequi probabilē relictâ probabiliori? 98. sed quando? 99.

Oppres-

Oppressio pauperum. 76.
Opprobrium. 65.
Ordinis Sacramentum quæ antecedunt, concomitantur & sequuntur? 41.
Oscula. 61.

P.

Parentes quoad educationẽ prolis. 90.
Parochus quibus potest committere audientiam suarum oviũ. 102. Nequit prohibere, &c. exposito ad audiendas confessiones. 102.
Patres familias. 89.
Patrinus. 39.
Paupertas Religiosorum. 83.
Pauperum necessitas. 77.
Pauperi quando & qualiter succurrendum? 78.
Peccati definitio. Divisio. Mortalis à veniali differẽtia. 7. Quomodo cognoscitur mortale? 8. n. 23. Quomodo ex suo genere mortale fiat veníale, aut nullũ? 8. Qvibus modis remittuntur venialia extra Sacramentum? 8. Modi peccandi multi. 9.
Peccata contra virtutes Theologicas. 22. Contra Decalogum. 23. Contra præcepta Ecclesiæ. 26.
Peccata capitalia. 45. Quinque sensuum exteriorum. 75. In cœlum clamantia. 76. Contra opera misericordiæ. 77. In Spiritum Sanctum. 75.
Periurium. 23. 54.
Pertinacia. 50.
Pharmacopolarum peccata. 85.
Pigritia an necessariò in Confessione exprimenda? 73.
Potestas in Confessario. 101.
Pœnitẽtiæ definitio. Partes. f. 1.
Pœnitenti quæ servanda ante, in, & post Confessionem. 91. 92.
Pœnitentia non est differẽda. 92.
Præcepta Ecclesiæ. 26. Qvo anno obligare incipiunt? 26.
Præsumptio. 49. 75.
Prodigalitas. 53.
Proditio. 54.
Propositum necessarium in Pœnitente. fol: 1.
Puellarum peccata. 88.
Pueri quando solent pertingere ad usum rationis? 26. Quo anno incurrunt pœnas Ecclesiasticas? 26. Quando obligantur Communicare. 38.
Pusillanimitas in bono. 74.

R.

Raptus. 56.
Recidivis quæ remedia. 110.
Reorum peccata. 87.
Religiosorum peccata. 83.
Religiosus in quibus tenetur obedire? 51.
Restitutio famæ. 72. Quæ excusant à restitutione famæ? 72.
Restrictio mentis in iudicio. 25. In alio casu. 54. 55.
Rixa. 66.
Rudium peccata. 87.
Rusticorum peccata. 88.

S.

Sacramenta septem. Ratio huius assignatur. 38.

Sacrilegiū ut est species luxuriæ 56.
Satisfactionis definitio. 5. Hujus tres ordines. 5. Opera satisfactoria. ibid. Conditiones. ibid. In pec: mortali facta, remoto obice seu peccato, sortitur effectum, 6. Permutatio. 6.
Scandalum. 16.
Scrupuli definitio. 112.
Scrupulus quæ mala operatur? 113 Causæ scrupulorum. 113. Quomodo auferendæ? 114. Remedia generalia. 116.
Scrupuli speciales & remedia. 122 Quomodo Confessario procedendum cum scrupulosis. 138. de remediis. ibid. Inter alia: *Si nimium* &c. 140. Practica curatio scrupulorum. 144 Præparatio per quam scrupulosus disponitur ad pugnā. 145.
Seditio. 65.
Sermo turpis. 59. 60.
Servi Dominis in quibus tenentur obedire? 52.
Sigillum Confessionis. 106.
Simplicium peccata. 87.
Sodomia. 57.
Solicitudo circa temporalia. 53.
Speculum particulare secundùm diversas cōditiones hominum serviens Confessario interroganti & supplenti defectus pœnitentium in explicandis peccatis. 83. Quomodo hoc utēdum? 90.
Sponsalia. Spōsaliorum effectus. 42.
Studentium peccata. 90.
Stuprum. 56.
Superfluum duplex. 77.
Superbia. 45. Filiæ seu germina superbiæ. 49.
Susurratio. 68.

T.

Tabernariorum peccata. 90.
Tactus impudici. 57. 61.
Tædium in bono. 73.
Telonariorum peccata. 90.
Testamentorum executores. 85.
Testium peccata. 87.
Tumor mentis. 64.
Turpiloquium. 59.
Tutorum peccata. 85.

V.

Vana gloria. 49.
Vetularum peccata. 88.
Viduorum ac viduarum peccata. 88.
Virginum peccata. 88.
Votum. 24.
Vsus rationis quando incipit? 26.
Vxor an disponere possit de bonis mariti? 89.

X.

Xenodochiorum præfecti in quibus peccant? 85.

Z.

Zelus. 63.

INDEX

INDEX CONTENTORVM IN EXAMINE.

Tituli sunt quatuordecim.

TITVLVS I.

De Sacramento Pœnitentiæ in Genere.

Habet Quæsita 14.

1. AD quem finem sunt instituta Sacramenta novæ legis? 1.
2. Salus (ad quam Sacramenta ordinantur) quotuplex? 1.
3. Gratia (quam causant Sacramenta) quotuplex est? 1.
4. Quotuplex est illa gratia communis omnibus Sacramentis? 2.
5. Gratiæ Sacramentali qui effectus correspondent, in singulis Sacramentis? 2.
6. Quot sunt Sacramenta? 3.
7. Quomodo Sacramenta sunt necessaria ad salutem? 3.
8. Peccatne Christianus non suscipiens Sacramenta, quæ tantùm utilia sunt, & non simpliciter necessaria? 4.
9. Quis finis Sacramenti Pœnitentiæ? 4.
10. An Sacramentum Pœnitentiæ habeat illa tria, more aliorum Sacramẽtorum, scilicet materiam, formam, & ministrum? 5.
11. Per Sacramentum Pœnit: deleturnè omnis culpa? 5.
12. Dimitciturnè etiam pœna? 5.
13. Quomodo dimittitur æterna? 5.
14. Semperne remanet reatus pœnæ temporalis, dimissâ culpa mortali? 6.

TITVLVS II.

De Ministro Pœnitentiæ.

Hábet Quæsita 22.

1. Quæ & quot conditiones requiruntur in Confessario, ministro Sacramenti Pœnitentiæ? 6.
2. In quo differunt Potestas Ordinis & Iurisdictionis? 6.
3. Ad ministrandum Sacramẽtum Pœnitentiæ, absolvendumq;

dumq; à peccatis mortalibus, quæ potest requiritur? 7.
4. In Ordinatione Sacerdotis, conferturne simul etiam potestas Iurisdictionis? 8.
5. An in aliquo casu non Sacerdos possit ministrare Sacramentum Pœnitentiæ? 8.
6. Quæ scientia requiritur in Confessario? 8.
7. Hæc scientia sufficiens regulariter, ad quot capita reduci potest? 9.
8. Quæ regulæ sunt ad discernendum peccatum mortale à veniali? 9.
9. Peccatũ ex natura sua mortale quot modis transit in veniale? 11.
10. Veniale autem ex natura sua, quomodo sit mortale ex accidente? 11.
11. Quæ bonitas de necessitate in Confessario requiritur? 12.
12. Confessarius conscius peccati mortalis, peccatne ministrando Sacramentum, præsertim exigente subdito? 12.
13. An excommunicatus possit esse minister Sacramẽti? 13.
14. An debeat interrogari pœnitens de peccatis, quando, & quomodo, seu quo ordine? 13.
15. Quomodo? 13.
16. Quo ordine? 13.
17. Quæ & quot sunt diligentiùs in interrogationibus observanda? 14.
18. Confessarius omittens interrogationes, peccatne? 14.
19. Quid si pœnitens interrogatus, neget? 14.
20. Potestne aliquando Confessarius interrogationẽ dissimulare? 15.
21. Quid faciet Confessor, qui malè absolvit pœnitẽtem? 15.
22. An ad defectum supplendũ, vel propter aliam causam absolutio absenti dari possit? 16.

TITVLVS III.

De Contritione.

Habet Quæsita 10.

1. Quæ dispositio requiritur in pœnitente? 16.
2. Quomodo intelligendum est, Sacramenta efficere, ex attrito contritum? 18.
3. Quomodo contritio & attritio differunt? 18.
4. Contritio & attritio in quo conveniunt? 18.
5. Quomodo quis probabiliter possit cognoscere se habere contritionẽ, vel attritionẽ? 18.
6. Contritio quibus modis acquiri potest? 19.

7. An contritio aliquando sit in præcepto? 20.
8. An debeat quis conteri de singulis peccatis, an verò de omnibus in communi, & quando? 21.
9. An formale propositum non peccandi, sit de necessitate contritionis? 22.
10. Quæ occasio à pœnitente deserenda? 22.

TITVLVS IV.

De Confeßione.

Habet Quæsita 10.

1. Confessio Generalis totius vitæ si est necessaria, vel utilis valdè, & an possit in ea quis omittere, aliquod peccatum aliàs confessum? 22.
2. Quæ peccata de necessitate confitenda, quæ de congruitate? 23.
3. Quot sunt circũstantiæ peccatorum in confessione explicandæ? 23.
4. Quomodo differunt circũstantiæ mutantes speciem ab his, quæ aggravant? 28.
5. Quæ circumstantiæ in confessione sunt explicandæ? 28.
6. Quibus casibus tenetur quis confiteri? 29.
7. Quibus casibus tenetur quis iterare confessionem? 30.
8. Quomodo invalida confessio est iteranda? 30.
9. Quæ confessio est perfecta? 31.
10. An aliquod peccatum possit à pœnitente celari, & Cõfessori non indicari? 32.

TITVLVS V.

De Satisfactione.

Habet Quæsita 8.

1. Qualis & quanta debeat esse pœnitentia? 33.
2. Ad implendam satisfactionem quæ requiruntur? 33.
Quot modis satisfacere possumus? 33.
4. Quid operatur ista satisfactio? 33.
5. Possetne Confessor commutare, vel tollere pœnitentiam iniunctam ab alio? 34.
6. In quo differt satisfactio Sacramentalis à restitutione? 34.
7. An per opera, aliàs debita possit fieri satisfactio? 35.
8. Quid conferunt Indulgentiæ ad hanc satisfactionem Sacramentalem? 35.

TITVLVS VI.

De Absolutione.

Habet Quæsita 15.

1. Quæ verborum forma in absolutione requiritur, de essētia & quæ de congruitate? 36.
2. Quis ordo servandus in absolutione à peccatis, excommunicatione, aut irregularitate? 36.
3. Qui sunt casus reseruati Papæ. 37.
4. Casus reservati Episcopo, quotuplices sunt? 39.
5. An Confessor absolvens à reservatis, peccet mortaliter? 42.
6. An Confessor inferior audità confessione integrâ, possit pœnitentem à non reservatis absolvere, & pro absolutione à reservatis, ad superiorem remittere? 42.
7. Habens facultatem absolvēdi ab hæresi in foro Pœnitentiæ, potestne à sola excōmunicatione absolvere, & causâ confessionis integræ faciendæ, pœnitentem ad inferiorē Confessorem remittere? 43.
8. An possit Confessor aliquem absolvere, contra suam opinionem? 43.
9. Peccatne Cōfessor absolvens aliquem absq; contritione, vel attritione debita? 43.
10. An quilibet pœnitens absolvi possit, & quolibet loco, & quolibet tempore? 44.
11. An habens authoritatem à casibus, possit absolvere à censuris? 44.
12. Quæ absolutio danda est, in reconciliationibus? 45.
13. In articulo mortis non valentes confiteri, sed tantùm signa contritionis ostendentes, quomodo sunt absolvendi? 46.
14. Sæpius recidivantes suntnè absolvendi? 46.
15. An aliqua cautio sit petenda à pœnitente, & in quibus casibus? 47.

TITVLVS VII.

De Sigillo.

Habet Quæsita 12.

1. Quomodo differat Sigillum confessionis, à Sigillo secreti? 48.
2. An Sigillum hoc, sit de necessitate confessionis? 50.
3. Sigilli confessionis, quæ est

mate

materia, seu quid cadit sub sigillum confessionis? 50.
4. In quo consistit sigilli confessionis fractio? 50.
5. An quæ sciuntur in confessione præter peccata, cadant sub sigillo confessionis? 50.
6 An liceat detegere peccata in confessione audita, quando publica sunt, aut saltim in communi, non nominando Personam? 50.
7. Peccatnè revelans, dicta sibi sub sigillo confessionis, sed extra confessionem? 51.
8. An in aliquo casu possit peccatum confessum revelari? 51.
9. An dans pœnitentiam publicam pro peccato occulto in confessione audito, dicatur revelare confessionem? 51.
10. Quas pœnas incurrit sigilli fractor? 51.
11. Quæ cadunt sub sigillum secreti naturalis: Et an omnis detectio sit mortalis? 51.
12. An secretum naturale revelari debeat Iudici ad præceptum illius? 52.

TITVLVS VIII.

De Restitutione

Habet Quæsita 18.

1. An peccans contra charitatem debitam proximo; in non subveniendo ei in necessitate, vel ad peccatum inducendo, teneatur ad aliquam restitutionem? 52.
2. Undè nascitur obligatio restitutionis? 53.
3. An consentiens in damno dato, teneatur ex æquo restituere, prout ille qui damnũ dedit? 54.
4. Qui sunt illi novem modi, quibus quis dicitur consentire delinquenti per aliquam cooperationem? 54.
5. An factores & famuli usurariorum, teneantur ad restitutionem? 55.
6. Quid dicendum est de tutoribus aut curatoribus? 55.
7. De his verò qui deponunt suam pecuniam, apud usurarium, quid? 55.
8. Cuius impensis res aliena restituenda est? 56.
9. Res inventa, vel ab inveniente, aut etiam fure empta, estnè & quomodo restituenda? 56.
10. An inventori rei perditæ licitum sit, pro inventione aliquod præmium accipere? 56.
11 An Confessarius, qui per ignorantiam vel negligentiã absolvit aliquem ante restitutionem iniunctam, sit obligatus

tur ad restitutionem? 56.
12. An qui furatus est rem aliquam, & illam habet, satis ei sit, restituere æquivalens? 57.
13. An locans rem furto ablatam, debeat restituere pretiū locationis Domino? 57.
14. Qui pro cōmittēdo aliquo peccato, pretium accipit, an illud restituere teneatur? 57.
15. Quæ causæ non restituentē à peccato excausant? 57.
16. Bonorum incertorum restitutio quomodo facienda? 58
17. Infamans proximum de delicto vero, an restituere teneatur, & quomodo? 58.
18. Peccatne is, qui iniuriam sibi ab aliquo illatam refert amico? 59.

TITVLVS IX.

De Vsura.

Habet Quæsita 18.

1. Quid sit Usura, & in quibus consistat? 60.
2. Pro re accommodata, aliquid accipere ultra sortem, an sit usura? 60.
3. Quod dicitur iustum pretium? 60.
4. Quæ est iusta æstimatio nummorum? 61.
5. Quando valor pecuniæ variatur, quomodo solutiones sunt faciendæ? 61.
6. An dare aliquid, ut reddatur duplum, si non moriatur ante tale tempus sit licitū? 65.
7. Quomodo in pacto de retrovendendo, committitur usura? 65.
8. Societatis contractus quid, & quis licitus, & ut talis ineundus? 65.
9. Quis dicatur usurarius manifestus, & à quo absolvendus? 68.
10. Vendere rem cariùs credito quàm numeratò, an sit usura? 70.
11. In quo differant lucrum cessans, & damnū emergens? 70.
12. Quomodo licet exigere aliquid, ultra sortē, ratione damni emergentis, & lucri cessantis? 71.
13. An pro pecunia dotali liceat fructus aliquos accipere? 73.
14. Provisio virginum nubiliū, antequā nubant, vel dotem accipiant, estnè licita? 74.
15. An conditio pupillaris, excusare possit à peccato, & restitutione, si capiatur aliquod lucrum ultra sortem? 74.
16. Habens pecuniam, sed eā uti ad lucrum nesciens, nec valens: quā ratione suæ necessitati consulere potest? 74.
17. Facientes contractum illicitum,

citum, bonâ tamen fide, quē si scivissent esse iniustum, nō fecissent: an postea veritate compertâ, possint ratione lucri cessantis, tātum retinere, quantum iusto contractu lucrati fuissent? 75.

18. An licitum sit ab usurariis emere pignora, quæ ipsi passim in civitatib9 publicè vendunt? 75.

TITVLVS X.

De Simonia.

Habet Quæsita 10.

1. Simonia quid sit, & quotuplex? 75.

2. An conferens beneficium indigno, ob cōsanguinitatem, amicitiam, vel preces, sit simoniacus? 76.

3 Quomodo dignoscetur, qui inservit alicui Prælato, pro beneficio obtinēdo, an sit simoniacus? 77.

4. Quomodo per munus à manu, à lingua, & obsequio, cōmittitur simonia? 78.

5. Quis Simoniacus sit ipso iure suspensus vel excommunicatus? 78.

6. Resignare beneficium in favorem tertii, continetnè simoniam? 79.

7. Permutatio autē Beneficiorū, caretnè labe simoniæ? 80.

8. An sit simoniacum, sumptus in lites & ædificia à resignatario exigere? 80.

9. Licetnè in beneficiis, ob redemptionem vexationis, dare aliquid temporale? 80.

10. Quid intelligitur per hæc nomina, ius ad rem, ius in re? Hoc in præcedenti quæsito includitur. 81.

TITVLVS XI.

De Beneficijs.

Habet Quæsita 13.

1. Quid in iure, nomine beneficii intelligitur? 81.

2. Quotuplex est beneficium sæculare? 81.

3. An inter beneficia præfata, sint aliqua incompatibilia? 82.

4. Adeonè sunt ista beneficia incompatibilia, ut in nullo casu possint plura simul haberi? 82.

5. Quòd si non putetur subesse legitima dispēsationis causa, is qui

is qui obtinuit per dispensationem plura beneficia, eritnè tutus in conscientia? 83.
6. Quid incurrit ille, qui plura retinet beneficia absq; dispésatione? 83.
7. Potestne dari aliquis casus post Concil: Trid: in quo quis licitè possit plura beneficia sine dispensatione habere? 84.
8. Quod beneficium censetur sufficiens vitæ Clerici sustentandæ? 84.
9. Tenenturnè Beneficiarij cómorari & residere in sua Ecclesia? 84.
10 Beneficiarii quomodo se gerere debent, in usu proventuum suorum beneficiorū? 85.
11. Potestnè Beneficiarius propriâ authoritate beneficium dimittere? 85.
12. Potestnè Beneficiarius resignare beneficium? 86.
13. An Beneficiarius possit facere testamentum? 86.

TITVLVS XII.

De Censuris.

Habet Quæsita 10.

1. Quot sunt Censuræ? 86.
2. Quid importat Censura? 86.
3. Quæ est differétia inter Cénsuras? 86.
4. Quæ est Excómunicatio maior & minor? 86.
5. Quid sit Irregularitas quoad significationem nominis? 87.
6. Quot sunt Irregularitatis species? 87.
7. Ad evitandam Irregularitatem: quomodo Cófessor, Cócionator, & alius Theologus respondere debet, interrogatus de alíquo crimine, pœnâ mortis digno? 87.
8. Clerici habentes iurisdictioné temporalem, quomodo se gerere debent, in puniendis criminibus subditorum? 88.
9. Qui quærentibus indicat malefactorem, detinet, clamat, ut custodes veniant & capiāt, tradit, accusat in iudicio, secutâ morte efficiturnè irregularis? 89.
10. An Confessarius tépore Iubilei possit cum irregulari dispensare? 89.

TITVLVS XIII.

De Iubileo.

Habet Quæsita 14.

1. Quid

1. Quid significat Iubileus? 90.
2 Quid movere solet Summum Pontificem ad concedendum Iubileum? 90.
3. Quæ est differentia inter Iubileum, & indulgentiam præsertim plenariam? 90.
4. Quæ & quot sunt in Iubileo consideranda? 91.
5. Quot conditiones requiruntur ad consequendum Iubileum? 91.
6. Declarentur ista requisita omnia & singula? 91.
7. Quot & quos favores Bulla Iubilei continet? 94.
8 Quando in Iubileo datur facultas Confessoribus, supra casus in Bulla Cœnæ Domini censeturnè concessa facultas etiam supra ipsam Hæresim?
9 Quot requiruntur ad cõmutationem votorũ faciendam? 95.
10. Quæ & quot sunt spectanda in commutatione facienda? 97.
11. Possuntnè aliqua exempla mutãdorum votorum proponi, ut Confessarii magis hanc rem penetrent? 97.
12. Quotuplex est finis Iubilei? 98.
13. Quomodo amplianturgratiæ in Iubileo contentæ? 98.
14 Quomodo limitantur favores Iubilei? 99.

TITVLVS XIV.

De quibusdam Superstitionibus.

Habet Quæsita 4.

1. Fascinatio quid significat: an detur & quomodo curetur? 99.
2. Licetnè duobus secum pacisci, ut præmoriens superstiti appareat, certiorem eum facturus de suo statu? 101.
3. Provocare ad Divinum Iudicium licetnè? ibid.
4. Consuetudo, quâ iumentis vena aperitur, die alicui Sancto dedicato, estnè superstitiosa? ibid.

INDEX CONTENTORVM

In Tractatu de Matrimonio,

Tituli sunt Octo.

TITVLVS I.

De antecedentibus Matrimonium.

Habet Quæsita 13.

1. Quid sint Sponsalia? 1.
2. Quot modis fiant Sponsalia? ibid.
3. Utrùm possit apponi pœna solvenda ab eo, qui non steterit Sponsalibus? 2.
4. Quotuplex Sponsalium effectus? 2.
5. Utrùm persona nobilis & dives, quæ iniit voluntariè Spõsalia cum ignobili & paupere, cuius conditionem non ignorabat, teneatur matrimonium contrahere? ibid.
6. An vir teneatur ducere fœminã, cum qua, sub ficta promissione Matrimonii copulã habuit? ibid.
7. Quot modis solvantur Sponsalia quàmvis jurata? 3.
8. An per utriusq; consensum ita solvantur Sponsalia, ut liceat in eodem gradu ducere? 4.
9. An, & sub quo onere, quo loco, & tempore, faciendæ denuntiationes? 4.
10. An, & de quibus causis, possint omitti denuntiationes? 4.
11. Dum matrimonium contractum sine denuntiationibus, propter aliquã urgentẽ causam, an possit consummari non præmissis denuntiationibus? 5.
12. Sub qua obligatione sunt detegenda impedimenta matrimonii? 5.
13. An oscula, amplexus, & his similia liceant Sponsis? 5.

TITVLVS II.

De Sacramento Matrimonij in genere.

Habet Quæsita 12.

1. Quid sit Matrimoniũ, & quãdo institutum? 6.
2. Quæ Materia & Forma in Sacramento Matrimonii? 6.
3. Qualis consensus ad valorẽ Matrimonii necessarius? 7.
4. An consensus conditionatus ad valorem Matrimonii sufficiat? 7.
5. An consensus externus sine interno efficiat Matrimoniũ? ibid.
6. Ad quid teneatur, qui cõtrahendo Matrimoniũ, consensum fictum habuit? 8.
7. Quis Sacramenti Matrimonii Minister? 8.

8. Quod

8. Quod huius Sacramenti subiectum & quæ in eo dispositio necessaria? ibid.
9. Quid de necessitate benedictionis nuptialis dicendum? 8.
10. An Matrimonium inter absentes per literas, vel Procuratorē celebratū sit verū? ibid.
11. Quæ bona, finis, & effectus Matrimonii? 9.
12. An, amore divitiarum, delectationis captandæ, & ob similem causam inhonestam, Matrimonium celebratum, sit validum? 9.

TITVLVS III.

De Impedimentis impedientibus tantùm, Matrimonium. 9.

Habet Quæsita 4.

1. Quot sunt impedimēta, impedientia tantùm, matrimonium? ibid.
2. Quid nomine voti & Interdicti veniat? 10.
3. Quæ de impedimento Catechismi scitu necessaria? 10.
4. Quæ testimonia sunt sufficiētia ad impediēdum matrimonium? 11.

TITVLVS IV.

De Impedimentis dirimentibus Matrimonium Iure naturali. 11.

Habet Quæsita 16.

1. Quot sunt impedimenta dirimentia Matrimonium? 11.
2. Qualis error dirimat Matrimonium? 12.
3. Quale votum, dirimat Matrimonium? ibid.
4. Quam obligationem inducat simplex castitatis votum, celebrato iam Matrimonio, cum illud non dirimat? ibid.
5. An unus coniugum possit altero invito religionem ingredi? 13.
6. Infidelis habens plures uxores, si convertatur ad fidem, cum qua permanere teneatur? ibid.
7. Quid faciendum, dum ignoratur vel dubitatur an maritus, vel uxor vivat, an ad secūdas nuptias transeundum? ibid.
8. An validum sit matrimoniū contractum ab eo, qui quidē sciebat priorem coniugem vivere, sed falsò credebat, cum mortua fuerit? 15.
9. Quando frigiditas seu impotentia coëundi, dirimit Matrimonium? ibid.

9. Quan-

9. Quando frigiditas ſeu impotentia cöeundi, dirimit matrimonium? ibid.
10. An impotentia generandi dirimat Matrimonium? ibid.
11. Quid, ſi fœmina arcta, item, non retinens ſemen, an valeat Matrimonium? 16.
12. An cognitâ impotentia, Matrimoniũ mox diſſolvẽdũ? ibid.
13. Impotentia orta ex maleficio, an dirimat Matrimoniũ? ibid.
14. Quid de Hermaphroditorũ Matrimonio ſentiendum? ibid.
15. An amentia dirimat Matrimonium? 17.
16. Quot anni ad contrahendũ Matrimonium neceſſarii? ibid.

TITVLVS V.

De Impedimentis dirimentibus Matrimonium Iure Eccleſiaſtico. 18.

Habet Quæſita 30.

1. An ſervitus in omni caſu dirimat matrimonium? 18.
2. Quotuplex ſit cognatio? ibid.
3. Quot ſunt lineæ in cognatione naturali conſanguinitatis? ibid.
4. Quæ regula ad cognoſcendã pluralitatem graduum rectæ lineæ aſcendentium & deſcendentium, conſequenter ad cognoſcendam diſtantiam perſonarum conſanguinearum, in recta linea, aſcendẽtium & deſcendentium? 19.
5. Quæ regula ad cognoſcendã diſtantiam perſonarũ conſanguinearum, in linea tranſverſa æquali diſtantium? ibid.
6. Quæ regula ad cognoſcendã diſtantiam perſonarum cõſanguinearum in linea tranſverſa inæquali diſtantium? 20.
7. Quo iure cõſanguinitas dirimat Matrimonium? 21.
8. Gradus affinitatis & diſtantia inter affines ex quo deſumatur? ibid.
9. Quæ copula cauſat affinitatẽ? ibid.
10. Ad quem gradum extendatur affinitas? ibid.
11. Affinitas cum propria uxore contracta, quid cauſet? 22.
12. Quis diſpenſat in prædicto caſu, ut coniuges privati debito petẽdi, liberè & ſine peccato petant? ibid.
13. An conſanguinei mariti fiant affines cõſanguineis uxoris, & conſanguinei uxoris fiant affines conſanguineis Mariti? 23.
14. An Titius v. g. qui habuit Bertham in uxorem, ea mortua, poſſit ducere uxorem fratris

tris Berthæ, mortuo fratre Berthæ? ibid.

15. Quâ pœna puniendi consanguinei & affines attentantes scienter Matrimonium contrahere? ibid.

16. Impedimentum publicæ honestatis, ad quem gradum extendatur, & quando contrahatur? ibid.

17. Qui ligantur impedimẽto cognationis spiritualis? ibid.

18. Cognatio Spiritualis, quæ stante iam Matrimonio contrahitur, quid causet? 24.

19. Quid & quotuplex sit adoptio? ibid.

20. Ex qua adoptione, & inter quas personas, reperiatur cognatio legalis? 25.

21. In quibus casibus contrahitur impedimentum criminis? ibid.

22. Quid dicendum de Matrimonio, inter baptizatũ & nõ baptizatũ? 26.

23. Si conversus ad fidem recipiat Sacros Ordines, & uxor memor suæ salutis tandem convertatur, an cum alio Matrimoniũ celebrare possit? 27.

24. Quando vis dirimit matrimoniũ? ibid.

25. An parentes possint cogere filios ad contrahendum matrimoniũ? 28.

26. An Ordo Sacer dirimat Matrimonium? 29.

27. Quid dicendum de eo, qui stante matrimonio, ordinatur? ibid.

28. An ad valorem Matrimonii sit necessaria præsentia Parochi & testium? ibid. & 30.

29. Quales testes esse debeant, qui assistunt Matrimonio? 31.

30. Quid de impedimento raptûs dicendum? ibid.

TITVLVS VI.

De modo occurrendi impedimentis, tùm validando Matrimonium invalidè contractum, tùm dispensando in impedimentis. 32.

Habet Quæsita 6.

1. Quomodo validandum Matrimonium, quod est invalidum defectu consensûs interni? 32.

2. Quomodo validandum matrimonium, quod fuit nullum propter impedimentum dirimens? ibid.

3. Quomodo procedendum, quando impedimentum nequit absq; gravi periculo manifestari coniugi ignoranti illud? 33.

4. Vt validetur matrimonium antea invalidè celebratũ propter aliquod impedimentum dirimens, requiriturnè ut de novo contrahatur corã Parocho & testibus, etiamsi prius matrimonium fuerit mala fide celebratum? ibid.

5. Quid faciendum est post notitiam impedimenti dirimentis, contracto iam matrimonio? 34.

6. Quis dispensat in impedimentis dirimentibus matrimonium? ibid.

TITVLVS VII.

De Divortio.

Habet Quæsita 9.

1. Quid, & quotuplex Divortium? 35.
2. Quot modis solvatur Matrimoniũ quo ad vinculum? ibid.
3. Quando unus coniugum fornicatur, quale divortium faciendum? 36.
4. Vtrùm vir teneatur dimittere uxorem fornicantem? ibid.
5. In quibus casibus non licet viro adulteram dimittere? ibid.
6. An Sodomia, vel aliud peccatum contra naturã, sit causa divortii? 37.
7. An sint aliæ causæ divortii? ibid.
8. An uxor possit recedere à marito, propter morbum gallicum, vel amentiam? 38.
9. De reditu coniugis nocentis ad innocentem, post celebratum divortium, ibid.

TITVLVS VIII.

De Matrimoniali debito.

Habet Quæsita 14.

1. An coniuges teneãtur sibi mutuò debitum reddere? 39.
2. An coniuges quandoq; excusentur à redditione debiti? ibid.
3. An fœmina peccet mortaliter negando debitum, quando experta est se filios non vivos in lucẽ edere? 40.
4. An accedere ad menstruatã sit peccatum mortale? ibid.
5. An unus coniugũ possit vovere cõtinentiam, sine consensu alterius? ibid.
6. Quid in casu, si ambo coniuges cõveniant, in vovendo castitatem? ibid.
7. Dubitans de valore Matrimonii, an possit petere, vel reddere debitum? ibid.
8. An debitum reddendum ei, qui illicitè petit? 41.
9. An actus Matrimonii possit exerceri sine omni peccato? ibid.
10. Quando peccant mortaliter coniuges exercendo actum Matrimonii? 42.
11. Quando peccant coniuges non complentes copulam? ibid.
12. An liceat petere debitum diebus Sacris? ibid.
13. An liceat petere debitum in locis Sacris? 43.
14. Quis dispensat cum eo, qui vovit castitatem, & Matrimonium contraxit, ad hoc ut petat? reddere enim tenetur. ibid.

Monitio ad Lectorem.

Circa Secundam editionem Sententiarum Moralium.

Libro 1. d. 29. Conc: 4. Quando nonnulli docent licere sponsi s delectari de copula futura, & viduis de præterita, delectatione libidinosa, non est sermo de delectatione in qua fit descensus ad delectationem sensibilem, sed in qua tantùm fit repræsentatio descensûs ad sensum.

Hanc doctrinam applica dictis p. 8. Elementorum ad S. Confessiones, dum artt:

art: 12. agitur de peccatis Viduarum.

Lib: 2. d. 65. conc: 9. ubi est sermo de Episcopis ut legatis Papæ: potiùs dic: ut delegatis Papæ.

Lib. 3. d. 18. conc: 4. §. *dixi: post ly non reservatam*: adde. *prohibitos inquam ob hæresim vel falsi dogmatis suspicionem.*

Lib: 4. d. 2. conc: 2. in fine adde: *in faciem diceret.* ibid: d. 23. conc: 5. nulla est contradictio. Cùm non sit æqualis obligatio custodis, ut Dominus ditescat, & ne Dominus damnificetur.

In fine Operis additione 5ta in fine adde ly *1 post Matrimonium.*

Hæc verò de Censuris: in prima editione.

Lib: 1. Sent: Moral: d. 35. conc: 4. secunda pars conc: præcisè sumpta, continet suspensionem, non excommunicationem.

MONITIO.

Circa Annotationes additas libris P. M. Nicolai Mosciocensis.

His ergo cognoscuntur annotationes additæ Elementis ad S. Confessiones: sc: ubi citatur Sententiæ Morales, Bonacina. Lezana. Gab: à S. Vinc: Item ubi ponitur oppositum Authori.

Vbi ponitur ly probabile.

Vbi explicatur Author per ly: *hoc sic intellige. Scias. Hic tamen.*

Præter has sunt aliæ, sc: Fol: 61. ibi. *An autem his.*

Fol: 63. ibid: *Excommunicantur omnes.* Et ibi. *Et qui temerariè.*

F. 69. ibi. *Per Constitutiones. Hæ duæ. Non solùm.*

Fol: 71. *Cum prima ubi tolle comparationem, & utramq; partem simpliciter intellige.*

Fol: 77. *Has censuras.*

Annotationes additæ Tyrocinio Artis [P]œnit & Examini Approbandorum, notantur Asterisco.

ADDITIO.

Ad p. 8. Elementorũ ad S. Confessiones, ar 11. de peccatis Artificum.

Circa Sartores, Pelliones, &c: scias: Si pro labore iustum pretium nequit extorqueri, licet retinere residuam partem materiæ: modò id quod retinetur non excedat pretium omissum & debitum. Si iustum pretium datur: non licet residuã partem materiæ retinere, aliàs est peccatum mortale, si sit notabilis pars, cuius pretium sufficit ad pec: mortale. Si verò non est notabilis pars quæ retinetur: tunc vel patronus materiæ præsumitur non curare, vel præsumitur curare. Si primum: nihil est. Si secundùm. Tunc vel illæ particulæ non notabiles uniuntur moraliter secundùm rationem furti, vel non. Si sic, efficiunt mortale, & est obligatio restituẽdi sub peccato mortali, ut docetur de furtis minutis. Si non uniuntur moraliter ad faciendũ furtũ mortale, tunc tantùm est pec: veniale, & obligatio restituendi sub veniali. V. dicta de furtis minutis in 1. Sent. Moral: d. 38.

ADDITIO.

Ad 3. p. Tyrocinii S. Artis Pœnitentiariæ c. 5. de Potestate Conf. n. 9.

Attendant Confessarii expositi à Vicariis seu Officialibus particularibus, quousque extendatur territorium & authoritas. Extra quod non valent audire Confessiones. Cùm nemo det, quod non habet.

ERRATA

Elementorum ad S. Confeßiones.

Folio 8. Columna 1. Versu 13. uas *lege* suas
14. c. 2. v. 4. in se sequenti *l.* in sequenti
18 c. 2. v. 14. facta annum *l.* ante annum
30. c. 1. v. 9. & *l.* sed
38. c. 2. v. 33. ordinata *l.* ordinatè
45. c. 1. v. 17. Iosph *l.* Ioseph.
ibid c. 2. v. 38. tenem *l.* tenet
ibid: c. 2. v. 39. pollutiones *l.* pollutionē
58. c. 1. v. 34. Eidem *l.* Fidem
80. c. 2. v. 25. dimidiana *l.* dimidiata
91. c 1. v. 33. intradum *l.* intrandum
94 c. 1. v. 9. totis *l.* totius.

Errata Tyrociniij Artis Pœnitentiariæ.

Fol: 34. c. 1. v. 30. alucubi *l.* alicubi
37. c. 2. v. 4 septennim *l.* septennium
39. c. 1. v. 9. admonendus *l.* admonēdos
57. c. 1. v. 1. Lampas *l.* Lamas
ibid c. 2. v. 22 positiva *l.* positivo
61. c. 1. v. 7. flexu *l.* fluxu
67. c. 1. v. 10. Ieienio *l.* Ieiunio
68. c. 1. v. 2. formidiosū *l.* formidolosū
73. c. 2. v. 37. quan *l.* quando
83. c. 2. v. 37. de decretis *l.* decretis
ibid. c. 2. v. 42. supopposita *l.* supposita
85. c. 2. v. 7. fore *l.* fortè
89. c. 2. v. 8. Filijsfmilias *l.* Filijsfamilias
92. c. 2. v. 17. magnus *l.* manus
94. c. 2. v. 20. cōmandans *l.* cōmendans
96. c. 2. v. 10. renumerationem *l.* remunerationem
99. c. 2. v. 8. pousit *l.* posuit
ibid: c. 2. v. 16 quecunq; *l.* quamcunq;
100. c. 2. v. 6. dicidendi *l.* decidendi
121 c. 1 v. 18. probalis *l.* probabilis
128. c. 1. v. 4. evidentur *l.* evitentur
134 c. 2. v. 18. Deum enim qui audit *lege* Deus enim audit
150. c. 1. V. ult: prodedit *l.* procedit
152. c. 1. v. 38. so Officialem *l.* solum Officialem.

Errata Examinis Approbandorum.

Fol: 2. c. 2. v. 6. hac prima *l.* hanc primam
17. c. 2. v. 8 anathemata *l.* anathema
23. c. 2. v. 23. appimè *l.* apprimè
28 c. 2 v. 26. faciusit *l.* faciunt
47. c. 1. v. 29. affecutiva *l.* assecurativa
48. c 1. v. 34. voro *l.* verò
51. c. 1 v. 27. luce *l.* leve
62. c. 2. v. 23. in æquali *l.* in inæquali
64. c. 2. v. 22. mutationis *l.* mutuationis
72. c. 1. v. 7. Sertius *l.* Tertius
73. c. 1 v. 6. & ex post *l.* ex, & post
74 c. 2. v. 13 nutem *l.* autem
80. c. 1. v. 14. pro aliquot *l.* pro aliquo
81. c. 1. v. 19. annus *l.* annuus
85 c. 1. v. 1. Aut *l.* At
99. c. 2. v. 33. id eum *l.* in eum.

Ex Tractatu de Matrimonio.

Fol: 5. c. 2. v. 20. expressus *l.* expressos
31. c. 1. v. 3. ibi *l.* ubi
38. c. 1. v. 18. unius *l.* unus.

Ex Sententijs damnatis.

Fol: 48. c. 1. v. 39. sust *l.* suste
ibid: c. 2. v. 35. terti *l.* tertio
52. c 1. v. 24. decerdendis *l.* decernendis.

MONITIONES
Nonnulla opusculorum impressorum Theologicorum & Philosophicorum excusantes, vel corrigentes.

MONITIO
Ad opusculum sententiarum Moralium pertinens.

LIBRO 1.

Distinctione 18. de horis Canonicis conc: 36. secundæ editionis: ly *non sat erit* &c. non pertinet ad textum Pii V: est tamen doctrina vera.

Dist. 19 de jejunio conc: 12. 1. & 2. editionis: vbi habetur quantitas cibi, lege qualitas cibi.

Dist: 29. conc. 4. per delectationem libidinosam non intelligitur delectatio sensitiva & carnalis sed quæ tantùm in appetitu rationali sistit.

Dist: 35. de decimis conc. 4. editionis primæ, excommunicatio & suspensio inadæquatè refertur. Necessariè videndus textus, vel saltem editiò secunda.

Dist. 40. de detractione &c. conc: 15. edit. 2. *præceptum* l receptum.

Alia vide, vbi errata allegantur.

LIBRO. 2.

Dist: 3. de materia Sacram: conc: 2. 1. & 2. edit. pro materia proxima Sacramēti Eucharistiæ, assignetur panis & vinum præsentia & nō species panis & vini: cùm ibi sit sermo de materia proxima in fieri.

Dist: 64. de absolutione conc: 2. edit: 2. post verba: *à quo te possum absolvere:* adde: ego *absolvo te.* Deinde sequitur absolutio à peccatis: *ego absolvo &c.*

Dist: 66. de ministro Pœnitentiæ circa reservata, conc.

6. edit:

6. edit: 1. omissa vna excommunicatio sed refertur conc. decimâ.

Ibid: conc. 9. pro legatis. l. delegatis.

Dist: 68. de sigillo confess: conc. 4. edit. 1. ubi: jacturæ famam l. famæ jacturam.

Dist: 72. de indulgentijs, conclusio decima edit: 1. sumpta ex ibi citato Doctore, jam non tenenda: nisi fortè sit opus. distinctum

Sic enim loquitur decretum. *Semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam, in certos dies visitantibus Ecclesiam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.*

Patet ergo Sacram C. decernere eodem opere repetito v. g. visitatione Ecclesiæ, non posse in die pluries plenariam indulgentiam haberi. Non videtur autem excludere si opus sit distinctum: cùm utatur particulâ disiunctivâ.

Sed cùm particula disiunctiva aliquando vices habeat copulativæ: ideo quod loco cit: edit: 2. docui affirmare non audeo.

Dato tamen: per diversa & alterius rationis opera eodem die posse pluries plenariam indulgentiam haberi: si disparitas petatur cur non per eadem eodem die repetita: meliùs novit qui sic vnum decrevit & aliud non exclusit, & sententiam saltem in parte probabilem reliquit.

Dici tamen potest, timendos actus irrisorios si pluries in die eadem indulgentia, eodem opere repetito haberi posset: v. g. ad eandem Ecclesiam toties & toties eundo & toties toties redeundo.

Dist: 73. conc: decima circa finem intelligenda secūdùm distributionem accommodam. Nam non intendo Moniales Regularibus subditas tempore jubilei posse sibi eligere ab Episcopo non expositos, maximè vbi decretum S. Congregationis de exponendis ad audiendas confessiones Monialium est in praxi.

Ibidem conc: 15. *Si parti non*

satis

satisfactum: adde Si tamen commodè fieri potest, svadeatur cautio fideiussoria vel pignoratitia vel saltem juratoria, si aliæ non sunt possibiles.

Dist: 81. de sudjecto Ordinis n. 7. edit. 1. sanè intellige:

Nam pro Ordinibus majoribus non requiritur testimonium à Scholæ magistro.

Dist: 93. conc: 11. edit. 1. quæ est finis secundarius intellige: vitatio fornicationis.

Alia: vbi errata. &c.

LIBRO 3.

Dist: 11. editionis primæ: referendo excommunic: octavam Bullæ Cœnæ Domini, per Romam intellige curiam Romanam.

Ibid: tertiadecima & sequens edit: 1. vnam excomm: B. C. D. integrant & quartadecima omissa.

Ibid: quartadecima excomm: B. C. D. vtriusq; edit: procedit de avocantibus &c. authoritativè. B. C. D.

Ibid: in quinta decima vtriusq; edit: per *ordinationes* intellige publicatas.

Ibid: in 16ta excomm: B. C. D. edit: 1. *contra illos decemunt* lege: contra sententias eorum decernunt.

Ibid: in vigesima excomm: B. C. D. vtriusque editionis ly *&* non sumendum collectivè sed divisivè. Quia & prima pars & secunda sufficit ad incurrendam excommunicationem.

Distin: eâdem.

Circa excommunicationes extra Bullam Cœnæ D: Papæ reservatas.

In 18. excomm: reservata extra Bullam C. D. 1. edit. vbi habetur *vtentes* lege habentes.

Ibid: in 34 primæ edit: vbi dicitur, *ad alium ordinem*: intellige, monasticum: attendendo extravagantem Martini V.

In 38. 1. edit: adde ad provisionem vel dispositionem Papæ pertinentibus.

In 39. edit: 2. *nisi errore vincibili putaret facultatem concessam &c.*

In ta-

In tali ergo casu solùm teneretur se gerere excommunicatum. Nam putare se esse excommunicatum non facit in re excommunicatum, si non sit in re excommunicatio.

Quadragesimæ secundæ primæ editionis, adde: *Alexandriam vel in Ægyptum.*

In 50.1.edit: *exercentes.* adde: *recipiendo.*

Dist: eâdem

Circa excomm: non reseruatas

Tertia 1. edit: procedit de interdicto & cessatione generali.

Quartam vide apud Bonac: vel in secunda edit:

Nonæ 1. edit: adde: *& non cessant infra duos menses*

Decimæ 1. edit: (*in sacris*) adde *debent autem moneri.*

Tertia decima 1. edit: est contra personas Ecclesiasticas Episcopis inferiores. vbi primum *vel* muta in *&*

16tam. intellige juxta decimam octavam.

Vigesima secunda 1. edit: est contra laicos. adde in fine 2. partis: *nisi moniti destiterint & restituerint.*

Trigesimæ & trigesimæ primæ 1 edit: adde, quòd etiam habeatur in Bulla C. D. & per constitutiones Apostolicas, intelligantur traditiones Apostolicæ.

Trigesimæ tertiæ post ly *asserentes* adde ly *pertinaciter.*

Trigesimam septimam vide apud Bonac. vel in secunda N. impressione.

Dist: 12.

Conc: 4. 1. edit: dum dicitur-*qui verò libros in indice prohibitos legunt a iam excomm: incurrunt sed non reseryatam: intellige: prohibitos ob hæresim vel falsi dogmatis suspicionem, non verò bonis* moribus contrarios. Est tamen obligatio sub p: mortali tales nec legendi nec detinendi: vt determinavit Pius in Brevi. *Dominici.* 1564.

Ibid: conc: 6. edit: primæ excommunicationem comminatoriam contra laicos disputantes cum hæreticis abrogavit consvetudo in Germania & similibus locis.

Dist.

Dist: 15.

Conc: 6. edit. 1. *non suspenditur* lege. *non fit irregularis.*

Dist: 16.

De suspensionibus.

Num. tertio: edit. 1. adde *vel Minores cum Subdiaconatu.*

Num: quarto edit: 1. primæ parti adde; *dando à proprio Episcopo.* Secunda & quarta pars numeri procedit de recipiente sacros ordines.

Num: quinto edit: 1. prima pars probabiliter non est contra Prælatos Regulares.

Num: sexto edit: primæ, primæ parti adde: *donec restituerint.*

Num: 13. edit: 1: *aut alicui ad vitam* adde: *aut ad aliud certum tempus.*

Num: 14. edit: 1. *per celebrare matrimonium* intellige *conjungere* vel *benedicere.*

Secunda verò pars & 3. & 4 videatur vel in secunda edit: vel apud Bonac: vltima pars loquitur de excomm: comminatoria Quæ sc- est de Novitijs.

Num: 15. 1. & 2. edit: *administratio matrimonij* sumitur *pro solemni benedictione,*

Num: 16. edit: 1 *in victualibus* Adde vel *alia re, suspenduntur* &c. *si infra mensem duplum non restituant.*

Num: 17. 1. edit: secunda pars procedit de scribentibus in favorem piæ sententiæ contrariam refellendo vel impugnando. Qualiter intelligenda prima pars.

Dist: 20 conc: 3. edit: 1. *habilitate* l. collatione.

Ex dictis patet Summistas non adæquatè referre censuras. Quæ inadæquatio est duplex Substantialis v. g. quando omittitur aliqua conditio necessaria ad incurrendam cēsuram v. g. omittitur *nisi restituerit* &c. Accidentalis v. g. quando fit mentio vnius actionis vel omissionis sufficientis ad incurrendam excommunicationem, & altera omittitur vel non referuntur pœnæ.

Cætera vide vbi errata.

L. 4.

Dist: 12. conc. 2. edit: 2. adde: *in faciem malediceret.*

Dist:

Dist; 17. ad initium ly *tamen* in vtraq; edit; dele.

Dist; 19. edit; 1. §. Dices: agnoscenda disparitas.

Dist: 20. §. Nota 2. vbi Religiosi excluduntur &c. sub intellige; *sine licentia.* Hoc autem in vtraq; edit:

Dist: 23. circa exactiones 1. & 2. edit: conc: 5. in principio & fine non est paritas rationis. Nam in prima parte conclusionis agitur de domino ditando: in vltima parte de damnificando.

Additioni quintæ 1. & 2. edit: adde in fine. *Post matrimonium & ad petendum debitum.*

Cætera vide, vbi errata vtriusq; editionis.

Quæ autem nec hìc nec alibi reperies: sanè intellige.

Attende ad antecedentia & sequentia. Quandoquè in aliena sententia vel in communi, non attendendo ad particularia, loquor, vel tanquam securius vel saltem ut probabile propono; & sic nec in re, nec S. Doctori contradico.

Monitio

Ad Summam Philosophicam pertinens.

Ad Logicam.

Dist: 4. Diff: tertiâ. Ne prima probatio patiatur instantiam v g. de corporeitate, dic ut vt natura dicatur vniversalis sufficit prima operatio. Nam ens rationis potest resultare ad primam operationem. Vt verò dicatur corporea requiritur judicium seu secunda operatio.

Dist: 7. diff: 6. circa finem majus l. magis.

Dist: 8. Diff: 1. explicando oppositionem privativam ly oppositio sumpsi in latiori significatione, sc: pro negatione. Et sic ad tollendam æquicationem ponatur carentia pro privatione.

Dist: 10. diff: 1. §. adde. versu quinto: interpone secundùm exigentiam propositionum v. g. *si homo est animal est sensibilis &c*

Ibidem diff: 2. in definitione propositionis indefinitæ adde ly *communis.*

Ibid. diff: 7. in definitione æquipollentiæ loco *terminorum* pone *ſignorum*,

Diſt: 11. diff: 6. num: 5. corrige tranſpoſitionem.

Circa Phyſicam.

In procemio circa finem protermino l. minimo.

Diſt: 2. diff: 1. res creatæ l. res cæteræ.

Ibid: diff: quartâ. prima exiſtentia l. propria exiſtentia.

Diſt: 11. diff: 5. q. vnico: ſolida. l. ſolita.

Diſt: 49. diff: 1. Arguitur 1 *dicens eſſe communem*: non huc pertinet, ſed ad arg: 3. vbi dum dicitur jta Makovius: addendum: *dicens eſſe communem*.

Ibid: diff: 2. *ſeu obiectam l.* ſeu ſubiectam.

Diſt: 50. Argu: 1. *ſeu ſicut ratio intelligendi* l. ſed ſicut ratio intelligendi.

Diſt: 51. diff: 1. conc: vnicâ. ſed objectum voluntatis eſt tale: loco voluntatis l. intellectûs.

Circa Metaphyſicam.

Diſt: 6. diff: 1. argu: 1. *non diſtinguit* l. non benè diſtingvit.

Monitio.

Ad opuſculum Sententiarum Thomiſticarum.

Lib: 2. diſt: 1. conc. 2. ly *potentia phyſica* non ſumitur vt affecta accidentibus ſenſibilibus, ſed in latiori ſignificatione, quatenus ly phyſicum dicit ens reale diſtinctum ab ente intentionali & rationis.

Lib: 4. diſt: 17. dum in ſolutione ad quintum argumentum addo: *ſcilicet humanæ*: non intendo facere mentionem cui fit ſatisfactio, ſed qui ſatisfacit.

Quia tamen diſpoſitio terminorum indicat cui fit ſatisfactio: ideo ly humanæ: muta in ly Divinæ.

Ibid: diſt: 39. Aſsignando pro objecto formali pœnitentiæ jus Divinum læſum vtreparabile per ſatisfactionem: conſideratur pœnitentia ut quædam juſtitia: Aſſignando autem contritioni pro objecto formali peccatum conſideratur pœnitentia ſub nomine & conceptu expreſſo pœnitentiæ. Cæte-

Cætera vide vbi errata. vel benevolo animo, secundùm bonum sensum interpretare: id quod præsta, dum alia opuscula impressa vel reimpressa (præter jam commemorata) legere contigerit.

Monitio-

Circa ea quæ dicuntur in trac: de Ssma Trinitate, tum distinctione secundâ diff: tertiâ, & in additione posita in fine tractatûs. Dum ergo dicitur quòd distinctio realis intrinseca in tertio importet aliam realitatem medio aliquo principio, sub intellige, in quo & per quod tanquam tertium habetur hæc alia realitas.

Ad diff: autem octavam distin: sextæ ejusdem tractatûs, addo: Concilium Florentinum sess: 18. asserens processionem Spiritûs S. à Filio, innuit: si non procederet non distingveretur, & sic tolleretur pluralitas Personarum ad intra vt nunc est, dicit enim loco cit: *nulla alia ratio distinctionis aut discriminis est in Divinis nisi per hoc quòd persona aliqua est ab altera.* Sessione verò vltimâ dicit quòd tolleretur distinctio naturæ ab hypostasi: dicit enim: *quia autem proferunt Spiritum S: ex sola Patris Persona procedere, hi procul dubio re substantiam ab hypostasi separant.* Et propterea loco citato dixi: aliud esse loqui de processione Spiritûs S. aliud de principio distinctionis. Processionis Spiritûs S. à Filio non vna ratio assignatur; distinctionis vna, vt patet ex authoritate adducta. Ex quibus ruit fundamentum nonnullorum asserentium; negando processionem Spiritus S. à Filio solùm tolli distinctionem naturæ ab hypostasi: & non tolli distinctionem Spiritûs S. à Filio.

T
Theol. Mor.
ad R. A.

Ohm Jamszowski Ferdinandus Ord. Praed.

Suplementum Moscicensis
seu
Tractatus de matrimonio

Cracoviae
typ. Nicol. Alex. Schedel
1701

8° - str. 52 - Yy - Yy3 - Eee - Eee2 + index 17 k. n.
Opr. str. wspólna z „Theologia moralis"

Ohm Jaruszowski Ferdinandus ord. Praed.

Suplementum moscicensis
seu
Tractatus de matrimonio

Cracoviae

typ. Nicol. Alex. Schedel
1701

8° - str. 52 - Y_y - Y_{y3} - Eee - Eee_2 + index 11 k. n.

Opr. razem wspólna z „Theologia moralis"